UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancta Communitas, In Paupertate religiosa inviolata

Wissingh, Anton

Coloniae Agrippinae, 1699

urn:nbn:de:hbz:466:1-49611

Visual Library

Th. 2876.

J. VI
19.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Wissingh, Lect., O. Min.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Eminentissimo, ac Reverendissimo Principi, ac Domino,

D. LEANDRO COLLOREDO,

S. R. E. Cardinali Amplissimo, Pœnitentiario Majori, ac totius Seraphici Ordinis Minorum Conventualium S. FRANCISCI Protectori inclyto, Domino Patrono clementissimo &c.

Eminentissime ac Reverendissimè Domine.

Liber hic ut securè & audacter prodeat in orbem, in URBEM priùs tendere necesse habet, ut Summæ S. Apostolicæ Sedi *exhibeat reverentiam, præstet obedientiam, expetat censuram, speretque Salvum-conductum per orbem, & inde accipiat assistentiam, unde potissimum accepit ortus sui confidentiam.* Eminentiæ Tuæ *oculis ac manibus gratiosis sistit se hæc Opella conatûs mei; ut, quia es* Gubernator, Protector, & Corrector *totius Seraphicæ Religionis nostræ, gubernare quoque, protegere, ac corrigere digneris, quæ in hoc Opusculo mutis quidem vocibus, attamen fecundis, ut spero, desideriis, se tuæ providæ gubernationi, suavi protectioni, & paternæ correctioni humiliter subjiciunt. Gaudet totus Seraphicus Ordo noster,* quòd *(ut Constitutiones Piæ in c. 12. Re-*

gula alloquuntur Illustrissimum tunc Protectorem Carolum Borromæum ; *cum quibus nunc & ego* Tuam Eminentiam) in ea incidimus tempora, in quibus Protectorem secundùm Regulam nostram (*addo*, & votum) videre, & habere datum est. Eô enim Gubernatore, quid boni sperare non debemus ? Eô Protectore, quid adversi timere possumus? Eô Correctore, quis ab institutis suæ Regulæ deficiet ? Gubernator est ; promovebit bonum : Protector est ; defendet à malis ; Corrector est, continebit in fide, & obedientia S. Romanæ Ecclesiæ ; in his enim auctoritas ejus est.--- Te igitur ô Illustrissime & Reverendiss. D. Protector appellamus, tuam fidem & benignitatem obtestamur, ut nos tuæ curæ & patrocinio commissos Beatissimo Patri nostro Summo Pontifici commendatos facias. Tu verò Religionem nostram tua prudentia, consilio, & auctoritate protegere ne desistas, ut ab inimicorum insidiis tuta, D. Patris sui Francisci vestigiis inhærendo, sedulum in humilitatis spiritu reddere valeat Domino famulatum. *h. i.*

Ad hæc & alia lætabunda pariter & fecunda vota, à tota Provincia nostra in tua Eminentiali auctoritate fundata contestandum, Liber præsens à Provinciæ Patribus & Fratribus ablegatur nuntius Romam, ut intrepidè aspiciat lucem, sortiatur auctoritatem, quam utramque ab Eminentiæ tuæ *splendidissimis radiis mutuabitur ; nam hi tum Româ prodeuntes in hanc nostram inferiorem Germaniam, ac Coloniam Agrippinam (Sedem Triũ Regum, quibus stella de cælo lumen prætulit) sese diffu-*

diffuderunt , ſimulque virtutum heroicarum tam Theologicarum quàm Cardinalium ſuaviſſimum ſparſerunt odorem : qui meum maximè rapuit animum, animavit affectum in lectione binæ gratioſæ Epiſtolæ, quam Eminentia Tua *ex ſolicitudine paterna Miniſtro hujus Provinciæ exarare clementiſſimè dignata fuit ; ex cujus etiam lectione jucundiſſima Opuſculo huic nata eſt confidentia Romam adeundi. Cui proinde quoque non incongruè applico verba* S. Gregor. Magni *l. 7. epiſt. 126. ad* S. Leandrum *Epiſcopum Hiſpalenſem* , Eminentiæ Tuæ *ex nomine Patronum*, (*in cujus Feſto ſcil. 27. Februarii hæc ſcribo*) *hujus tenoris :* Sanctitatis tuæ (*dicam* , Eminentiæ) ſuſcepi epiſtolam, ſolius charitatis calamo ſcriptam : Ex corde enim lingua tinxerat , quod in chartæ pagina refundebat. Boni autem ſapienteſque viri, cùm legeretur, adfuerunt , quorum ſtatim viſcera in compunctione commota ſunt. Cœpit quiſque amoris manu in ſuo corde te rapere; quia in illa epiſtola tuæ mentis dulcedinem non erat audire , ſed cernere. Accendebantur & mirabantur ſinguli ; atque ipſe ignis audientium demonſtrabat , qui fuerat ardor dicentis : niſi enim priùs in ſe faces ardeant, alium non ſuccendunt. Ibi ergo vidimus, quanta charitate tua mens arſerit , quæ ſic èt alios accendit. *h. i.*

Hac eadem duplici gratioſa Epiſtola excitatus (ut loquar cum eodem S. Gregorio *ad* S. Leandrum *l. 1. epiſt. 41.*) hoc ipſum Opus ad veſtram Reverentiam (*dicam*, Eminentiam) ſcripſi ; ut ei, quem præ ceteris diligo, in meo judicer labore deſudaſ-

se (tamquam Protectori Reverendissimo.) Præterea si vobis indulgeri tempora ab Ecclesiastica occupatione cognoscetis, quid sit jam faciendum, scitis, *scil. potenti protectione protegere causam Dei, hoc in Opere expositam, meamque intentionem piam, ut opinor, secundùm Constitutiones nostras Urbanas purè regulatam; quarum terminos transgredi non audeo, supergredi autem nullatenus in hoc Libro intendo: O! quàm sufficeret mihi, si illarum observantia exacta tandem vigeret!* (*Idem ad eumdem l. 4. epist. 46.*) Quanto ardore videre te sitiam, in tui tabulis cordis leges. Sed quia longo terrarum spatio disjunctum te videre nequeo, unum quod mihi de te dictavit charitas, feci. *Dictavit autem mihi* Eminentia vestra, *zelosissimèque consuluit in d. binis Epistolis*, paternarum traditionum æmulatores existere: eaque meditari, quæ Seraphici Instituti cultores maximè decent, scil. abdicare proprietatem & sæcularia desideria; ac meum, tuum, frigida illa verba à nostris Cœnobiis eliminare: paupertatem, & communitatem sectari: constantes esse in hoc sancto proposito, nec ab incepto desistere; non animum despondere: vitam nostrã exinde instituere juxta exactam normam Constitut. Urbanarum &c. *Hæc, inquam, feci promulgando, promovendo, inculcando, & à me ipso incipiendo &c.*

Quapropter non restat nobis nunc, nisi quòd enixè precemur, ut cordialia vota, piaque desideria totius Provinciæ nostræ, in hoc Opere expressa & congregata clementi oculo respicere, fortitudinisque brachio protegere digneris; ut eò certiori ac

pleniori

pleniori fiducia apud Summam S. Sedem *invenire mereantur Apostolicam benedictionem* ✝ *& vehementer desideratam protectionem. Ore, Corde, & prece, cum aterna grati animi memoria confitebitur tota nostra Provincia Colonien sis, quod singulariter gubernata, paternaliter protecta, & providè correcta fuerit*

1. 4. 20. 5. 1. 40. 4. 80. 50. 3. 50. 20. 20. 50.
A. D. LEANDRO COLLO-
80. 5. 4. 50. 3. 1. 80. 4. 9. 40. 1. 20. 9.
REDO CARDINALI
60. 80 50. 100. 5. 3. 100. 50. 80. 5. 50. 80. 4. 6.
PROTECTORE ORD. F.
30. 9. 40. 3. 50. 40. 200.
MIN. CONV.

Programma.

Eminentissimus & Reverendissimus Princeps ac Dominus, D. LEANDER COLOREDUS Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, nec non Pœnitentiarius Major.

Anagramma purum.

Protector es Ordinis Minorum: Lumen es candens, palma ad Deum accrescens, Lilia ferens. A Numine precor unicè; sis saliens corda amore Jesu; dies tui sint anni Eoi.

CHRONO-EPIGRAMMA.

PerpetVò nostrI sIs VIVens *orDInIs* aLMe
tVtor, Vt à ChrIsto sIt tVa VIta VIgens.
AtqVe eXaLtetVr, terræ qVasI *paLMa* VIresCens,
ILLa ferat frVCtVs, CæLICa Vota tenens;

Vt franCIsCanIs VnItIs CorDIbVs aDsIs,
sVCCVrsV eX CæLo gratô orIente ,tIbI.
hInC CresCens fraternVs aMor, VIrtVsqVe CorVs-
est paVpertatIs, VotaqVe IVre pLaCent. (Cans
granDe IstVD VIrtVtIs opVs DIgnare tVerI :
hIs saCrIs VotIs stet poLVs Ipse faVens.
saL es ConserVans *FranCIsCI*, In nVMIne, proLes:
VIrtVte InVICtâ hIs sæCVLa VIVe parens.
VIVe*LeanDer* oVans*CoLoreDo* ter InCLYte prInCeps,
sIt CVnCtIs VotIs pVrpVra Vestra nItens.
tê saCra eXVLtet paranYMphô eCCLesIa ChrIstI
sponsa frVI : sponsæ In sæCVLa VIVe VIgens.
tê franCIsCanI Vt per sæCVLa CVnCta frVant Vr
i *proteCtore* sVo , nVMIna In aXe rogant.
orDInIs est nostrI *proteCtIo* traDIta VobIs:
VIrtVte eXVLtat IVgIter *orDo* tVâ.
atLasqVe IpsIVs LaVDarIs IVre sVb astrIs:
eX sVperIs raDIos soLIs aDInstar habes.
sIs IgItVr *CresCens* franCIsCI proLIbVs;eXhoC
sVb te LætatVs totVs oLYMpVs erIt.
poſtqVe haC fVLgebVnt sVpero ferVentes aMore,
qVanDo Inter fratres spIrItVs VnVs erIt.
qVeIs Cor Lætanter totIes persVaVe DeDIstI:
VIVens In terrIs, sIs faVVs VnDe sapIs.
hIsqVe *tVos* VIrtVte *DIes* sIne nVbe serenos
nVMIne IVstItIæ soLe VIgente, preCor.
atqVe Vt stes pastVs, VoVeo, Inter *LILIa* IesV
Per MVLtos *annos* , poſtqVe frVâre Deo.

S. CORDI
B. V. MARIÆ

Devotè inclinant, ſuaque Corda ſubmiſſiſſimè dedicant FF. Minores Conventuales S. Franciſci, Provincia Colonienſis, de SS. Tribus Regibus.

✠

SUb ſacratiſſimi CORDIS TUI patrocinium, ſub Auguſtiſſimæ Majeſtatis tuæ pallium ac præſidium, cum Fratribus meis confugio *S. Dei Genitrix, Cor tuum maternale* venerando, noſtraque concordia Corda eidem litando, conſecrando, ac mancipando. Jure tibi proſternimur; Tu enim es Mater Monachorum, Patrona inclyta Religioſorum; Tu es *Mater de bono Corde*; prout Te affectuoſiſſimè ſalutare ſolebat devotiſſimus tibi Cliens S. Ignatius Loyola. *Tuum Cor* eſt officina pietatis, domicilium ſanctitatis, incus devotionis, Triclinium unitatis, Altare aureum communis charitatis. *In te ſibi complacens cæleſtis Patris amor* (ajebat S. tuus *Franciſcus Sales.* in dedic. Tr. divini amoris) *ab omni æternitate Cor tuum ad omnem omnino ſancti amoris perfectionem deſtinavit, ut in tempore amares Filium amore materno, quem ille ante omnia ſæcula unico & invariabili amavit paterno.* Sed, ecce *Mater*, poſt unum illum tuum Primogenitum, multos hic tibi ſiſto Filios, vultu, genu, facie, mente, corde, ore tibi cernuos; corda multa ad te ſuſpirantia; voluntates

multas tibi supplices: Adduco eos ad te, ut Matris oculo aspicias, tibi in Filios adoptes, eisque benedicas, & in hanc tuam tibi litatam multitudinē inducas èt communitatem èt unitatem: & ut, sicut COR JESU sub tuo S. Corde in virginali utero crescere feciſti, ita nos spiritali calore cordis tui foveas, & *in terra paupertatis nostræ crescere facias.*

Ignosce, & agnosce ô *Augustissima Domina*; ignosce mihi, agnosce illos; ignosce confidentiæ quia filialis est; agnosce supplices, quia illorum tu Mater es; amas namque tibi devotè supplicantes; proindeq; materno oculo aspicies & respicies sub tuum præsidiū tam fiducialiter confugientes. Fiduciā hanc in me peperêre urgens mea necessitas, illorum orbitas, tuaque ad opitulandum materna pronitas. Mihi hinc evênit (ut loquar cum dicto tuo *S. Francisco Sales.* lc. in præfat. ad lect.) quod parturientibus; quæ, dum fortes & habiles sunt ad pariendas proles, iis jam in mundum natis ordinariè mortales eligunt patrinos: at, quando singularis debilitas, aut ingens pavor, vel præsens mortis periculum earum partus efficit difficiliores & periculosiores, invocant cælorum incolas, iisque se & fetum adhuc luci absconditum devovent, simul & eligunt quemdam Dei servum, alicui ex his Sanctis specialiter devotum, ut nomine ejus subeat patrini officium: ille autem Sanctus interim à Deo obtineat felicioris partus successum, & proli vitalem ortum. Ita ferè & ego, dum majori abundarem otio, antequam scil. hôcce gravarer ministerio, facilè faciles inter mortales

les inveniebam Patrinos & Patronos, quibus literarios meos dedicarem fetus, sive medullas Theologicas, sive Alaudas clausträles, sive melodias Antonianas, sive variegatas Sanctorum laudes &c. At in præsenti fetu edendo quàm angor & uror! quàm discindor! quàm discrucior! quàm aporior! maximè, dum cum feliciter infelici Rebecca, Gen. 25. 22. præsentisco, *quòd collidantur parvuli in utero*; attamen faustâ pâritudine, nam *major serviet Minori*. Hic *Minor*, hic *Minorita verus*, hic *verus S. Francisci Filius* solùm creat hanc partûs difficultatem.

Obinde etiam nunc capere incipio, quod capere hucusque non curavi, qualiter Apostolo cordi fuerit, dum Gal. 4. 19. quasi ingemiscens dixit: *Filioli mei, quos iterum parturio* (id est, in dolore vehementi enîti seu pârere desidero) *donec Christus formetur in vobis*. Inde ergo difficultas pariendi, quòd *Christus*, seu *Christi-formis Franciscus* sit novè formandus in multis. In hoc tuo Christo formando, Tu *ô Mater Virgo* es una & sola Artifex sine exemplo, sine pari, sine secunda: nam, cùm esses jam plena gratia ante formationem Christi in venerabilissimi uteri tui sacrario, in ejus actuali formatione Spiritum Sanctum supervenientem accepisti cooperatorem, ut esses jam superplena, ideoque largiùs in nos supereffluere: Te hinc rogo cum Cælitum omnium cœtu, partui huic *te monstra Matrem*, tuus enim est; tui consilii, tui auxilii fetus est: Te hinc ex pio voto ei in Patrinam & Patronam eligo, immo

immo & in fructûs inde per Dei gratiam enaſciturí heredem. Et, ſicut olim tui imago à *S. Gregorio Papa* miſſa ægrotanti *S. Leandro* Epiſcopo Hiſpalenſi, ei fuit pro maximo morbi levamento; quæ etiam uſque in hodierum diem conſervata, nunc in Hiſpania Gaudalupæ mirabilia operatur: ita quoq; ſupplicib⁹ à te votis petimus omnes tui Minores clientes, ut *Cor* LEANDRI *noſtri Eminentiſſ. Protectoris* in multiplici cura pro nobis, allevare, adjuvare, exaltare tandem & coronare *miſericordia Mater* digneris.

His ſupplicibus votis meis Tu *Provida Mater* dignaberis piè annuere, quæ jam dignata es ſuggerere & ſubſtituere integerrimè tibi devotũ Clientem d. *Eminentiſſ. Ordinis noſtri Protectorem*, ut ille huic partui, nomine tuo faveat lucem, foveat intentionem, indulgeat ortum, impetret gratiam, Apoſtolicamq; aſſiſtentiam, immo & arceat hoſtem, qui hianti ore, invido dente, draconino felle, canina rabie jam tum paratus eſt, ut devoret fetum, Apocal. 12. 4. Finaliter demum nunc & filialiter à te ſupplico, ut literarius hic fetus, à Tuo, & ipſius Nomine hereditet quoque appellationem, nomineturque, faventibus vobis,

6o. 1. 8o. 100. 200. 9o. 4. 9 3. 1. 100 200. 9o. 2. 200.
PARTUS DICATUS B. V.
3o. 1. 8o. 9. 1. 5.
MARIAE,
1. 3. 3. 1. 8o. 4. 9. 4o. 1. 2o. 9. 3. 5o. 2o. 5o.
AC CARDINALI COLO-
8o. 5. 4. 5o.
REDO.

PAX

PAX ✠ SALUS,

Cor unum, & Anima una

Patribus, & Fratribus Provinciæ Colonienſis, dilectiſſimis in Chriſti JESU viſceribus.

VObis reddo rationem Operis, expono cauſam hujus mei ſuſcepti laboris: quæ quamvis quadruplex potiſſimum ſit, *Prima* tamen inductiva eſtis vos, qui eſtis, & poſthac ampliùs eritis gaudium meum, gloria mea, & corona mea in Domino. Communis ſalus veſtra, unitas veſtra, profectus veſter, ſecuritas conſcientiarum veſtrarum meum excitârunt animum, manum applicârunt ad calamum, diſpulêre faſtidium, immo laborem hunc quantulumcumque reddidêre jucundum. Vobis enim quæro non placere, ſed proficere, immo & proficiendo placere, ſed in Domino, & propter vos; quod eſt charitati ſervire, ait *D. Auguſt.* Spero, quòd hæc litera, immo potius candida & ſincera intentio mea in vobis promovebit amorem Ordinis, unionis, & obſervantiæ; Ordinis, in quo ſint *omnia communia*; Act. 4. Unionis, quæ odit privata, ſeparata, diſparata; & obſervantiæ, quæ exactè innititur S. Regulæ, & Conſtitutionibus. Hæc tria ſi videro in vobis, gaudens gaudebo, & finem laboris mei, immo optatum quaſi præmium reportavero. Nam de his meritò dico & ſentio cum literatiſſimo *Michaele Ghislerio* in c. 6. Cant. expoſ. 2. §. 1.

quid

quid ordinatius in hoc mundo conſpici poteſt, quàm rectè inſtituta Religioſorum converſatio ? quid eorumdem unione jucundius ? quid eorum obſervantiis venuſtius ? quid tranquillitate ſuavius ? quid ſtudiis, ſpiritalibuſque exercitiis fructuoſius ? h.i.

Itaque obſecro vos Fratres, (cum Apoſtolo in var. ll.) per nomen D. N. J. C. ut *ſitis perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia -- ſoliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis* ; ---- nam & *pro invicem ſolicita ſunt membra--. Idem ſapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipſum ſentientes- non enim eſtis veſtri--.* Hinc, ſicut ego in hoc Opere non ſum quærens, quod mihi utile, ſed quod multis; ita nec quiſquam inter vos, *quæ ſua ſunt, ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum.* h.l. Hoc ut commune bonum aſſequamur & tueamur, levemus capita noſtra, Chriſti-formes ſtudeamus facere affectus noſtros : &, ſicut aqua quamvis ob naturalem gravitatem deorſum feratur, quærens centrum ſuum, at, dum natura horret vacuum, ob bonum commune aſcendit ſurſum ; ſic & nos, quamvis naturæ aliter habituatæ fortè violentum videatur, attamen pro communi bono, ne maneant corda vacua divina gratia, ſurſum feramur, quò Deus vocat, quò Chriſti Vicarius incitat, quò regularis profeſſio exſtimulat, propriæque ſalutis ſpes adurget. Paulò altiùs aſcendamus, ut in gratia Dei creſcamus.

Ex nunc ergo, ut loquar cum *Baſil. M.* Conſtit. monaſt. c. 18. *Sint nobis communia univerſa, anima, ſententia, corpora, & ea quibus corpora nutriuntur, &*

*& ad bene pièque vivendũ opitulantur. Communis Deus, communis pietatis negotiatio, communis sal*ª, *communia certamina, jejunia, labores, orationes, coronæ. Multi unus, & unus non solus, sed in pluribus.* h. i.

Secunda causa impulsiva fuit amor decoris & honoris, quô zelare meritò teneor pro Matre mea, quæ est Religio nostra. De quo cit. *Michael Ghisler.* in cant 8. expos. 3. §. 1. *Religiosus bonus ardenter desiderat Religionis suæ profectum.* Hinc & mihi evenit, quod ibidem apertiùs asserit §. 8. super illa verba, *apprehendam te, & ducam te in domum Matris meæ. Religiosus*, inquit, *bonus, quamcumque in aliis Monasteriis viderit virtutem, vel observantiam, in qua Deus sibi manifestetur, apprehendit amoris desiderio, conaturque deferre in claustrũ Religionis suæ, quæ eum ùt Mater ad vitam genuit spiritalem, & educavit corporaliter & spiritaliter.* h. i. Verè etenim ita est, quòd cordis ardens desiderium in me senserim ab initio religiosæ vocationis meæ, ut, quam apud alios Religiosos inveni ex perfecta communitate genitam charitatem, amicabilitatem, fraternitatem, socialitatem, regularitatem, exemplaritatem, animorum unionem, fraternam ad invicem confidentiam, serviendi promptitudinem, angelicam obedientiam, paupertatis rigidam observantiam, à sæculo abstractionem, & aliarum virtutum religiosarum multiplicẽ sobolé, possem sancto furto transferre, & etiam aliquando videre inter Religionis Matris nostræ Filios, meos scil. Confratres, Vos, inquam, quos alloquor corde, voce, scripto;

quo-

quorum animas suo sanguine pretioso subsignavit Christus, meæque fidei concredidit ; quos ideoque, & simul me ipsum sub pallio *SSmæ V. M. Dei Genitricis*, Ordinis nostri Seraphici singularis Protectricis, substerno ejusdem *sacratissimo Cordi*, quod insignitum est Crucifixo; ut, quia concepit eum, qui renovavit facié terræ, renovet & me, & vos & singula membra Religionis nostræ.

O Sancta! ô optata! ô diu desiderata, & tam diu, tam solicitè quæsita S. Communitas ! Quis mihi det, ut *introducam te in domum Matris meæ ?* utinam te saltem ex nunc, afflante S. Spiritu, Patrocinante B. V. M. nec non *S. P. N. Francisco, S. Antonio Patavino*, & omnibus Sanctis, possem hoc voto meo, hac prece, hoc opere introducere in domum Religionis nostræ, vel saltem hujus Colonienſis Provinciæ ! Quod sicut juravi & statui Coram vobis in initio suscepti hujus ministerii, sic nunc iterum juro, pro quanto divina gratia adjuverit. Et hæc est

Tertia causa hujus suscepti Operis, ut scil. juramento meo satisfacerem, nihil intentatum relinquendo, quod ad ejus adimpletionem conducens, aut necessarium reperero. Saltem faciam id, quod in vita *S. P. N. Francisci* c. 11. §. 3. scribit S. Bonav. *exonera conscientiam tuam, & Deum magis time, quàm homines.* h. i.

Quarta causa, quæ animum & manum confirmavit in hoc Opere literario lætiùs perficiendo, fuit *Eminent. & Rdiſ. Protectoris nostri Cardinalis* LEANDRI COLLOREDI paterna, fervens, cordialis, ac solicita in- & excitatio; qui cùm sit Dominus

minus *Gubernator*, *Protector*, & *Corrector* hujus noſtræ Fraternitatis; exhortatur, inſtat, obſecrat nos *à tam ſancto propoſito non deſiſtere, quouſque in omnibus formetur Chriſtus.* Cujus primæ gratioſæ Epiſtolæ tenorem vide infrà pag. 430.

Itaque Fratres mei dilectiſſimi & deſideratiſſimi, hujus pientiſſimi noſtri D. Protectoris votis correſpondeamus: ſanctamq; matrem Eccleſiam, quam B. P. N. *Franciſci* meritis fetu novæ prolis indies amplificat miſericors Deus, per noſtri ipſorum ſpontaneam renovationem, novo gaudio lætari faciamus; immo gaudium hoc ejus & noſtrum notum ſit omnibus hominibus. Conſideremus cum *S. Chryſoſt.* in Joan. *quantò pauciori-bus indigemus, tantò magis Angelis appropinquamus, quantò pluribus, tantò magis ad hanc caducam vitam deflectimus*: Ideoque S. paupertatem, ejuſque filias & comites amplectamur, per quas Angelis Sanctis reddamur ſimiliores. Itidem perpendamus cum *Rusbrochio, vitium planè diabolicum eſſe, quòd res terrenæ communes non ſint*; ideoque ſacram Communitatem ſemper & in omnibus ſectemur; bono autem privato & lucro inhiare, deteſtabile vitium æſtimemus. Quod rarum in terris eſt, nobis carum ſit; *Eſt autem lumen in terris rarum Monachus, in quo non eſt reperta cupiditas*, ajebat *S. Ephrem.* Caveamus, ne nos feriat lethalis comminatio prædicta per *S. Hypolitum Mart. conſummationis mundi, & extremitatis illius ſignum eſt, ſi Monachi expetant, quæ ſunt mundi.* Tandem enitamur unanimiter, ut annus proximus communis Jubilei, qui eſt

hujus

hujus sæculi completiv⁹ utpote septingentesimus post millesimum, inveniat quoque nos de nostri ipsorum renovatione jubilantes, ad altioraque perfectionis culmina aspirantes, demumque perseverantibus promissa æterna præmia longanimiter exspectantes.

Quilibet vestrûm (loquar verbis Rdiss. P. N. *Jacobi Bagnacaballensis* in Epistola Pastorali, Coloniæ typô data 1619. 6. Jan. de reformat. studiorum) *acceptâ hac mea Pastorali epistola, & admonitione paterna, pravos & jam penè inveteratos usu præcidentes, noxias corruptelas exterminantes, deliberato quisque constituat animo, certum perfectioris observantiæ iter instituere, peculii proprietatem, (pondus certè nimis onerosum) deponendo, & sanctam vitæ communis institutionem, seclusâ omni reluctatione, subeundo--- vitæ communis institutum observantissimè excolendo; quæ vita est cælestis, vita Angelica, vita Apostolica, & quidquid Deo professione solenni devovimus, exactè & ad amussim observando--- Et sicut B. Franciscus Pater noster Seraphicus fuit voce cælitus demissa instructus:* Vade Francisce, repara domũ meã, quæ labitur; *illud nobis ipsum singulis putare debemus enuntiatum, & cum Paulo Apostolo dictum:* labora, sicut bonus miles Christi Jesu.--- *Testem invoco Deum & Dominum nostrum Jesum Christum, quo animo, qua mente, quo consilio, in hac mea visitatione omni conatu enitar* (dicam ego, hoc à me edito libro) *omnem depromam curam & diligentiam, in res ad pristinum cultum revocandi, observantiã inducendi, regularem disciplinam instaurandi,*

randi, exteriora dedolandi, perpoliendique; & quos divino cultui atque observantiæ addictiores noverim, ad regimina promovendi ; ut bono eorum, quod statuere debent, exemplo, pauxillæ & minutulæ nostræ Religionis reliquiæ, in seipsis conserventur & excrescant ad Dei gloriam, proximi ædificationem, & propriarum animarum perpetuam salutem ; Quam ex corde & faveo & apprecor vobis. Enitamini, ut eam assequamini. Valete in Domino, orantes pro vestro in Christo Ministro, *cui nihil debet esse antiquius, quàm, ùt quoquo modo valeo, bene & utiliter de mea Religione merear.* h. i. in Decreto de reform. stud. ✠

Ad Lectorem amicum.

AMicis pauca loqui jussit Aristoteles : cor namque amici paucis convincitur ; ubi autem amici cordis sinceritas deesse cognoscitur , ibi verborum etiam copiæ non creditur. Totus hic liber (subdivisus in V. alios libros, ad honorem V. SS. Vulnerum Jesu Christi,& S. P. N. FRANCISCI) tibi loquitur ; cui proinde in charitate non ficta , ut spero, respondebis. Si erraverit stylus, benevolentiâ connivebis; si typus, menda silendo corriges; si ordo, industriâ supplebis : *Diligentibus* namque *Deum omnia cooperantur in bonum.* Si fortè allegata auctoritas fuerit prolixior; utique non improbabis , nam datâ operâ fuit quæsita ; sacra enim Communitas non proprio judicio, sed alieno comprobanda erat testimonio. Si miraris scribentis confidentiam ; hujus causam crede obedientiam , namque ex lege Dei , sub vinculo juramenti , pro Provinciæ causa communi laborantem ; pro qua èt plùs ardua adire & subire paratum crede auctorem : quem etiam monet *Eminentiss. noster Protector Cardinalis* in Epist. Pastoral. *ab inceptis non desistere , donec in omnibus formetur Christus.*

Utinam in hoc assequi possem angelicum documentum datum *S. Fintano* , cujus Festum incidit in 17. Febr. quo die hæc scribo ! hic monitus ab Angelo, ut ea faceret , quæ ei dicturus erat vir primò obvius ; obvium autem habuit mutum repente hæc proferentem verba : *Omnia quacum-*

que

que bona pro Deo inchoaveris, pro nullo homine ante exitum tuum dimittas, donec certamen tuum consummes. Tales muti Doctores sunt libri S. Scripturæ, SS. Canonum, Constitutionum Apostolicarum, Decretalium; Regula quoque & Constitutiones Ordinis &c. qui libri sine verecundia, sine metu repulsæ ad cor loquuntur, & utrasque fortiter vellicant aures. Ab his itaque tamquam probatissimis divinæ voluntatis Notariis non desistam, non recedam, non dimittam, numquam aliter sapiam: namque ex his loquendo, *ex me ipso non sum locutus.* Si autē ex me ipso minùs bene aut minùs bona, vel minùs sanè aut minùs sana locutus sum, ex amico corde amico locutus sum, scil. tibi; cui in bonum cooperabuntur quæ communi bono ex amico affectu data & sata sunt. Et quamvis non omnes reperturus sim hujus libri mox amicos; spero nihilominus doctrinæ contentæ eventurum, quod *S. Philippo Nerio.* Hic cùm tempore bachanaliorum, quô mundus malè habituatus furit excæcatâ insolentiâ, cum suis discipulis visitaret VII. Urbis Ecclesias, pro avertenda Dei indignatione, habuit quidem primitus *paucos* comites sectatores (*eò quia res nova tunc & insolita erat*) at labentibus annis habuit *plurimos* pientissimos imitatores, eos scil. quorū corda tetigerat Deus. Pariter ad consolationem meam, licèt fortè quoad firmiter habituatos oppositio affectu, non sit spes generalis huic Opusculo; attamen ad recentes testas aliter imbuendas & habituandas pro futuro, virtutem dare prævalet Deus: in cujus manu sicut est hic liber, sic &

tota voluntas, & omne desiderium meum. Vale, & communi bono mecum stude, utere, & fruere, Deumque pro me deprecare.

Ad Lectorem Criticum, & communitatis religiosæ osorem.

JAm tum sub-odoror, quid mediteris, quid machineris, cur stomacheris. Tibi, quod araneæ, evenire doleo, quæ ex flore eodem, ex quo apis pro communi in commune alvearium mel comportat, venenum sugit, aut potius mel in venenum vertit. Aranea se eviscerat, at pro suo privato lucro: Charitas quoq; se eviscerat, sed pro proximi commodo, proque communi bono. Vide nunc, an araneam imitêris, an charitatem sectêris. Fortè tibi *primò* displicet ordo libri hujus? at in te mihi maximè displicet dis-ordo. *Religio ideo vocatur Ordo, quòd nihil in sè inordinatum patiatur* (*S. Bonav.* q. 14. circa Regulam *S. P. Francisci*) Est autem maximè inordinatum, quòd tu in ordine sine ordine tibi soli vivere satagas, soli tibi studeas (utinam animæ soli, & non soli ventri!) privata solùm quæras, communia negligas &c. Si quid inordinatè dispositum extra debitum locum in hoc libro reperias, id excusabit brevitas temporis, justa acceleratio operis, & tuæ (utinam haberes!) perfectio charitatis. Si *secundò* stylum impolitum mordeas, mordeas; nolebam politiorem, ut & incipientibus & insipientibus face-

rem intelligibiliorem, quibus me agnosco debitorem; ne legendo laborarent in intelligendo: quod sensi, verbis expressi, quò planiùs, eò meliùs; sperоque, quòd fructuosiùs, quò steriliùs.

Tertiò æthiopem me lavare asseris, aut passerem adultum cicurare velle arbitraris, dum de vitæ communis amplexu loquentē adultis mixtim & incultis (si qui sint) ad aures surdas cantantem asseris. Sed vide, amabo, ne ex inimico Scriptoris, fias inimicus gratiæ authoris. *Scis numquid, quòd sint duodecim horæ diei?* & quòd Judæi antiquiores sint factiChristiani primores & meliores? & quidem tales, quibus *erant omnia communia, cor unum & anima una?* anne abbreviata est manus omnipotentis? Ego plùs confido in senioribus fortioribus, quàm in junioribus mobilioribus; nam *corona senum multa peritia* (Eccl. 25. 8.) *non multum loquaris, ubi sunt senes*, (Eccl. 32. 13.) *an tumultuabitur puer contra senem?* (Eccl. 3. 5.)

Dices fortè: tot Summi Pontifices sudarunt, at frustra laborarunt; an ergo ego illis sapientior? *Resp.* Si Summi Pontif. inveniissent locales Superiores, eorumque Officiales & subditos ad vitam communem promptiores, non incassum sudassent. Deinde, cùm (prout dicitur, in præfat. ad nostras Constitut. Pias.) *non sit adeo sanctis Ordinibus distincta Religio, quæ aliquos minùs suæ professioni respondentes non habeat, ex quorum vitio publica sæpe in universos vergit infamia*; eatenus non debent alii simili notâ traduci, nec tota Religio vilipendi. Quapropter cùm nunc in Provincia hac nostra Colon. (de Tribus SS. Regibus appellata)

pellata) tam Guardianos, alioſque Superiores locales, quàm ſubditos eorum fere omnes inveniat vitæ communis (prout in Conſtitut. Urbanis præſcriptæ) amatores, futuroſque zelatores, meritò gaudet Provincialis Miniſter eorum, qui, quod in aliis zelat, à ſe ipſo inchoat. Itaque pacato ſis animo: vide, ſed non invide: vale, nil interpretâre malè; nec ampliùs poſthac inquietus quietos inquieta. Si nolis nobiſcum tenere communem vitam, aliam cum Anania & Saphira ingreditor viam; quâ non gradiar tecum, ſed, ſicut profeſſus ſum, per Dei gratiam vivam, gradiar, & moriar in debita Sedi Apoſtolicæ reverentia & obedientia ✝.

Et eſto, quamvis nullum hujus mei laboris experirer effectum aut fructum (quod non ſpero per Dei gratiam); ſufficit mihi pro laboris ſolatio, & cordis mei tranquillamento, divinæ voluntati & ſubſerviſſe, & paruiſſe. In quo etiam animum mihi addit & erigit *Em.* noſter *Protector Cardinalis Colloredus* in gratioſa ſua epiſtola 2da de 14. Febr. hujus anni 1699. in qua me ſuum infimum ſervum, & Provinciæ Miniſtrum ſic exſtimulat: *quod me uberiùs reficit, tua eſt in voto paupertatis, atque in exacta obſervantia Conſtit. Urbanarum indefeſſa cura: cui adverſari multos non miror; arcta enim eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt illam. non eſt tamen, quòd deſpondeas animum; Deus adjutor noſter in æternum.* h. i.

Immo (ut ad propoſitum tecum redeam, & tuo denti rodenti & invidenti lapidem injiciam)

si, ita permittente & disponente divina providentia, nullus laboris hujus mei, sequeretur fructus, ero lætior, securior, & glorioſior, at in Domino. Cujus securè gestientis lætitiæ causam me docuit *S. Franciscus Sales.* l. 9. de amore Dei cap. 6. dum inquit: *Pluris facio tranquillitatem animi in acquiescendo Dei voluntati, quàm magnanimitatem in exequendo proposito.* Cujus ille exempla præclara, & quidem mihi domestica subnectit. *Primò S. Ludovicus Rex Galliæ* (qui fuit Tertii Ordinis *S. P. Francisci*) per Dei inspirationem transmisit mare ingenti & potenti cum exercitu, ad terram sanctam recuperandam: attamen successus fuit contrarius, miles periit, ipsum pestis de mundo sustulit, ad cælestia transportavit; qui prævie in mortalitate huic divinæ providentiæ ita quasi contraria ordinanti humiliter & devotissimè acquievit. *Secundò, Sanctus Pater noster Franciscus*, Deo inspirante provocatus proficiscitur in Ægyptum, ut ibi vel convertat infideles, vel inter eos glorioſus martyr occumbat: & hujus itineris susceptio, intentioniſque conceptio fuit voluntas Dei: & tamen rediit ipse, nullo horum executioni mandato; & hæc etiam fuit voluntas Dei. *Tertiò*, simili modo, fuit æquè voluntas Dei, ut glorioſus *S. Antonius Patavinus* non fieret martyr in effectu, quàm quòd desideraret fieri martyr; unde ex hoc proposito concepto à cæleſti flamine, ad Saracenos iter instituit, quod tamen divina providentia abrupit, & vi ventorum contrariâ ipsum aliò dedu-

xit. *Quartò*, Glorioſus *S Ignatius de Loyola*, cùm tot laboribus & ſolicitudinibus erexiſſet Societatem Jeſu, ex qua videbat tot & tam inſignes prodire fructus, & prævidebat in futurum adhuc inſigniores prodituros, auſus eſt nihilominus Deo fidens promittere futurum, ut, ſi ea diſſiparetur, & velut glacies æſtivo & meridiano ſoli expoſita (quod tamen acerbiſſimum fuiſſet infortunium, quod is ſubire potuiſſet) diſſolveretur, intra mediam horam ad tranquillitatem rediret, & Dei voluntati acquieſceret. *Hæc S. Franciſcus Sales* ſc. Inſuper, & *Quintò*, cùm *S. P. N. Franciſcus* adhuc degens inter mortales videret, quòd Generalis Vicarius *Elias de Cortona* malè præeſſet Gregi Minorum, ac proinde ſupplex rogaret Divinam Majeſtatem, ut de alio & meliore Capite providere dignaretur; audivit tamen præter ſpem ſuam, quòd ille *Fr. Elias* deberet nihilominus reſumere gubernacula totius Ordinis, quamvis notum eſſet orbi, quòd eſſet diſciplinæ regularis contemptor, paupertatis ſanctæ conculcator, laxitatum inventor, malorum promotor. Hac autem voluntate Dei percepta, vir Dei *Franciſcus* humiliter obmutuit, dicens: *Juſta ſunt judicia tua Domine: juſtificeris in ſermonibus tuis: Tu potes ex malis facere bonos, & malum convertere in bonum. &c.*

Pariter ergo èt ego me totaliter divinæ providentiæ ſubjicio, ſive ſic, ſive aliter ei placuerit ordinare; dummodo ego ex parte mea negligen-

gligentiæ aut teporis ſubterfugiam judicium. NB. Interim etiam ex eodem obedientiæ affectu, & humilitatis ſenſu, omnia quæ in hoc libro aut ullibi umquam dixi aut ſcripſi, reverenter ſubjicio cenſuræ & correctioni Summæ S. Sedis Apoſtolicæ, Catholicæ, Romanæ. †

Protractius tibi locutus ſum, lector invide, non, quia merebaris, ſed ut convertaris: ſi non ſapiat, aliis comedat.

✠



Approba-

Approbationes Theologicæ.

I.

LIbellus hic aureus (cui titulus : SANCTA COMMUNITAS &c compositus ab Admodum Reverendo P. ANTONIO WISSINGH, Artium & SS. Theologiæ in alma Universitate Trevirensi Doctore, Provinciæ Colonienſis FF. Minorum S. Franciſci Conventualium Miniſtro Provinciali, nec non Commiſſario Generalis &c.) ex toto mihi ſummopere arridet, eò quòd rectiſſimam ad finem hominis, qui eſt DEUS puriſſimus Spiritus, ſine ambagibus demonſtret viam. Nam quid eſt homo, Mensch? Nonne *Mens?* Mens utpote ſpiritualis ſpirituali paſcitur objecto ; quo ægrè paſcetur, ſi à Corporalibus non expediatur: Expeditur autem, ſi VITÆ COMMUNI, quæ à terrenorum curis eximit, ſeſe totaliter incorporet: his eximetur, ſi Voluntariæ paupertati perfectè ſe ſubdat: pauper perfectus erit, ubi ſe, cunctaque ſua privata ſuis Superioribus, Vicariis Dei reſignatè committat: Et ſic Vivens, ſerenitate Cordis, quod alioquin innumeris ob *Meum & tuũ* vinculatur anxietatibus, plenariè gaudet: In Summo & omni *Bono Deo*, qui ipſi ſufficit, promiſitque centuplum, amoroſè ſibi complacet: Cæleſtem ſecuritatem, ac beatitudinem jam tum ex nunc (morte temporali, velut ſuavi Somno , contemptâ) volo dicere, *Cælum extra Cælum* ſatiata poſſidet. Ut autem omnibus, maximè Religioſæ Vitæ profeſſoribus & amatoribus pariter arrideat, & gratus ſit cæleſtis hic libellus, in quo nihil contra fi-

dem

dem, aut bonos mores reperi, quin potius omnem humanam, immò primævam in innocentis animi libertate expertus felicitatem, jure meritissimo dignus est, qui publicâ fruatur luce, cunctorumq; manibus sapidè revolvatur. Sic judico & exopto infrascriptus Coloniæ 24. Februarii, 1699.

Fr. Cælestinus à S. Henrico, Ordinis FFrum Bmæ Dei Genitricis V. Mariæ de Monte Carmelo per Germaniam inferiorem H.V. Provincialis, quondam SS. Thelogiæ Professor. m.p.

Idem ego, ùt suprà, Sentio

Fr. Alexander à Sancto Bertholdo Adm. R. P. Provincialis Assistens, SS. Theologiæ olim Professor. m.p.

Approbatio II.

SIcut humilitas obedientiam religiosis facilem reddit; sic *perfecta* in monasteriis *communitas* paupertatem voluntariam facit tolerabilem: dum enim à nemine in monasterio constituto occultè aliquid accipitur, aut proprium sibi dicitur, sed quodvis collatum in *rem communem* redactum sub potestate est Præpositi; facilè distribui potest unicuique victus & regumentum, queis contentus

tus esse queat ac debeat; eorum etiam infirmitati, quorum paupertas, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire, quantum satis est, subveniri. Sicque primò per hanc *communitatem* indigentium necessitati occurritur, dein & malè abundantium superfluitati voto Paupertatis repugnanti, & multorum gravissimorumque in vita monastica excessuum pessimæ radici occurritur, atque ex una arbore gemellus hic fructus enascitur. Agnoverunt id omnes omnium Ordinum SS. Institutores, ideoque Apostolicis insistentes vestigiis, suas in *Communitate* Religiones, & *perfectam* in Religionibus *Communitatem* fundaverunt, proprium omne cum *meo* & *tuo* eliminantes. Agnoverunt Sanctissimi Christi Vicarii Summi Ecclesiæ Catholicæ Pontifices, ideoque collapsam, cum disciplinæ religiosæ aut manifesta ruina aut gravi periculo, in Religionibus *communitatem* validissimis decretis restaurare conati sunt. Ut autem & hodiedum agnoscere possint omnes (præsertim si qui sint nolentes intelligere, ut bene agant) *Sanctæ* in Religionibus *Communitatis* ortum, institutionem, restaurationem, illiusq; benè custoditæ emolumenta, neglectæ detrimenta tam Spiritualia quàm temporalia; ejusdem denique, & magis *paupertatis religiosæ* strictam obligationem; omnia hæc præsenti libello religiosè & Solidè, doctéque proponit *Admodum Rev. & Eximius P. Antonius Wissingh* Minister Provincialis Ord. Min. Convent. Quem proinde dignum judico, ut lucem videat, quò non videntibus lucem afferat: præstabit hoc, si sæpius simplici

oculo

oculo videatur, revideaturque. Sic censeo in *Canonica nostra Everhardi Clusana*, hac 6. Martii, Anno 1699.

JOANNES SCHUNCKEN,
Canonicorum Regul. S. Augustini Prior, quondam SS. Theologiæ Professor.

Approbatio. III.

FElicissimæ illæ Religiones, quæ primorum Christianorum Vivendi methodum tenent, & juxta eam, *Omnia habent communia, dividuntque illa omnibus, prout cuiq; opus est* Act. Apost. c. 2. v. 44. Tales etenim Religiones, revera sunt, ut *S. Paulus* 2. Cor. 6. v. 10. dicit. *Sicut egentes, multos autem locupletantes, tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Felix Religiosus, qui talem Religionem profitetur, atque in ea Sanctam amat colitque paupertatem! Nam, si à quopiam interrogetur, An sibi sive sano sive infirmo, sive in victu, sive in vestitu &c. unquam aliquid defuerit? Ilico cum Christi Discipulis, Lucæ c. 22. v. 35. respondebit: *Nihil.* Siquidem in tali Religione, omnia ipsi necessaria magna cum charitate subministrantur; Et reipsa experitur, illud Isaiæ in se vaticinium adimpleri qui c. 25. v. 4. prædixit: Quòd Deus sit *fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, umbraculum ab æstu.* Haud porro felices illæ Religiones,

giones, quæ à præfata vivendi methodo receſſerunt. Abeſſe enim non poteſt, quin tractu temporis deficiant. *Dum enim unuſquiſque marſupium ſuum diligit, ſtatus communitatis ruit*, inquit Celeberrimus ille ex Celeberrimo *S. Benedicti* Ordine *Abbas Trithemius*. Infelices quoq; in his Ordinibus Religioſi præſertim illi, qui contra ſuas Conſtitutiones, aliquid ſibi, ſive in pecuniis, ſive aliis in rebus, proprium eſſe dicunt, & poſſident. De his enim Religioſis idem Doctiſſimus Abbas Epiſt. 50. ſcribit. *Monachus qui divitias amat, nec Monachus eſt, nec Chriſtianus, ſed Apoſtata potius & infidelis; quoniam & Evangelium transgreditur, & voti contemptor monaſtici, ſuo Domino mentitur.* Felicitatem Religioſorum, Sanctam communitatem colentium, pericula quoque illorum, qui in communi non vivunt, ſed contra ſuas Conſtitutiones proprietarii ſunt, complectitur divinus hic Liber, ab Admodum Rev. & Eximio *P. Antonio Wiſſingh* S. T. D. & Provinciæ Colonienſis Ord. Fr. Minorum S. P. Franciſci Conventualium digniſſimo Provinciali conſcriptus, & *Sancta Communitas &c.* inſcriptus. In quo cùm nihil fidei Orthodoxæ aut bonis moribus repugnans repertum ſit, digniſſimus cenſetur, qui præli beneficio in lucem prodeat, & à Religioſis quibuſcunque aſſiduè legatur. Dabam in Carmelo noſtro Coloniæ 9. Martii, An. 1699.

F. Stephanus à S. Joanne Evangeliſta, Provinciæ Allemaniæ Inferioris Ord. Fr B. V. Mariæ de Monte Carmelo Exprovincialis. & p. t. Prior Coloniæ.

Ap-

Approbatio IV.

SUmma cum animi voluptate Spirituali perlegi præsens Opusculum, intitulatum *Sancta Communitas in Paupertate religiosa inviolata* &c. & in Veritate comperi, Ejus Authorem, in eo compilando laborem præstitisse *Communem* in sensu Chrysost. ab ipsomet citati Hom. 79. quia solo *Communis* commodi intuitu, Bonique *Communis* Zelô illum impendit; *Communem* quoque ex fine & objecto, quia omnibus Religiosæ vitæ Professoribus ad Monasticæ Paupertati maximè consentaneam, & (quasi dixerim) unicè necessariam perfectionem promovendis, eum dicavit; ac demum *Communem* ex modo, quia per *Communem* SS. Patrum sententiam sua firmavit & stabilivit asserta. Supereſt proindè, ut etiam præli beneficiô Liber iste fiat *Communis*, quò erudiantur omnes eum lecturi vitæ regularis Asseclæ, circa *vitam Sanctè Communem*, & ad eam seriò amplectendam, & exactè colendam inducantur; hoc Deus faxit, illud verò ex voto meo fiat fiat. Dabam ex Carmelo Excalceato Coloniæ Die 17. Februarii, 1699.

Fr. Lucas à S. Gerardo ex Provincialis, olim SS. Theol Lector, p. t. Prior Carm. Disc. ibidem.

Approbatio V.

LIber hic, cui titulus est: *Sancta Communitas, in Paupertate Religiosa inviolata* &c. nihil continet *Commune*, sed Doctrinam verè exquisitam & solidam: utpote ex SS. Patrum, probatissimorum Doctorum & Ascetarum monumentis non minori zelo, quàm studio selectam, miro Ordine per quæsita & responsa perspicuè digestam, omnibusque veræ vitæ religiosæ Sectatoribus nedum perutilem, sed & apprimè necessariam, ac proinde luce & laude dignissimam. Ita censebam in Carmelo nostro Confluentino 24. Februarii, 1699.

F. Optatus à S. Conrado Carmel. Discalc. SS. Theologiæ quondam Lector m.p.

Censura Ordinarii.

CUm *Sancta Communitas, in religiosa paupertate inviolata*, &c. velut hic Liber inscribitur, sit sancta in communitate paupertas, & dives in paupertate communitas; placet, ut pro stabilienda cõmuni sancta divitis paupertatis alimonia, typis divulgetur. Coloniæ hac 3. Decembris, 1698.

Christianus Nevvendall Elsius, SS. Theol. Doctor, Colleg. Ecclesiæ S. Andreæ Decanus, Gymnasii Montani Regens, Librorum Censor &c. m. p.

LI-

LIBER I.

De sacra Religiosorum Communitate, seu de Apostolica methodo Regularium, vivendi in communi.

CAPUT I.

De varia analogica acceptione harum vocum COMMUNIS, COMMUNITAS.

LIquet ex Scriptura Sacra, SS. PP. ac DD. Theologis, modoque loquendi, quòd hæ duæ voces duodecim non planè disparatè diversas, attamen analogicè varias habeant significationes. Nam

I. Ly *Commune* idem significat, quod, vile, exile, plebejum, vulgare, immundum. *Numquam manducavi omne commune.* (Act. 10. 14.) Sic & dicitur *communi* modo vivere, qui nil nobile, nil solidum, nil arduum actitat, sed vulgari imperfectorum modo se accommodat.

II. Ut sit idem, quod, obvius, non pretiosus, non delicatus. Sic dicitur *cibus communis*, id est obvius etiam pauperibus, aut tenuibus.

III. Idem sonat, quod, usitatum, seu esse in more; & connotat aliquam naturæ propensionem. Sic dicitur Germanis esse *commune* tale vitium, Italis aliud, Gallis tertium.

IV. Dicitur *commune*, quod est sine divisione communicabile. Sic natura divina una est *communis* tribus Personis increatis.

V. Prout opponitur privatæ singularitati (l. 1. imit. c. 19. n. 5.) *Cavendum, ne sis piger ad communia, & ad singularia promptior.*

VI. *Commune* dicitur, quod omnes concernit, afficit, & obligat. (2. Mach. 10. 8.) *Communi præcepto, &c.*

VII. *Communis* dicitur Fides, quia eam amplecti possunt omnes (Tit. 1. 2. 4.)

VIII. *Commune* est, quod prodest multis. (Seneca l. de vita beata) *Qui se utilem ceteris facit, commune agit negotium, &c.* (S. Chrys. hom. 79.) *Nulla res Deo gratior, quàm ut universam vitam ad commune commodum conferas.*

IX. *Commune* est, quod ab omnibus fieri debet, aut solet. *Quæ communia non sunt, non sunt foris ostendenda.* (l. 1. imit. lc.) Sic & dicitur *communis* mos loquendi, quo utuntur communiter homines.

X. *Commune* est, quod opponitur privatæ sensualitati. (l. 3. imit. c. 54. §. 4.) *Natura amat propria & privata; gratia autem pia est, & communis, vitat singularia.* In hoc sensu à communitate excluditur singularitas, quæ à S. Bernardo numeratur inter filias superbiæ.

XI. *Commune* est, in quo, seu ad quod multi habent

habent jus justitiæ ad utendum, vel insuper fruendum. Sic dicitur *commune* pratum, silva, pons, navis, fluvius, &c.

XII. *Commune* dicitur, in cujus participatione saltem habituali, vel quoad usum, usum-fructum, aut saltem usum-facti, aliamve aliquam attinentiam ita singuli includuntur, ut nullus saltem quoad actum primum excludatur. (Sap. 7.) *Accepi communem aërem.* (2. Mach. 9.) *pro communi utilitate.* (Actuum 4.) *Erant illis omnia communia.* Hæc significatio præsenti materiæ accommodatur. De qua proinde sit

CAPUT II.

De Natura & Origine vitæ communis.

QUæres 1. Quæ sit *vita communis?* R. 1. *S. Basilius* Constit. monast. c. 9. eleganti eam encomio depingit ac describit, dicens: *Perfectissimam ego illam vitæ communionem appello, à qua omnis propria & privata cujuslibet rei possessio exclusa est: à qua abest omnis dissensio, omnis perturbatio, & rixæ, sed omnia sunt communia, animi, mentes, corpora, eaque quibus necessariò ad cultum & victum utimur, &c. --- Huic vitæ instituto quid est tandem, quod jure æquiparari possit? quid beatius dici? quid hac conjunctione, & unitate aptius?* h. l.

R. 2. Ex constit. PP. Discalc. p. 1. c. 14. ubi particulariùs sic describitur: *Declaramus vitam communem Regularium esse, cùm ex communi-*

munibus officinis res necessariæ, superioris concessu, singulis ad usum tribuuntur; nec privatim aliquis quidquam possidet, sed statim, ac eo, quo utebatur, non indiget, in communes officinas refert. Hanc ergò communis vitæ rationem universi, tam Prælati, quàm subditi perfectè sequantur, non personarum, sed solius necessitatis modum attendentes. --- Communis vitæ ratio regulari vitæ juxta nostrum institutum conjungi debet, ut inter nos, more nascentis Ecclesiæ NB. sit cor unum, & anima una. Res etiam externas & actus oportet esse communes. h. i. De hac

Q. 2. Unde ortum habeat hæc communis vita? R. 1. Cùm comm. DD. quòd principiativè promanet à Spiritu S. utpote, quô, die sancto Pentecostes illabente, afflante, ac erudiente, *B. V. M. Mater JESU*, Sancti Apostoli, aliique Christi discipuli, ac mulieres (Act. 4.) hujus vitæ viam elegerunt. Proinde

R. 2. Quòd practicè originem trahat dicta vivendi communitas à prætata sancta fidelium communitate; cujus membra præcipua erant *B. V. M.* & SS. Apostoli: Unde & meritò à SS. DD. vocatur *Vita Apostolica.* Hujus norma l. c. sic describitur: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una. Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia. --- Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes adferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.*

rum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. h. i.

R. 3. Hæc vita meretur dici angelica (ut ait *P. Hyacinthus de Casal. Caput.* in Tract. aureo de paupertate religiosa p. 2. c. 1.) Ratio est, quia etiam Angeli Beati omnia communiter in Deo possident, tamquam primo principio, & ultimo fine, privatum bonum nec habent, nec avent, nec sitire possunt. Ex quo etiam capite concludit *Doctor Subtilis*, quòd actus dilectionis Dei in creatura esset inordinatus, si affectu excluderet con-diligentes commune objectum beatificum. De quo hinc *Glossa* in principio primi voluminis Concil. in verba præsit. *erant illis omnia communia*, scitè ait: *Nota ex hoc decreto fundatam Apostolicam vitam & conversationem omnium Religiosorum, vitam Beatorum in patria, ubi omnia sunt communia, imitantium.* h. i. Et *Ven. Beda* cit. à S Bonav. in apologia pauperum, confirmat his verbis: *Qui ita vivunt, ut sint eis omnia communia, cœnobitæ vocantur: qua vita tantò felicior est, quantò statum futuri sæculi imitatur, ubi sunt omnia communia.* h. i. Ex his

R. 4. Regulares vitæ communitatem servantes implent illud Christi præceptum: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* (Matth. 5. 48.) Nam perfectio summa naturæ divinæ est, quòd habeat in unitate communitatem (non universalitatem, quia non multiplicatur in tribus.) Hanc unitatem orando suis optabat Christus Dominus: *Pater, serva eos in nomine tuo, ut sint unum, sicut nos*: unum in natura,

voluntate, intentione; est illis commune velle, nolle, vivere, esse, &c. *Bonum unum quò communius, eò divinius*, ajebat D. Theresia à JESU. Ex his.

R. 5. Cum *H. Casal.* quòd in monasteriis bene ordinatis, in quibus regularis paupertas, & communitas ad amussim observatur, velut in paradiso quodam terrestri degatur: & incolæ ejus Angelis per omnia assimilentur. Cùm è converso, monasterium carens sancta unitate, & communi charitate, sit propè inferni vestibulum dicendum.

CAPUT III.

De Constituentibus vitam communem Regularem.

Q. 1. Quæ & quot quasi formaliter constituentia requirantur, ut sit, & verè dici possit vita communis. R. 1. Quòd illa exactè recenseat noster *P. Silvester Bartolucius Assisias Franciscanus Conventualis*, Provinciæ *S. P. N. Francisci* quondam Minister Provincialis: qui jussu R dmi P. *Generalis Jacobi de Bagna Cavallo* scripsit Minoricam Conventualium *S. Francisci*, distinctam in duos libros, in quorum uno tractat de votis, in altero de Regula. Hic l. 1. §. 42. ex Joanne Petro Barcho Mantuano in suo speculo religioso de voto paupertatis, sic respondet ad quæstionem. *Vivere in communi est vivere in vera paupertate, & de manibus Prælati sincerè recipere, quidquid opus est, cuique ad suæ vitæ sustentationem, puta victum,*

victum, vestitum, cellam, mobilia, utensilia, & hujusmodi res: & æquo animo retinere, recipere, & resignare totum, quod per manus obedientiæ ad ipsum Religiosum pervenerit. Insuper non affectuosè cupere facultates, libellos, vel quæcumque alia, quæ auctoritate peculiari à parentibus, propinquis, amicis, vel aliis exigantur; sed curare, ut directè omnia ad manus obedientiæ perveniant, & notentur in libro, ubi alii reditus Monasterii in dies describuntur, & non nomine ipsius, & in communem cedant utilitatem, absque eo, quod habeatur ratio particularis eorum, quibus ea bona quovis modo obveniunt. Et quòd vestes laneæ sive lineæ, aut cujusvis generis in communi loco asserventur, & inde in singulas hebdomadas, menses, vel annos in usum cujusque distribuantur: quibus præficiantur aliqui, qui eas custodiant, excutiant, purgent, resarciant, ac renovent: & quòd nullus apud se habeat vestes, præter eas, quæ ad quotidianum usum necessaria sunt. Nullus dona ad se missa retineat, vel ad suum usum adhibeat, nisi conscio ac consentiente Superiore. Nullus apud se pecunias teneat, præter eum, cui bonorum communium administratio & cura committitur. Nullus item in cella ex vestibus, libris, aut suppellectili habeat aliquid in annum, eo amplius, quàm quod ad suum usum fuerit à Superiore concessum. Et denique, quòd communis sit omnium victus, communis mensa, communis vestitus, in communi aliquo loco solitus asservari. h. i.

NB. Monasteria paupertatem in communi professa, non indigent his omnibus, ut sit in illis perfecta seu exacta vitæ communitas regularis. Insuper ex his.

R. 2. *H. Casal.* ex aliis, quòd ad vitam perfectè communem sequentia sex quasi formaliter constituentia requirantur. I. Ut omnia bona sive mobilia, sive immobilia quæ quomodolibet etiam intuitu privati Religiosi Monasterio obveniunt, aut ab eo privata industria quovis modo comparantur, Superiori statim consignentur, ceteriſque Monasterii bonis, ex voluntate Superioris, ex nunc sic applicentur, incorporentur, confundantur, ut ex omnibus illis una moraliter massa (quantum natura & proportio rerum illarū patitur) exurgat.

II. Ut hæc per Officiales ad nutum Superioris deputandos, & amovibiles administrentur.

III. Ut per eosdem juxta cujusq; necessitatem, & Superioris voluntatem expendantur, & distribuantur. Hinc, licet bona Monasterii sint omnibus ejus Religiosis professis communia; nullus tamen ex iis quidquam sibi sumere, vel de eo disponere pro suo arbitrio potest. Quia non sunt ita omnib⁹ cōmunia, sicut prædium aliquod à pluribus communi pretio comparatum, & hinc æqualiter cum proportione possessum: sed ita solùm, ut cuique eorum juxta egentiam, congruentiam (cum proportione tamen, & reflexione ad illa, quæ particulares Ordinum Constitutiones considerandа præfigunt) distribui debeant. Unde, licèt possideantur à toto corpore, non tamen singula à singulis, nec partes à partibus (ut ajunt *Umbertus & Navarrus in Regulam D. Augustin*)

IV. Ut bona illa mobilia, seu res necessitatibus Religiosorum servientes in communibus officinis reponantur & conserventur à dictis Officialibus, seu communibus Custodibus (ut ait *S. August. in Regula.*)

V. Ut

V. Ut, quidquid post usum supereſt, v. g. in esculentis, poculentis; aut usui ulteriori pro nunc necesse non est, v. g. vestis, liber &c. communi officinæ restituatur; ne ullum peculiare jus in illam rem ullatenus prætendatur.

VI. Quod his verbis *S. Augustinus* requirit in Regula: *ut nullus sibi aliquid operetur; sed omnia opera vestra in unum fiant, majori studio & frequentiori alacritate, quàm si singuli vobis propria feceritis. Charitas enim, de qua scriptum est, quòd non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur: quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideò, quantò amplius rem communem quàm propriam curaveritis, tantò vos amplius proficere noveritis: ut in omnibus, quibus utitur transitoria necessitas, superemineat, quæ permanet charitas, h. i.*

Quæ. 2. An ergo singulorum religiosorum necessitatibus satisfiat *de non suo*. R. esp. affirm. cum *S. Bonav.* non tamen inde sequitur: ergo de alieno, prout evenit in furto; nam saltem bona illa possidentur à toto corpore communitatis, vel jure dominii &c. vel saltem licita habitione; prout evenit in monasteriis dominii incapacibus, apud quos ideò esse nequit possessio juris.

Quæ. 3. Quid sit *incorporare*. Respondet *H. Casal.* l. 1. c. 2. Clemens VIII. in speciali Bulla pro reformatione Regularium edita docet, *incorporare* idem esse ac miscere, seu simul confundere. Unde etiam dum in electionibus Superiorum Ordinis jubetur, ut schedulæ scriptæ suffragiorum *Confundantur*; sensus est, quem praxis ap-

probat, quòd misceri debeant ita, ut discerni nequeant.

Respondet 2. Bartoluc. lib. 1. §. 20. *Incorporatio quæ fit apud illos, apud quos viget communitas perfecta, fieri debet non solùm quantum ad proprietatem, usumfructum, & administrationem, sed etiam quantum ad usum. Et hinc intentio S. Concil. Trid. & Clem VIII. in decreto reformat. est, quòd provisio de necessariis ad sustentationem Religiosorum fieri debeat de massa illa confusa, constante tam ex communibus, quàm ex particularibus bonis. h. i.*

CAPUT IV.

De vita communitate, amata à singulis Ordinum primariorum Fundatoribus.

QUæres. 1. An modus iste vivendi in communi, sit ab omnibus Fundatoribus in suis ordinibus institutus. *Affirmat Trithemius*, singularis doctrinæ & pietatis vir, qui sic inquit: *Revolvamus omnium SS. PP. scripta, & regulas; & nusquam inveniemus Monacho peculium ullatenus permissum: omnes enim hoc vitium damnant, omnes monacho proprium prohibent, omnes in communi vivere, renuntiantes sæculo præcipiunt. h. i.*

De monachis quoque sui temporis *S. Gregorius Nazian.* & ipse monachus in speciali serm. ait: *Desiderabam videre sanctum illum psallentium chorum, NB. communem vitam sine communibus vitiis agentes, secretum verò non absque communi ducentes fraternitatis affectu: & quæ majora omnibus*

nibus, & clariora sunt, in paupertate divites, nihil habentes, & omnia possidentes: nihil in mundo habentes, & supra mundum viventes: quibus labor delicia, qui in carne positi extra carnem vivunt: quorum pars Dominus: propter regnum pauperes, & propter paupertatem reges. h. i.

Q. 2. Cujus potissimum Summi Pontificis auctoritate (post nascentis Ecclesiæ primordia aliqualiter interrupta) credatur resuscitata seu restituta vita communis Apostolica. R. Quòd *S. Urbani Papæ & Martyris*, qui ab anno 226. ad 233. 25. Maji rexit Ecclesiam. De quo in Monarchia nova Ecclesiastica SS. Petri & successorum ejus hæc leguntur. *Aves, volucres, lupus, & Agnus, feræ, mansueta animalia, quæ unà pascuntur in agro, & unà coeunt in caula, symbolum sunt vitæ communis, quæ nata in sæculo aureo, tempore renata Apostolico, diebus tandem pubescit Urbani, qui ad similitudinem Solis voluit omnia esse communia.* Ibidem in Elogio. *Ante pedes Apostolorum non fuisset argentum, si abfuisset vita communis. Ecce, quàm bonum, habitare Fratres in unum! Urbano hoc dedit inopia, quòd pauperum fecerit patrimonium ... Bonis in communi positis, vita resurgit Apostolica &c.*

Q. 3. Quid de S. communitate *S. August.* in sua Regula. R. Multoties inibi facit mentionem ejus, v. g. c. 1. & 8. dum prohibet, *ne quis verbo dicat, ista res est mea. Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Item præcipit, ut ex eodem penu & vivant & vestiantur, ut omnia mobilia in communitate serventur: ut

omnis

omnis labor in commune vertatur commodum, non autem alicujus particularis. Et si quid alicui à parentibus tribuatur, debet reponi in massa communi, & à Prælato in necessitate distribui, &c. Hæc Regula ferè prima inter alias cœnobiticas; quam proinde Ecclesia vocat *Apostolicam*; Pius V. *divinam*; Navarrus *aliis regulis altiorem & digniorem*, Hyacinthus Donatus *cæteris Regulis præstantiorem*: Joannes insuper Maubornus in suo Roseto: *Non est talis regula inter regulas universas, sicut Regula S. Augustini: excedit, ab authoris conditione, exemplaris perfectione, temporis antiquitate, mandatorum discretione, & spiritualitate. h. i.* Et ipse Magnus S. Augustinus apparens S. Norberto ajebat: *Ecce! habes Regulam, quam ego conscripsi: sub qua si benè militaverint confratres tui, filii mei, adstabunt securi in extremi judicii die.*

Quæ. 4. Quid *S. Benedictus* in Regula de S. communitate. R. multoties in hac agitur de illa. Postquam enim *S. P. Benedictus* docuerat, debere ante omnia vitium proprietatis à Monachis radicitus amputari, ita ut non præsumant aliquid dare, aut accipere sine jussione Abbatis, neque aliquid habere proprium; addit, eos omnia necessaria; Patre monasterii sperare debere; ita ut non liceat eis quidquam habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit; *cùm omnia sint omnibus communia, &c.*

Q. 5. Quid de S. communitate in aliis Ordinum mendicantium Regulis. R. 1. à *S. Alberto* in Regula PP. Carmelitis sic præcipitur: *Nullus*

Fra-

Fratrum aliquid proprium sibi esse dicat : sed sint vobis omnia communia : & distribuatur unicuique per manum Prioris, vel per Fratrem ab eodem ad id officium deputatum, prout cuiq; opus erit &c.

Rr. 2. *PP. Carthusiani*, qui non habent aliam Regulam, quam statuta propria novæ collectionis (primitùs sub *S P. Brunone*, & *Guigone* non habebant nisi sanctas consuetudines propagatas ad successores) rigorosissimè servant in religiosa paupertate vitam communem; hinc p. 1. stat. c. 19. præcipitur eis in illis districtè, ut omnia qualitercumque obvenientia, seu donationes, seu eleemosynæ, quantumvis intuitu privati Monachi, à privato factæ, incorporentur monasterio & mensæ communi. Cujus S. communitatis stabili conservationi, illi & temporalem, & spiritalem hanc adscribunt supernam benedictionem; de qua *Servatius in optica* spec. 46. *Angelica hæc Religio* Carthusianorum *pristinum vigorem non relaxavit, quia vitam communem semper retinuit. h. i.* De qua & alibi in hoc libro.

Resp. 3 S. Birgitta c 2. Regl. vult omnia necessaria exspectari ab Abbatissa, scil. vestitus, lectisternia, operis instrumenta, & alia hujusmodi &c. & Moniales, quæ non sunt in officio, prohibet pecuniam tenere; immò nec permittit quidem obolum attrectare manibus.

Resp. 4. PP. Societatis Jesu (de quibus non mentitur, qui dicit evangelicum illud : qui erant novissimi, facti sunt primi) omnia omninò habent in communi, modo exacto, immò perfectissimo; prout videre licet in Summario Constitut.

item

item Regulis communibus, & particularibus conditis pro dicta S. Societ. membris, seu Sociis.

Resp. 5. De PP. Theatinis Clericis regularibus S. Pauli, dictis *Barnabitis*, item *PP. Oratoribus*, & si quæ sint aliæ novæ approbatæ Communitates Regularium utriusque sexus, constat firmiter, ipsos propriis institutis ad vitam communem obligari.

CAPUT V.

De vita communitate præcepta in aliorum Fundatorum Regulis.

QUÆ. 1. Quid alii minùs noti Ordinum Fundatores præceperint in suis Regulis ratione S. communitatis.

Resp. 1. *S. Cæsarius* in sua Regula §. 2. hæc habet formalia: *sint vobis omnia communia.*

Resp. 2. *S. Ferreolus* in sua Regula cap. 10. sic præcipit: *Nullus Monachorum aliquid sibi proprium, absque societate fratrum, audeat vindicare... Quidquid rerum secum detulerit... statim cognoscat omnia in communionem transisse: & hoc tantùm judicet proprium, quidquid cum fratribus possederit indivisum. h. i.*

Resp. 3. Regula *Monasterii Tarnatensis* c. 14. ita jubet: *oportet, ut in domo Dei unanimes habitetis: & sit vobis anima una, & cor unum in timore Dei pervigilans: nihilque habere vos proprium reputetis, sed sint vobis cuncta communia. h. i.*

Resp. 4. Regula *S. Isidori* c. 5. hoc mandat quoque

que his verbis : *Monachi in communi viventes nihil peculiare sibi facere audeant. Si quid à parentibus vel extraneis Monacho collatum fuerit, non erit jure privatæ rei habendum, sed in potestate Abbatis in commune redactum, cui necesse erit, præbeatur. Monachus enim quidquid quomodocumq; acquirit, non sibi sed monasterio acquirit. h. i.*

Resp. 5. *S. Donatus* in sua Regula idipsum Monialibus severissimè inculcat, dicens c. 8. *Hoc vitium radicitus amputandum est de monasterio, ut nulla præsumat aliquid proprium habere, nec quidquam dare, aut accipere, vel tenere sine jussione matris. Nec quidquam habere liceat, quod illa non dederit, aut permiserit, omniaque omnibus sint communia &c.* & c. 9, *Nemo sanè cujuslibet operis vel artificii pro libito quidquam sine jussione eligat faciendum; sed quod faciunt, in commune faciant, tam sancto studio, & tam ferventi alacritate, quasi sibi ipsis fecerint: & quod faciunt, matri præsentent; & illa, cui opus fuerit, dispenset. h. i.*

Q. 2. Quid de S. communitate hac præcipiant Ordinum variorum variæ (sed in hoc uniformes) constitutiones. Resp. 1. ad servandam hanc communitatem, præcipitur in constit: Urban. Fratribus Minoribus Conventualibus, ut omnia quomodolibet necessaria ipsis suppeditentur (disponente *Superiore*) per manus Officialium Conventus, &c. Item iisdem rigorosè inhibetur, ne apud se ullo modo pecuniã retineãt, quantumvis Superiore (sive ex insciția, sive ex malitia) consentiente: sed statim infra 24. horarum spatium

eam

eam Superiori tradere, & resignare teneantur, Conventui incorporandam, confundendam; prout propriis Constit. mem. Urbanis illis præscribitur.

Resp. 2. in Constit. *PP. Carmelit.* p. 1. c. 10. ita statuitur cum præcipua charitatis discretione. *Omnia inter nos volumus ita esse communia; ut non tantùm necessaria cuilibet à Conventu suppeditentur, verùm inter Conventus nostræ Provinciæ & reformationis tanta charitas intercedat, & bonorum communitas, ut pauper Conventus à ditiore juvetur, juxta Superioris ordinationem, & Conventuum facultatem. h. i.*

Resp. 3. Constitut. *PP. Discalc.* c. de vita communi; hanc maximè attollunt, & severè præcipiunt his verbis: *Quia communis vita fundamentum est paupertatis, & vinculum regularis observantiæ; Prælatis omnibus severè arctèque præcipimus, ne suis subditis quidquam denegent ex iis, quæ ad victum, & vestitum, libros, medicinas, aut aliud quodcumque necessarium spectant. h. i.* His conformiter sonant aliæ aliorum Ordinum constitutiones, vitam communem semper arctiùs urgentes; ne, hac repudiata, dispergantur animi subditorum ad providendum sibi de loculis, aliisque vitæ necessariis; quibus dum illicitè studiosiùs vacant, vitam regularem lacerant, & damnum vix reparabile inducentes, matrem suã religionem de securiore perfectionis gradu deturbare impiè conantur. Resp. 3. *Reverendi DD. Fratrenses* (quorum Collegia habentur Coloniæ,

Mona-

Monasterii, Wesaliæ) vovent in statutis suis vitam castam, communem, & concordem.

CAP. VI.

De Decreto S. Concilii Trident. & Summorum Pontificum, circa vitam communem.

QUæres 1. quid S. Concil. Trid. præceperit Regularibus quoad observantiam vitæ communis. *Resp.* 1. Concil. Trid. ad restituendam vitam communem propè apud aliquos Regulares extinctam, sess. 25. c. 1. *hoc decreto præcipit, ut omnes Regulares tam viri quàm mulieres, ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant & componant: atque inprimis quæ ad suæ professionis perfectionem, ùt obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ aliæ sunt alicujus Regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum respectivè essentiam,* NB. *nec non ad communem vitam, victum & vestitum observanda, pertinentia, fideliter observent. h. l.*

Jubetque omnem curam & diligentiam à Superioribus Regularibus adhiberi tam intra quàm extra Capitula Generalia, ac Provincialia, ut ab his non recedatur.

Insuper c. 2. præscribit modum servandi *vitam communem* apud Regulares: Qui in decreto S. Congregat. visitat. apost. nostris constitutionibus Urbanis inserto habetur plenius & expressius digestus.

Præterea c. 22. *hortatur etiam S. Sypodus om-*

nes Reges, Principes, Respublicas, & Magistratus, & in virtute S. obedientiæ præcipit, ut velint prædictis Episcopis, Abbatibus, Generalibus, & ceteris Præfectis pro superiùs contentæ reformationis executione suum auxilium & authoritatem interponere, quoties fuerint requisiti; ut sine ullo impedimento præmissa rectè exequantur ad laudem Dei omnipotentis, h. 1.

Hoc autem decretum Concilii quoad hanc materiam esse præceptivum, & non solius consilii, indubitatum est apud omnes sanæ mentis & doctrinæ authores: ad quod proinde recipiendũ, omnes regulares (per se loquendo) sub gravi culpa obligantũr: prout ex comm. probat *H. Casal.* Qui tamen notat cum *Rodrigues* p. 2. c. 7. quòd vita communis non sit essentialiter & intrinsecè necessaria observantiæ præcisæ voti paupertatis; adeoque (absolutè loquendo) essentialis observantia hujus sine observantia vitæ communis possit consistere, ita, ut religiosus possit habere quædam bona mobilia vel immobilia cum licentia Superioris, manente salva voti paupertatis essentia, quippe quæ in abdicatione proprietatis, vel saltem liberæ independentisque dispositionis, consistit. sed.

Q. 2. An æqua, rationabilis, & justa sit quorumdam Religiosorum tùm subditorum, tum Superiorum exceptio, excusatio, vel potiùs subterfugium, quô prætendunt, & dicunt, decretum cit. Concil. Trid. non esse usu receptum, ideoque non obligare.

Resp. 1. *H. Casal.* lc. c. 9. negativè. Ratio est;

est; quia obligatio legis à consensu vel acceptatione populi non dependet (ut passim DD.) nam populi contradictio contra positivè stantem, ac permanentem Principis voluntatem obligandi, planè nihil operatur, immò exaggerat culpam ratione hujus adjunctæ contumaciæ, neglectûs, seu potiùs interpretativi contemptûs (dummodo adsit moralis possibilitas implendæ legis). Et, si hoc locum habeat in legibus Principum sæcularium, qui à populo (saltem originaliter, & mediatè) gubernandi potestatem acceperunt; quantò magis locum habebit in Constitutionibus summi Pontificis, qui nec à populo, nec à corpore Ecclesiæ, nec cœtu DD. Cardinalium, sed immediatè à Christo Domino tamquam Generalis Vicarius ejus, potestatem accepit? Ideoque quoties leges Pontificiæ sunt justæ, & rationabiles (quod semper præsumendum est, nisi in casu ex aliquo accidenti constet evidenter de contrario) semper vim obligandi habitualem retinent, immò & actualem in tantum, in quantum acceptari debent, dummodo legitimè promulgentur, & vis obligandi ritè cordi sumatur. Et hæc intellige de Decretis reformationis universalis. *Ex eodem, & aliis DD.*

R. 2 Si Summus Pontifex neglectum positivũ, & non observantiam suarum legum sciret, & positivè dissimularet, eò ipsò legum suarum obligationem suspenderet, aut revocaret interpretativè. Sed tantum abest, hoc ullum ex illis fecisse; ut potiùs omni conatu, & nova ingenti solicitudine successoros priorum Pontificum se opposuerint

rint talibus neglectoribus, & observantiam decretorum tam suorum, quàm prædecessorum indefessè exegerint, videntes quotidie, novas inordinationes gravissimas subpullulare & ingravescere ex vitæ communis neglectu, tam in detrimentum ipsarummet religionum, quàm scandalum ingens fidelium, & hinc justum planctum S. Matris Ecclesiæ. Quod magis patebit ex sequentibus.

Resp. 3. Si Summus Pontifex post S. Concil. Trid. speciales constitutiones alicujus Ordinis vel condat, vel confirmet, proculdubio secundùm illas religiosi illi vivere debent.

Q. 3. quæ ergò mens Summorum Pontificum de obligatione Religiosorum vivendi in communi. R. 1. *ex H. Casal.* quòd Clemens VIII. ut ingentem suum zelum paternum, operosamque industriam ostenderet, quamlibet Religionem secundùm Concil. Trid. præscriptum, ad antiquam vitæ communis observantiam reducendi, duplex edidit decretum, primum quidem 1599. 20. Junii, quo prohibuit, ne quisquam sive mendicantium, sive aliorum de novo ad religionem admitteretur, nisi in monasteriis à se specialiter designatis (illa autem erant, in quibus vita communis exactè servabatur) quoad usque certa quædam monasteria deputarentur, in quibus religiosi reformationem reciperent, & secundùm præscriptum regulæ suæ vitam instituerēt. *Secundum* verò edidit 1602. 19. Maji, quô formam præscribit, conditionemque præfigit, Novitios ad habitum & professionem admittendi, ad regulæ observantiā,

com-

compellendi, & non ultra competentem numerum recipiendi, ne hoc modo peculiis occasio detur, cum relaxatione vitæ communis.

Paulus V. etiam speciale decretum edidit (relatum ab *H. Casal.*) in quo jubet Monasteriorum redditus, aut ex eleemosynis obventiones supputari, ut secundùm proportionem ad illa, certus determinatus solùm numerus recipiatur, qui congruè cum observantia vitæ comunis ali possit. Ante hos

Pius V, eumdem zelum duabus constitutionibus testatus fuit, prima incipit *Illa nos &c.* Secunda *Ad extirpandos &c.* Insuper Paulus V. cit. (qui Clementis VIII. decreta typis mandari jussit) numquam indulgere voluit, ut Religiosi Seminaria, aut Novitiatus erigerent, nisi in iis locis, in quibus servatur vita communis. Et cùm quidam Prælati difficultates ei suggererent ad ejusmodi vitam introducendam; non aliter respondere consueverat, quàm se tempore illarum difficultatum (si veritate nixæ fuerint) loco vitæ communis, depositum tamquam præambulum quoddam, aut dispositionem ad vitam communē perfectè introducendā indulgere. *De quo & Bartoluc. infra.* Sed, *cùm negligentiùs agerent Præpositi Ecclesiæ* (S. Aug. in c. 11. Matth.) *venit diabolus*, & hanc præambulam dispositionem multipliciter infecit, corrupit, depravavit; formam insuper principalem, seu *terminum ad quem*, fraudulenter hucusque cum multarum animarum dispendio, in multis religionibus impedivit, & hodiedum adhuc impedire conatur.

CAPUT VII.

De variis Decretis & Declarationibus S. Congregationis Cardinalium circa vitæ communis observantiam.

Q. 1. quæ sint speciales Declarationes, seu Decreta S. Congregationis Cardinal. circa vitæ communitatem servandam R. 1. Unum adducit *H. Casal. ex Quaranta*, alii alia ex aliis Authoribus; De quibus hic sileo.

R. 2. Decretum S. Congregationis Apostolicæ visitationis, quod specialiter de mandato S.D. Urbani VIII. examinatum per plures Sessiones, & tandem die veneris 13. Julii 1627. cum omnibus in eo contentis probatum, nostrisque constitutionibus insertum fuit, continet omnia ad amussim, requisita ad vitam sic communem, perfectionē, & sanctitatem. Cujus proinde Decreti sanctissimi *purā, & omnimodā observantiā* ab omnibus constitutiones nostræ exigunt, & exspectant. vide ibi.

R. 3. Aliud Decretum S. Congreg. *super statu Regularium*, de mandato S.D. Innocentii X. emanavit 1654. 5. Novembris, Romæ, specialiter pro Regularibus intra fines Italiæ, (quod obligat, ubi est receptum, & non revocatum.) In quâ inter alia habentur hæc verba: *In Conventibus tam pro primo, quàm pro secundo Novitiatu assignatis non collocentur nisi Religiosi graves, devoti, exemplares, & regularis observantiæ, ac puritatis Regulæ studiosi. Præcipuè verò caveatur, ne ibi ponatur aliquis qui non consentiat servare vitā communem, quæ in prædictis Conventibus ad Regulæ præscriptum exactè observetur: indeque amo-*

movean-

veantur, qui tam sanctæ ordinationi contradicere, aut quoquo modo se opponere ausi fuerint. h. i.

R. 4. 1695. 18 Julij emanavit aliud decretum à .Cong. *super disciplina Regulari* specialiter deputata, authoritate & jussu S.D.N. Innocētii Papæ XII. nunc felicissimi gubernacula Ecclesiæ tenentis, cum Regularium Ordinum maximo provectu. In quo (intra fines Italiæ &c.) inhibetur quoque ulterior receptio Novitiorum, nisi sub conditione *vitæ exactè communis* servandæ. In eodem Decreto etiam plura præscribuntur Superioribus, pro vitæ communis faciliore introductione, & stabiliore conservatione. &c.

R. 5. Item ab eodem SS. D.N. Innocentio XII. hoc an. 1698. 4. Augusti confirmata, seu noviter erecta fuit Congregatio super disciplina Regulari; cui authoritas data *potissimum exactæ vitæ communis observatiam promovendi*-- & inhibendi, ne Conventus--quovis modo institui contingat, *nisi in quibus eadem vita communis perpetuò & exactè servari valeat.*

Q. 2. Unde veniat, quòd hodiedum inveniantur Religiosi, qui cordi non sumant Decreta S. Concil. Trid. Summorum Pont. & S. Congregat. proinde vitam communem parũ aut nil curent.

R. id 1. in aliquibus fortè provenire, quia charitate frigidi, & oculô sani judicii per amorem inordinatum pecuniarum excæcati, non curant, sed suspendunt, retracti antiqua vivendi methodo, ac radicato habitu; proinde non minùs timent ac dolent de peculii seu depositi amissione, ac de viventis digiti à manu abscissione. 2. quia cordi non sumunt hanc obligatio-

nem, exemplô aliorum tam intra quàm extra Religionem ſuam abducti & abſtracti. 3. alii totum onus in humeros Superiorũ conjiciunt; qui ſi inciperent efficacirer verbo pariter & exemplo ſe & alios reformare, ipſis quoque obſequerentur & parêrent, quamvis alioquin debilis ex ſe ſint promptitudinis. 4. Multi ſimplices nullam circa hoc obligationem agnoſcunt (quamvis ſubinde quæſtiones de hoc audiant moveri à Regularibus, quas tamen ipſi ad ſcholas remittunt) ſed conſuetũ hucuſq; in Ordine relaxatũ vivendi modũ quaſi pro Regula tenentes, ad ulteriora ſe non reflectunt. 5. Inſuper in aliquibus (qui tamẽ inexcuſabiles ſunt, ſi tamen tales ûllibi ſint) videre eſt, quod in apoſtatis à fide vera presbyteris; qui quãvis agnoſcãt ſe lumẽ veræ fidei deſeruiſſe; attamẽ, quia pronũc putant ſibi bene eſſe cum liberis ſuis, & xorib⁹ putatitiis ſibi ſacrilego fœdere junctis, quaſi excordes, curæq; omnis circa futura Dei judicia expertes, brutaliter & damnabiliter vivere pergunt, computreſcunt, obdureſcunt. NB. Quidquid ſit de his omnibus; *unuſquiſq;* quidẽ *onus ſuũ portabit*: at, dum exiguo conceditur miſericordia pro ſua ignorantia, aut incuria, Prælati horrendũ ſubibunt judiciũ ratione ſuæ incuriæ, omiſſionis, ac negligẽtiæ, ſi deſperatè vixerũt, ſi oves reducere non curaverunt; quarũ proinde ſanguis de manibus eorũ requiretur tunc, cùm Ordinum ſancti Fundatores ſtabunt contra eos accuſatores ante tremendum tribunal *D. N. Jeſu Chriſti.*

6. Tandẽ aliqui nimia puſillanimitate, & exigua de divino adjutorio confidentia abſterriti, impoſſibile arbitrantur abrogatu, quod radicatũ

vident

vident tam firmo habitu; virium suarum soli tenuitati insistentes, & juxta illam pondus operis hujus metientes.

Hi omnes dum excusationis velamen prætendunt, æquè verè & facilè dicerent, *nolumus*, dum dicunt, *non possumus*: proinde illis adapta evangelicum illud: *nolebant venire*; quia seipsos nimium amantes, aut nimis pro deficientia necessariorum in senio metuentes, maximam necessitatem, utilitatem, honestatem, jucunditatem, facilitatemque vitæ communis minimè pensant. De quibus in sequentibus

CAPUT VIII.

De multiplici utilitate vitæ regulariter communis.

REgularis vitæ communitati verissimè congruit dictum Apostoli, 1. Tim. 4.8. *Ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Nam revera & corporaliter & spiritualiter, temporaliter & æternaliter benedicuntur à Deo singulariter Religiosi, vitæ communitatem ritè & piè observantes; cujus fructus multiplices qui non gustant, ignorant; & qui ignorant, non curant, sed nauseant, allia Ægypti, cælicæ escæ, quam dedit divina providentia, fatuè præponentes. De felicitate communitatis religiosæ vide infra C. 23. pronunc.

Q. 1. Quot sint fructus quasi corporales, seu temporales vitæ communis. *R.* Ex *Lessio, Lugone, Plato, Rodericio, Julio Nigronio*, aliisque & Theologis, & Ascetis, quòd inter plures hi non sint minimi. 1. Est exoneratio multiplicium curarum,

ac desideriorum, quibus alioquin animus circa temporalia distenditur, fatigatur, ac sæpe circa spiritalia obstupescit. Et hoc verè, temporalis felicitatis non modicæ, immo aliqualis beatitudinis genus est, *procul esse negotiis ac curis*, teste *Seneca* l. de vita beata. 2. Plùs ordinatus temporalium usus. 3. Vita tranquillior. 4 Somnus quietior. 5. Sanitatis prorogatio per vitam ordinatiorem, quæ viget ibi, ubi viget communitas. 6. Omnes occupantur competente sibi laboritio. 7. Majora obsequia fraternitatis ad invicem, ad infirmos, senes, debiles. 8. Uberior compassio & subventio ad externos proximos egentes. 9. Plùs urbana & humana conversatio cum illis. 10. Favor Principum, Magnatum, aliorumque patronorum affulget illis amplior. 11. Profusionibus eleëmosynis præveniuntur tales Religiosi à Deo per beneficentiam Christi fidelium: immo & acatholici teneriùs afficiuntur ad illos. 12. Major nitor exterior, & decor in claustro, dormitorio, cellis, Ecclesia, munditia in refectorio; melior cultus horti officinarumque communium communi usui servientium amplior honestas. 13. Religiosior compositio in externis motibus, gestibus, & totius cultu corporis. 14. In publica annonæ caritate solet interdum (ex divina providentia paterna singulari) apud religiosos pauperes vitæ communitatem exactam servantes, esse abundantia in victualibus, etiam hisce temporibus; ut proinde experientia certa comprobet, plebeios pauperes subinde ampliùs ab hisce Religiosis Christi pauperibus, quàm à sæculi divitibus pa-

sci

sci & sustentari. *Date, & dabitur vobis. Centuplum recipient in hac vita, & post hanc, vitam æternam.*

Q. 2, Qui, & quot sint fructus spiritales vitæ communis. *R.* cum præcit. DD. & aliis, quòd inter plures alios maximè notabiles sint sequentes. I. Ubi est regularis vitæ communitas, ibi est dilectio Dei sine fastidio. II. Dilectio proximi sine æmulatione. III. Serius fervor in opere Dei. IV. Major filialis confidentia in divina providentia. V. Resignatio in omne divinum beneplacitum. VI. Contemptus mundi, omniumque divitiarum, & voluptatum sæculi. VII. Sanctum odium sui. VIII. Magis seria supplantatio diaboli. IX. Certamen forte cum vitiis. X. Progressus strenuus in virtutibus. XI. Ferventior meditatio, & recollectio. XII. Totalis immutatio, & emendatio hominis interni. XIII. Cordialis omnium affectuum translatio, ac applicatio ad illa, quæ Deo sunt placita: studiumque de homine interno de die in diem renovando. XIV. Silentium in patientia sine murmuratione. XV. Temporis fructuosa insumptio. XVI. Devotus amor ac desiderium mortis. XVII. Lucrum animarum copiosius; ad quas lucrandum quis fit instrumentum aptius & utilius Domino. XVIII. Vigent ibi quoque sapidæ scientiæ, matura judicia, sana consilia, &c. XIX. Verbum Dei ibi prædicatur sine fuco, sine fœnore, sine lucro, sine quæstu pecuniarum (non tamen animarum.) XX. Ibi animorum concordia, intentionum unanimitas, voluntatum sancta simultas. XXI. Ibi prompta, sancta, studiosa, ac fervens obedientiæ religiosæ

gioſæ ſimplicitas. XXII. Ibi amatur vera ac medullata religioſa perfectio; ad quam & omnes contendunt tamquam ad ſcopum vocationis religioſæ. XXIII. Ibi Religioſus tyro proficiens fit gaudium ſuorum conſociorum, gloriatio ſuorum inſtructorum, ſublevatio ſuorum Superiorum, gemmaque & decus ſuæ Religionis. Cùm è contra in religione carente hac communitate, Superiores & Inſtructores ſæpe juſtè timeant religionis ignominiam, ſuam, ſuorumque confuſionem ex juventute relicta inculta.

XXIV. Ibi Religioſi fideliter & devotè laborant pro honore ſui ordinis, decore, & conſervatione, tam in literarum notitia, quàm vitæ exemplaritate. XXV. Ibi bene inter ſe, & apud extraneos loquuntur de ſua Religione tamquam de pia matre, quam filialiter amant; utpote cujus ſanctis inſtitutis enutriuntur, & ad chariſmata altiora indies provehuntur. XXVI. Concionatores ad cor loquentes, Confeſſarios quoque putorem peccatorum à fœtentibus cordibus extrahentes ſecuriùs quæris apud Religioſos vitæ communitatem ſectantes. Rarò enim qui reſpicit tuam burſam, (ajebat *S. Philip. Nerius*) ſincerè quærit tuam animam. Auribus prurientes, ſed corda non tangentes, nec lucrantes, ſunt Concionatores ſeipſos quærentes, non animas; lucrum proprium, non animarum; ſuum temporale intereſſe, non aliis prodeſſe. XXVII. Conſervatio & perpetuatio Religionum. Nam *Carthuſiani* attribuunt vitæ communitati ſtabiliter ſervatæ, & ſolitudinis rigori, quòd hucuſque in tali vigore & rigore Ordo eo-

rum

rum subsistens permanserit. XXVIII. Tandem mors securior, præparatio ad eam melior, exspectatio dulcior, præmiatio copiosior.

Crede piè Lector; hos fructus jam recensitos, & plures alios parit sancta communitas, cujus experientiam testantur viventes in ea. Quos tu etiam faciliùs credes, si damna multiplicia ex ejus defectu promanantia audieris, aut in te ipso expertus fueris. De quibus sit

CAPUT IX.

De damnis spiritalibus ex defectu communis vitæ sequi natis.

NB. PRæviè hic advertat benignus Lector, quòd, sicut in priori capite recensui fructus, quos S. vitæ communitas apta nata est párere; (licèt non illico fructus illi omnes enascántur in singulis vitæ communis membris.) ita & hic recensebo damna multifaria, quæ in religiosis nata est párere vitæ communis carentia; licèt non semper sequantur, aut supponantur in eis, vel ex religiosorum timore sancto, sedulitate, strenuitate, ferventique voluntate, quæ, præveniendo, resistit omni malo, & spiritale damnum præfocat.

Q. Quæ damna spiritalia sint *per se* sequi nata ex defectu vitæ communis & communis charitatis inter Religiosos. *R.* Ex libro magno Magni Abbatis Antonii, quòd potissimum hæc sequentia, quæ sunt sat multa, quamvis non forent alia.

1. De quo *S. Gregorius* in Registro: *Ubi peculia-*

rias

ritas à Monachis habetur, nec concordia, nec charitas in eadem congregatione potest permanere. Ubi verò nulla charitas, justè dixeris cœnobia esse tartara, & inhabitantes dæmonibus esse pejores. h. i. *H. Casal* mitiùs loquens dicit, *ejusmodi monasteria esse saltem inferni suburbia*, quia inter hæc, & infernum, solius mortis murus est medius.

II. Si charitas inter tales, vel exilis, vel solùm quæstuosa, id est, turpis lucri cupida sit, inde venit, quia ubi regnat *meum, tuum, suum*, frigidum illud verbum (juxta phrasin *S. Chrysost.*) ibi communiter friget charitas. Hinc

III. Ubi Sacramenta, aut sacramentalia dispensanda, interdum plus quæritur lucrum pecuniarum, quàm animarum; quod dum non speratur, rarò ad tales functiones spiritales subeundas ex puro amore Dei & proximi convolatur.

IV. Religiosi ibi fiunt vagi, impatientes claustralis solitudinis, & religiosæ quietis; cujus fructum nec gustant, nec avent, nec sciunt.

V. Conscientiarum maximus & continuus remorsus apud illos, qui peculia habentes, abundant in omni genere; cum interim alii ex eadem communitate fortè algeant, sitiant, egeant, & mœreant: quibus tamen illi minimè compatiuntur, corde obdurati, sibi satis propitii, aliis duri, contra *S. P. N. Francisci* exemplum, qui (teste *S. Bonav.*) *austerum se sibi, at humanum proximo* exhibebat. Hos arguit *S. Joannes* in epistola: qui viderit fratrem suum egere, & clauserit viscera sua ab eo, an in hoc charitas est? immo,

immo; sed talis, de qua dicitur in germanico proverbio:

Wo regieret mein und dein/
Da ist die Liebe kalt und klein.
Wo man sagt/diß ist mein/dein/
Da kan kein rechte Liebe seyn.

Quomodo hi subsistent ante tribunal D. N. Jesu Christi; qui, dum alii frigent seminudi in corpore, ipsi frigent charitatis defectu in corde?

VI. Ad divinum officium; meditationem, recollectionem, annua exercitia, vigiliasque nocturnas tepet affectus. Quia religiosus suæ privatæ pro se curæ relictus, non æstimat communem obedientiam ad divina vocantem officia. Immo & ipsum Superiorem suum (quod horrendum nimis & exitiale,) contemnit in corde suo dicens: quid curo illum? mihi nihil dat: Pater immitis, Pædagogus durus! verba ardent, charitas friget, affectus tepet, exempla claudicant.

VII. Ob defectum ejusdem S. communis charitatis, tepidè, frigidè, immisericorditer, immo reluctanter servitur infirmis, debilibus, senibus, hospitibus, advenis, fatigatis ex itinere, aut quæstuatione redeuntibus. Et, dum charitas erga hos non curatur, Christus exturbatur, ejusque benedictio ac gratia proscribitur.

VIII. Disciplina regularis ibi pederentim flaccescit, quamvis Superiores ejus observantiam urgeant, dum tamen interim corpora subditorum non curant. Immo aliqui interdum subditi magis exacerbantur, & efferatiores fiunt, dicentes: durum est, velle alios obligare, & corporalia subsidia

sidia interim immiti animo denegare. Hinc insuper inobedientiæ, rebelliones, factiones, conspirationes contra regulam, statuta, ac Superiores; rixæ, pugnæ, detractiones, invidiæ, odium, rancor, & id genus aliæ pestilitates sunt oriri natæ. De quibus vide experimentaliter discurrentem *S. Bonav. l. de sex alis Seraphim Alâ tertiâ.*

IX. Superiores ibi sine spe fructus decreta & ordinationes quamvis saluberrimas præscribunt, utpote quæ audiuntur, sed contemnuntur à subditis. Ut proinde gemat mater Religio, videns, & grave sentiens, quòd Filii Matris pugnent contra eam, immo opprimere & suffocare satagant. Quia fundamentum est ruinosum, quidquid superædificabitur, labetur, & causabit ruinam, ampliùs circumvastantem. Quotquot pereunt, ex hac mala potissimum radice pereunt: & qui damnantur, huic malæ radici damnationis suæ causam potissimum adscribunt, teste *Bartolucio in Minorica.*

X. Hæc pestifera radix nata est etiam generare gulam, luxuriam, partialitatem, proprietatem, superbiam, evagationem, vanam gloriam, hypocrisin, & adulationem, fraternamque invidentiam; dum alter hic vel ibi præ alio quærit favorem magnarum Dominorum, contemnitque confratres, traducit Superiores, suamque religionem inhonorat, sordidè quæstuando apud tales, quibus hic religiosus, ob morum suorum improbitatem, ac irreligiositatem meritò vilescit, ac vacuus recedit, & non nisi ignominiam, ac vilipensionem suæ personæ, ac sui ordinis domum reportat.

XI. Vix

XI. Vix possunt ibi quietè servire Deo; quia continua solicitudo circa procurationem necessariorum corporis, occupat cogitationes, & rapit affectus eorum: ita,ut, dum sub *Gloria Patri &c.* in choro inclinantes, vident lacerum habitum, magis cogitent de novo acquirendo, quàm de honore debito Deo deferendo, &c.

XII. Conscientiæ subditorum illaqueantur,& perplexæ fiunt, dum paupertatis votum illis exaggeratur; & interim egestas eorum non sublevatur; sed quisque sibi procurare dimittitur. *Porrò unum est necessarium*; quô neglectô, nihil est durare natum, aut maturescere.

XIII. Suspecta consortia adeuntur,honor religiosi, totiusque Religionis pessundatur: tempus malè impenditur, otio datur, ludi illiciti tractantur; & obinde concio, exhortatioque talis religiosi in Ecclesia meritò vilipenditur, dum præviè ejus vita despicitur.

XIV. Novitiorum tepida educatio,negligens instructio, remissa probatio. Ex quibus omne malum serpit tandem in religionem. Nam hi (ut advertit *S. Bonav.* in quæst. circa Regulam) adultiores facti, trahunt in suæ pravitatis regulam aliorum malè vivendi normam: & mala exempla, quæ vident in aliis, suffocant in ipsis devotionis scintillulam, & bonæ doctrinæ sementem. Plura alia lege apud S. *Bonav.* in duplici loco cit.

Ipsa experientia adnotata docebit adhuc plura.

CAPUT X.

De damnis temporalibus, seu quasi corporalibus, ex defectu communitatis sequi natis.

JUstô fit Dei Judiciô, ut, ubi apud Religiosos paupertas est mentis, seu egestas in spiritali vita, & virtutibus; etiam ad pœnam temporalem inflicta, eosdem premat misera ac sordida egestas corporis. Hinc bene dixit *Doctor Seraphicus* in l. de sex alis Seraphim: *Mirum non est, si temporalia ibi pessum eant, ubi spiritalia non curantur.* E contra, ait *Doctor Angelicus* opusc. 17. c. 16. *Cùm Dominus discipulos instituit, quòd nec argentum, nec aurum possideant, & quòd corda eorum non graventur curis huius mundi: & dimittentibus agros & domos propter nomen suum, præmia repromittit non solùm in futuro, sed & in hoc sæculo, ùt scilicet sint cum Apostolis nihil in hoc mundo habentes, & omnia possidentes.* h. i. Et *S. Hieron.* l. de viris illustribus: *Apparet, talem primam Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi nituntur, & cupiunt esse, ut nihil cuiquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper; & patrimonia egentibus dividantur.* h. i.

Q. Quænam sint potissimùm temporalia damna ex defectu communitatis, & communis charitatis communiter sequi nata. *R.* Quotidiana experientia docet, quòd sint sequentia. I. Communia communiter negliguntur, ubi privata

privata tam solicitè curantur, & sordidè quæruntur.

II. Communia bona à Monasterii Officialibus malè administrantur, dum quisque privatis magis invigilat lucris, & peculiis ampliandis.

III. Exigua munditia, aut honestas in choro, claustro, Ecclesia, Sacristia, refectorio, &c. quod signum probabile, non fallax immunditiæ subindè etiam internæ conscientiæ. Qui plùs cordi sumit privata, non curat communia, nullus ea ad se attinere arbitratur.

IV. Talibus colligentibus eleëmosynas, sæculares parciùs erogant (comparativè ad alios) & hoc sæpè animo illubenti; proindeque amittunt & eleëmosynam, & meritum. Ratio est; quia vitæ communis defectus, & privati lucri sordida quæsitio facit tales religiosos in mentibus sæcularium vilescere, dum intuentur eos exteriùs & interiùs incomposítos. E contra observantia vitæ communis, communisque charitatis facit regulatos, ideoque honoratos. Proinde (Deo sic providè disponente) évenit, ut obturentur corda, & retrahantur manus fidelium, ne dent, vel ut pareiùs dent, quasi arbitrantes, se id amisisse, aut malè impendisse, quod talibus dolent se dedisse. Dum interim quasi à Deo excitati, sponte, & non rogati copiosas aliis religiosis ad claustra ferunt eleëmosynas, confisi firmiter de eorum sanctis orationibus, & piis apud Deum intercessionibus, pro suis necessitatibus sublevandis, & culpis expiandis.

In his verificatur, quod l. 2. imit. c. 1. n. 2. di-

citur: *Cùm Christum habueris, dives es, & sufficit tibi: ipse erit provisor tuus, & fidelis NB. procurator in omnibus, ut non sit opus in hominibus sperare.* h. i. In his quoque verbum veritatis impletur, quod adpromisit, dum dixit: *Quærite ergo primùm regnum Dei, & justitiam ejus; & hæc omnia* (temporalia necessaria) *adjicientur vobis.* (Matth.6.33.) Iterum: *Hæc dicit Dominus Deus: ecce, servi mei comedent, & vos esurietis: ecce, servi mei bibent, & vos sitietis: ecce, servi mei lætabuntur, & vos confundemini, &c.* (Isaiæ 65. 13.) Et alibi: *Et nunc ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes! -- Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: irritũ fecistis pactum Levi -- propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas & accepistis faciem in lege.* Malach.2.9. h. i.

V. Forent multi patroni, & benefactores, qui possent, & vellent talibus religiosis bene facere, si scirent, quòd eleëmosynæ suæ, & beneficia communitati accrescerent, aut proficerent; at, quia vident, quòd uni soli accrescat, si quis benefacere intendat, qui nequit singulis seorsim benefacere; hinc con- & retrahunt manum suam, & charitatem non faciunt eis, apud quos charitatem non inveniunt.

VI. Dum plurimi sordidè egent exteriùs, ideoque facilè obmurmurant, id cedit in vituperium totius Religionis: quæ, dum in mente sæcularium vilùit, fructum prædicationis, ac boni exempli amittit.

VII. Dum per obedientiam tales religiosi elocantur,

cantur, cunctabundam videre est obedientiam; quia mox hæc cogitatio subditis subrepit: quid ibi potero lucrari? an ibi potero necessaria mihi conquirere? &c. Sicque perdunt & lucrum obedientiæ, & temporalis suppetentiæ. Nequit Superior à suis celerem exigere obedientiam, si subtraxerit subditis necessariam corporis sufficientiam.

VIII. Organœdi vices suas deplorant: mallentque se artis esse expertes, eò quòd claustro & organo affixi, exire & sibi de necessariis pro libitu providere nequeant. Et hæc duplex miseria est in religionibus, in quibus ex communi non providetur singulis egentibus.

CAPUT XI.

De variis aliis motivis, ad vitæ communitatem Religiosos excitantibus, &c.

I. PRovocant ad hoc laudabilia exempla aliorum Religiosorũ, qui, cùm priùs essent cum suis privatis bursis contempti, ignobiles, & inglorii, nunc per assumptionem vitæ communis, & communis charitatis facti sunt honorati coram Angelis, & hominibus.

II. Objectiones frequentes audiunt tales Religiosi, vitæ communis & charitatis expertes, à Magnatibus, à viris honoratis, DD. Pastoribus, & aliis dicentibus: cur sic vivitis? cur non æquè ac alii Religiosi vivitis in communi? tunc enim libentiùs daremus vobis, &c.

III. Vix convinci potest, quòd malè faciat, qui studiosis adolescentibus, de religioso vitæ statu

eligendo deliberantibus dissuadet ingressum in talem Religionem: hunc enim dissuadens, & corpori, & animæ ejus consulit, qui sibi de peculio providere nequit, & aliunde necessaria habere non potest.

IV. Bonæ voluntatis homo nonnumquam perdit eam in talibus Religionibus: qui, si fuisset in alio Ordine, in quo vita communis & charitas viget, cum Dei gratia in perfectū evasisset virum. Hoc tentationis instrumento sæpè utitur diabolus, ut absterreat ab ingressu, & retrahat ab incepto proposito ad sæcularia desideria.

V. Parentes subinde absterrentur meritò, ne ullam filio quotam paternæ hereditatis extradant: videntes, quòd filius curis sæcularibus in tali Monasterio non exoneretur, sed magis gravetur, si debeat in illa de necessariis sibi providere, quacumque via potest.

VI. In Monasteriis, in quibus viget exacta communitas, viget etiam observantia Regulæ, & constitutionum; quæ langueſcit, ubi charitas in suppeditandis necessariis decrescit.

VII. Turpe est, si religiosus laudetur de copia nummorum, quòd corrogârit sibi magnam pecuniæ summam. Si laudant quidam mundani, at omnes id meritò improbant timorati.

VIII. Pecunia à tali Religioso in malum suum corrogata potest esse occasio, ut alii gaudeant de morte ejus, videntes, ex relicta post mortem ejus pecunia posse subveniri illi Monasterio multis debitis gravato.

IX. Superiores sæpe non audent constituere procu-

procuratores, œconomos, dispensatores, aliosque officiales, propter justam diffidentiam de fidelitate subditorum. Et hoc grande malum est in Monasteriis, dum Superiorem & subditos ab invicem dividit diffidentia.

X. Murmura frequentia contra Quæstorem, Procuratorem, Coquum, Terminarium, &c. suspicio de infidelitate eorum, & eleëmosynarum incongrua distributione, &c.

XI. Noxia consuetudo recipiendi, conservandi, illicitè expendendi pecuniam, transit in quasi legem, ita, ut, si hanc Superior, pro officii sui exigentia, justè oppugnare, & eliminare intendat, & attentet, illico traducatur & impugnetur, quasi novitatum inventor, & rigidus exactor.

XII. Murmurant facilè subditi contra Prælatos dicentes; volunt nos Superiores in odiosis arctè constringere; at in favorabilibus non contendunt nobis patrocinari. Nobis odiosa onera imponunt, quæ digito movere nolunt: legem ponunt nobis, sibi exemptionem.

XIII. Dum habetur concio ad populum, dum invisitur infirmus, sæpe non quæritur salus proximi, non honor Dei, sed *meum, tuum, suum* lucrum, &c. Ideoque ratio docet, necessitas clamat, experientia convincit, non posse vitam religiosam subsistere in desiderato vigore, si exulet vitæ communitas communisque charitas; quæ ubi est, Religiosi se addicunt spiritalibus exercitiis, saluti proximi invigilant, & propriæ: Deo, & Religioni fideliter deserviunt, semper id actitantes, propter quod divino se obsequio mancipârunt, facti

servi Christi, & non mammonæ : Thesaurum suum quærentes & reponentes in cælis, nec spem ponentes in transitoriis lucris. Sed

Q. An non sit difficilius, & molestius, vivere sic in communi, quàm ex marsupio privato ita singulari. *R.* Nequaquam; immo multò facilius, & commodius, leviusque est, communia bona communiter communicare, ac communia onera communibus humeris portare: quod multiplici ratione ostenditur. Nam I. secundùm verbum veritatis, ubi duo, vel tres in nomine meo congregati sunt, in medio eorum sum, ut eis communiter & specialiter benedicam, assistam, ac in portando onere vires adjiciam. Ubi communitas arctior, ibi charitas amplior, quæ leviùs fert onera dispertita per singulos. Ibi invicem juvant, supportant, communem egestatem communiter tolerant, necessitatem in virtutem pia arte commutantes. Proinde status eorum fit non miserior, sed felicior. II. Sancti Patroni, Ordinumque Fundatores ampliùs patrocinabuntur viventibus in communi ; quia sic vivitur juxta Regulam, & piam Fundatorum mentem. III. Concordiâ res parvæ crescunt: discordiâ magnæ partæ dilabentur. Probat id experientia, quòd, qui ante vix vitæ sufficientiam habebant, dum ex privatis bursis vivebant, jam omnibus in commune collatis, etiam abundent. De facto etiam patet liquidò, quòd, si in Monasteriis tenuibus essent singula ritè dispensata, nullus in eo foret egens, nec superabundans. Hinc

IV. Non

IV. Non dicant Superiores, *non possumus* necessaria dare subditis (veriùs subinde dicerent, *non volumus*) ad conscientiarum ipsorum tribunal appello, quòd possent, si vellent; si omnia singuli in commune conferrent : mentitur iniquitas sibi, dum *nolumus* vertunt in *non possumus*. Et ipsi convicti agnoscere debent, inordinatissimum esse, quòd ibi privati divitias quærant, ubi ex professionis titulo divitiæ ab aliis contemnuntur: & difficilius esse, dum singuli privatis curis gravantur; quas utique leviùs ferrent pro singulis unus aut alter, cum majori charitate, & abundantiore merito.

V. Facilius sentiunt onus Superiores, dum ex causa subditos excollocare oportet de uno Monasterio in aliud; quia necesse non erit, ut vel ipsi, vel subditi angantur de suppellectilibus suis de loco in locum transvehendis; nam, quod in uno loco relinquunt, in alio denuò inveniunt, mox prompti, & expediti, conformiter evangelico centurionis verbo: *Dico huic, vade, & vadit: veni, & venit &c.* Matth. 8. 9.

VI. Insuper privato cuique facilius, amabilius, honestius, acceptius, fructuosius erit, pro suis Confratribus, & pro communitate mendicare, quàm pro seipso; titulus enim honestior, manusque benefactorum illicò sentitur profusior, & promptior

&c.

CAPUT XII.

De Communitate regulari Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci.

Q. An Fratres Minores *S. Franciſci* Conventuales obligentur ad obſervantiam vitæ communis. Ante reſponſionem

N. 1. Ex Conſtitutionibus, pro noſtro Ordine, authoritate Urbani VIII. conditis, tit. 1. in c. 1. Regulæ, quòd Ordini Fratrum Minorum in ipſis quaſi primordiis Religionis, ex Apoſtolicæ authoritate nomen *Conventualium* acceſſerit, quod uſque hodie apud eos perſeverat. Id verò nihil aliud, quàm *Minorum Fratrum ad unam Regulam, unamque vitæ NB. communitatem uniformem animum ſignificat.*

N. 2. ex tit. 2. §. 2. ibid. Ad eorum verò temeritatem coërcendam, qui dicteriis, captioſiſque verbis Ordinem inſequentes, Regulæ tranſgreſſores Conventuales vocant, quòd non ad literam ſine gloſſa, ſed ad præſcriptum privilegiorum, Apoſtolicarumve declarationum, S. Franciſci inſtitutum obſervent; *Monemus omnes & ſingulos, quòd, quiſquis ſeu dictis, ſeu ſcriptis Fratres Minores Conventuales, juxta has Conſtitutiones viventes, non eſſe veros Regulæ S. Franciſci obſervatores, auſus fuerit quoquo modo aſſerere, mox Apoſtolicæ Sedis excommunicationem ſeſe incurrere ſciat.* Subjicitur ibidem.

N. 3. Cùm enim neminem adſtringere poſſit

S. Fran-

S. Francisci Regula, nisi quia à Summis Pontificibus, & Apostolica Sede approbata, confirmata, & recepta; hanc ob rem ipsius Sanctissimæ Sedis arbitrio est, eam pro tempore sic declarare, mitigare, interpretari; &, quòd Fratres sic declaratam firmiter & fideliter observantes, *veri filii sint, & S. Francisci sequaces, ejusque Sanctissimæ Regulæ professores & servatores*, statuere. Quare contra Constitutiones, & Declarationes hujusmodi quippiam attentare sive præsumere, unusquisque facilè intelliget, quàm temerarium sit. h. i.

N. 4. Quòd ante editas Constitut. Urbanas, hæc fuerit illorum professionis Formula. *Ego Frater N. voveo, & promitto Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beato Francisco, & omnibus Sanctis, & tibi Pater, toto tempore vitæ meæ servare Regulam Fratrum Minorum per D. Papam Honorium confirmatam, & à pluribus Summis Pontificibus declaratam, & juxta privilegia Ordini Minorum Conventualium ab Apostolica Sancta Sede concessa, præsertim verò secundùm Decreta Sacri Concilii Tridentini, Pii Papæ V. & Clementis Papæ VIII. de vitæ communis observantia, vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.*

Postmodum in Constitut. Urbanis illis præscribitur hæc Formula, qua nunc uti tenentur.

Ego Frater N. voveo, & promitto Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beato Francisco, & omnibus Sanctis, & tibi Pater, toto tempore vitæ meæ servare Regulam Fratrum Minorum,

rum, per Dominum Papam Honorium confirmatam, & à pluribus Summis Pontificibus declaratam, juxta privilegia Ordini Minorum Conventualium ab Apostolica Sancta Sede concessa, & Constitutiones Urbanas, vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.

NB. Alia Formula Professionis, edita Venetiis 1694. quandoquidem sine sufficienti auctoritate, & approbatione Pontificia, non obligat Fratres Minores Conventuales.

R. 1. cum *Bartolucio* l. 1. §. 74. quòd Fratres Minores Conventuales professi Regulam secundùm primam Formulam, tenebantur tunc non solùm vi præcepti Ecclesiastici, sed etiam vi voti ad observantiam vitæ communis. Ratio est, quia tunc explicitè Deo promittebant servare vitam communem, à S. Concil. Trid. & Summis Pontificibus præscriptam & præceptam.

R. 2. In quali de facto ipsis communitate vivendum sit, exactè præscribitur in Constit. Urbanis, & maximè in Decreto S. Congregat. Apostolicæ visitationis, illis inserto de mandato Urbani VIII. 1627. 13. Julij (cujus mentio facta suprà c. 7. q. 1. R. 2.) Illas si observaverint, salvi erunt; nam in illis & *vita communis, & perfectio religiosa, imò & sanctitatis semita* ad unguem præscribitur; licèt interim ipsi Regulam *S. Francisci* ad literam servare minimè obligentur. Placuitque Sanctissimis Summis Pontificibus, FF. Minores Conventuales in conscientia assecurare, & tranquillare, si S. Constitutiones exactè observent, ab Urbano VIII. præfato pro eorum Ordine

dine approbatas. Proinde Superiores in illo Ordine bene faciunt, suæque obligationi satisfaciunt ex Professione contractæ, (vel insuper ex juramento,) si ad illarum exactam observantiam subditos verbo pariter & exemplo adhortentur (si tamen interim non placeat Sumis Pontificibus nova Decreta eorum Ordini præscribere.) Et ita colligo ex literis Reverendissimi P. N. Generalis Felicis Rotondi de Monte Leone publici Theolog. Doctoris Patavini 1698. 10. Novembris.

R 3. Benè dixit *Navarrus* Comment. 4. de Regularibus n. 17. *Mallem esse Conventualis, servando ad amussim Regulam B. Francisci relaxatam Apostolica auctoritate, qualem Conventuales vovent; quàm Frater de Observantia, non servando illam integram, quam integrè vovent observantes..... Et ut indoleo, quòd multi Observantes non servant, nec satagunt integrè servare suã Regulam; ita lugeo, quòd multi Conventuales laxiùs servent illam, quàm à Sede Apostolica fuerit laxata: percupiens, ut utrique legem suam intelligant, & ad amussim adimplere conentur, & neutri declarationem & relaxationem Apostolicam auctoritate privata dilatent. h. i.*

R. 4. Jam tum ante editionem Constitut. Urban. Reverendissimi PP. Generales urserunt vitæ communis observantiam in illo Ordine; prout luculenter patet ex Pastorali Epist. *Reverendiss. P. Generalis Jacobi de Bagna Cavallo* citata ab *H. Casal.* p. 2. c. 11. in qua ipse (quia S. D. Pauli V. fultus auxilio, Pontificalibusque Decretis adjutus, pio zelo decrevit suam Religionem ad exa-

ctam

ctam vitæ communis observantiam reducere,) sic suos Religiosos alloquitur: *Visitationem generalem aggredimur, euntes de Provincia in Provinciam, de loco in locum, bonum inchoatum ad Dei gloriam & cultum ubique stabilire cupientes-- Regularem disciplinam, & vitæ communis exactam instaurationem, ad quam S. Concil. Trid. mandato, Pontificum Decretis, & professione nostra adstringimur-- exonerantes nostram, illorum conscientiam oneramus, qui nos audire contemnunt, & prava consuetudine pejores fiunt.--Vox Sedis Apostolicæ hoc tempore per vigilantissimum Pastorem suum insonat, qui tanta charitate Ordinem nostrum ad regularem disciplinam, & vitæ communis observantiam nititur reducere. Quamobrem mensibus præteritis, S. Sanctitatis decretum vobis exposui, & quantum per infirmitatem licuit, promovere non cessavi. &c. h. i.*

NB. At jam nos accommodamus menti, & voluntati moderni supremi Ecclesiæ Capitis, cujus sanctissimis pedibus provoluti, ejus Apostolica protectione fovemur *in exacta observantia* Constitutionum nostrarum Urbanarum; ut supponitur.

CAPUT XIII.

De particularibus Fratrum provisionibus obstantibus vitæ communis regularitati.

Q. An, non obstantibus omnibus, quæ de vita communis observantia hactenus dicta sunt, possint

possint nihilominus FF. Minores Conventuales, & alii quicumque Regulares (de suorum tamen Prælatorum licentia) & justa interveniente causa, vivere de peculio particulari, retinentes provisiones, & subventiones pro eis peculiater factas, & non omninò in commune conferre; & hoc absque incursu alicujus culpæ, & pœnæ. Titulum quæsiti sub his terminis ponit *Bartolucius* l. 1. circa finem, qui &

Respondet 1. affirmativè sine distinctione, citans pro se varios probatæ notæ Authores: attamen hanc superaddens suæ responsioni modificationem, dum inquit: ut prædicti extra talem observantiam viventes, moralem quamdam certitudinem habeant, se vivere regulariter, ac suæ pariter satisfacere obligationi, has leges ac modos regulariter vivendi tenebuntur observare, ita, ut illis, qui vivunt secundùm ærarii ac depositi formam aptari possint eæ leges, ac Regulæ, quæ deserviunt Monialibus Neapoli, ac Salerni, excerptæ ex duobus Decretis (quæ adducit *Quaranta*) cum declarationibus simul Clementis VIII. quæ sunt, scilicet, ut teneantur omnia lucra, & præstationes omnes ipsis assignatas Superioribus fideliter notificare, & consignare in certo libro notandas, & per communes Officiales Monasterii exigendas, & in usum ipsorum Regularium pro singulorum Religiosorum expendendas necessitatibus (de mandato tamen Superioris) per ministros publicos Monasterii, h. i. (*Addo ego*: utinam in omnibus Monasteriis, in quibus prætensa necessitas assumpsit peculiorum

sub-

subsidium, his æquis conditionibus circumvallasset illa!)

Rationem suam ex variis Authoribus hanc adducit. Quoniam in hujusmodi observantiis (solâ trium votorum essentialium exceptâ) potest cadere dispensatio, dum obvenit Superioris authoritas, & dispensandorum simul necessitas, vel utilitas-- I. Causa autem ex parte Superioris, dispensandi, vel non introducendi talem in Ordine observantiam, est, secundùm *Gratianum in sua disciplina regulari*, quando Monasterium adeò gravi premitur inopia vel paupertate, ut illius, & Fratrum ibi degentium facultates, & obventiones simul unitæ non valeant eis suppeditare omnia corporis necessaria. Vel, quando secundùm *Silvestrum, & Navarrum*, introductio talis observantiæ, vel remotio vivendi per peculium particulare, fieri non potest sine publico ac gravi scandalo. II. Ex parte autem eorum, qui dispensari debent, est, quando non essent in Ordine Monasteria hujus instituti, & observantiæ, vel, quando illis prohiberetur, vel non permitteretur in Monasteriis hujusmodi reformatis posse degere. Vel, quando causâ, ad judicium prudentis, ac discreti viri, satis rationabili, ac sufficienti moverentur ad vivendum extra talia Monasteria, ut puta, gratiâ sanctitatis, studii, opem ferendi suo Monasterio, & majoris necessitatis, ac utilitatis tam suæ, quàm publicæ. Hæc quidem ille. At

R. 2. Certum in primis esse, quòd in tali casu, (suppositò, quòd à Summis Pontificibus hic vivendi

vendi modus certis Religiosis ob causas permittatur) non sit vita *exactè communis*, id est, non perfecta communitas talis, qualem præcipiunt S.Concil. Trid. & variæ Constitutiones Summorum Pontificum, requirentium incorporationem, & confusionem omnium, qualitercumque Religiosis in communi aut privato obvenientium &c.

R.3. Quòd responsio *Bartolucii* fortè practicari nequeat in omnibus Provinciis, utpote in quibus vix unus aut alter habet talem provisionem, eò quòd debeant potissimùm in singulis Conventibus vivere ex mendicatione sat onerosa, insuper ex labore manuali, vel literario, vel spiritali, vel subinde gratuita subventione bonorum patronorum, seu divina providentia; quæ ipsis certiùs affulget, quò diligentiùs & ferventiùs Deo servire conantur.

R.4. Tolerari faciliùs potest praxis illa, dictaque responsio prima approbari tunc, si Religiosi omnes singulatim haberent dictas tales provisiones, pro suæ privatæ personæ necessitatibus personalibus sublevandis sufficientes (prout fit in Monialium aliquarum ditioribus Monasteriis; utpote in quibus nullæ admittuntur, nisi eis de sufficienti tali peculio ad necessaria omnia suppeditandum, vel censu vitalitio per contractum prævium provideatur). Attamen semper annexum erit proximum periculum multarum inordinationum, & exorbitantiarum; quæ tamen numquam timentur ibi, ubi est vita *exactè communis*, & communis charitas, & ubi tales particula-

culares provisiones cautè & justè numquam admittuntur pro particularibus personis; ne sensim subrepat, & Monasterium inficiat damnabilis peculiaritas, & horrenda proprietas.

R. 5. Vix videtur dicta responsio prima posse habere locum veritatis, ratione solius scandali evitandi apud dictos Religiosos. Nam in primis certum est, quod non omnes sint scandalizandi scandalo pusillorum, (minùs pharisaicô, nam supponitur major & sanior pars membrorum istius Provinciæ in vitam communem liberè & sanctè consentire). Cujus ratio est; quia per sanctam vitæ communitatem conditio singulorum fit melior, tam secundùm corporalem sublevationem, quàm conscientiarum tranquillationem (ut hactenus ostensum.) Quod & timorati inter illos sat agnoscunt, & hinc communitatem vitæ Apostolicæ pariter & angelicæ votis omnibus in aliquibus Monasteriis exoptant. Ad cavendum autem unius solùm, aut alterius (si quis foret) scandalum pharisaicum, non oportet à tam nobili, tam laudabili, tam exoptato, tam fructuoso toti Ordini & Ecclesiæ opere desistere.

Hinc Prælati, desiderantes suos Religiosos in hoc justè reformare (fulti tamen legitima auctoritate & potestate) nequaquam à ceptis desistant, non animum despondeant (nam difficultas ab initio per diabolum exaggerata evidens signum est certioris & majoris provectûs, ut ajebat olim & experiebatur *S. Teresia*) ideoque robur animi sui Sanctorum Patrum, ac Fundatorum factis & dictis fulciant, fortiùsque muniant. Audiant

Ven.

Ven. Bedam citatum c qui scandalizaverit, de Regulis juris : *Utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Et *S. Leonem Papam* cap. 2. de hæreticis : *qui alios, cùm potest, aberrore non revocat, se ipsum errare demonstrat.* Itemque *Sanctum Ambrosium* serm. 83. *Ego interdum parcens vobis, tacere vellem; sed malo vos contumaciæ causas reddere, quàm negligentiæ sustinere judicium.* Tandem *Innocentium III. Error, cui non resistitur, approbatur: & veritas, cùm minimè defensatur, opprimitur.* Ex his

R. 6. Ex parte causarum dispensandi in vita communi (an, & quando licita hæc dispensatio, aut probanda;) non improbatur solida doctrina adducta à doctissimo *Patre Marchant* Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ in Tribunali sacram. tom. 3. part. 2. tract. 2. tit. 1. q. 4. dub. 5. ubi inquit : *Si Monasterium ad tantam inopiam devenit, sive ob bella, & calamitates, sive per incuriam, negligentiam, aut malitiam Superiorum & Officialium, ut jam de communi ipsis provideri nequeat, sed quilibet teneatur sibi providere; fateor, & si hæc causa aliquo tempore justa, & necessaria esse possit, & re vera sit; illi tamen provideri posse per vitam communem, si omnes cum superiore conspirantes, labores suos, mendicationes, industrias in communem vitam & stipem conferant. Hôc enim modo aquè facilè, immò facilius omnibus frugaliter providebitur, quàm si quilibet sibi quærat; ùt experientiâ didici in reformationibus Conventuum,*

tuum tam virorum, quàm mulierum, qui cùm pauperrimi essent, dum sibi quisque studebat, restituta vita communi, & omnibus labores, industrias, & acquisitiones in commune conferentibus, facti sunt abundantes juxta frugalitatem, & sufficientiam religiosam; ita ut ubi vix viginti alebantur, postea quadraginta & quinquaginta ali potuerint, sola benedictione Dei, & vitæ communis, ac fidelitatis & industriæ habitantium, & conspirantium in unum fructum.

Quare etsi possit dari casus, & tempus, in quo communis vita ex circumstantiis aliquibus non valeat observari; illud tamen continuum non est, & mutatis circumstantiis facilè restitui potest, nisi ut plurimum mentiretur iniquitas sibi. Et apud me certum est, quamdiu Regulares possunt, & permittuntur simul habitare, NB. non posse eos excusari à communi vita, modò velint omnem acquisitionem, industriam, laborem in commune conferre. Quia si singula individua sibi bene providere possunt in particulari, cur eadem provisio in communem massam reducta, & singulis distributa sufficere non potest?

Hucusque ille doctè, solidè, & conscientiosè: quam proinde rejicere non audeo sententiam, quia manifesta experientia etiam hodiedum satis convincit ostensam ab eo hanc veritatem. Et quia pro bono communi semper oportet stare, sentire, & loqui, etiam postpositis multis aliorum sententiis, pro bono solùm

privato

privato loquentium. Bursa privata sæpe excæcat oculos sapientium, depravatque affectus & judicia eorum. Qui loquitur pro bono communi, is jure in omni jure, foro, judicio, communitate, & tribunalibus præfertur, probatur, jure & manu tenetur.

CAPUT XIV.

De Statu Monasteriorum carentium vita communis regularitate &c.

Q. 1. Quid resolvendum pro assecurandis conscientiis illorum Religiosorum, qui quamvis bonæ voluntatis sint, ex filialique in Deum amore & timore, parati amplecti omne consilium Dei (multò magis præceptum) sibi sufficienter propositum; attamen penes illos solos non stat reformatio Monasterii ad vitæ communitatem, dum nihilominus vident, & lugent deformationem ejus, cujus membra sunt, in quo nec mentio, nec usus ærarii, nec depositi, nec depositarii, qui à Superiore deputatus, aut à communitate electus, singulorum peculia, citra Dei maledictionem custodiat. Sed recepto victu, & habitatione à Monasterio, & etiam facta quadam pecuniæ taxatione pro indumentis, & ceteris necessariis, in reliquo unusquisque per seipsum (etiam pecuniam in privata custodia apud se retinendo; quod

horribile esset, si ab aliquo fieret) quidquid ad vitæ sustentationem pertinet, sibi provideat, Superiore nec conscio, nec rogato, nec curato. &c.

R. 1. Ejusmodi, ut extra statum peccati, & periculum damnationis sint, sequentes VIII. Regulas præscribit *Bartoluc.* lc. pag. 106. I. *Ut non habeant, nec retineant, neque recipiant aliquid absque expresso seu tacito Superioris assensu.* II. *Est, ut non retineant (esto id etiam fieret de Superioris licentia, quam ipse haud valet concedere) rem damnabilem, vel statui paupertatis repugnantem.*

I.I. Quòd non habeant (etiam de voluntate Prælati) res superfluas. Res autem superflua, secundùm Alvarum, appellatur illa, qua non utitur Regularis in præsenti, nec in proximo modico usurus est. E. G. sunt mihi quatuor subucula, seu interiores vestes, quæ mihi sufficiunt ad conservandam corporis munditiam, nec est, cur recipere debeam 6. 8. & 10. quæ sunt mihi superflua. Sufficiunt mihi 20. aurei, seu 20. scuta annua ad necessariorum provisionem: non ergò mihi opus est quærere 30. vel 40. & sic de singulis.

IV. *Ut nihil habeant, teneant, vel possideant affectu proprietario, sed cum promptitudine resignationis.*

V. *Ut nihil alienare possint, donare, vel disponere in usus vanos, profanos, ac superfluos: sed, cùm opus est emere, vendere, vel*

quo-

quovis alio modo honesto ac licito contrahere; agant nomine & auctoritate Monasterii, & etiam de Superioris licentia.

VI. Ut, quando haud eis constat de necessitate, vel superfluitate rerum, edant inventarium de omni quacumque re à se possessa, & illud Superiori ostendant; cujus postea præfinitioni, ac arbitrio stent sine contradictione.

VII. Ut, dum Superior immediatus fuisset dissipator, seu dilapidator rerum Monasterii, vel infidelis administrator, posset eo casu Regularis (dum tamen probabiliter dubitaret de ejus dissipatione, vel infidelitate) ad tempus celare Prælato superfluas res, & postea, habitâ opportunitate alterius Prælati superioris, in communes usus, de ejus tamen licentia conferre, vel saltem per aliquod tempus exspectare, quousque præsens, aut imminens transiret periculum. Idem videtur asserendum, quando præfatus Superior negare, vel subtrahere veliet ab eo necessaria, quæ sunt præcisè ad individui sustentationem; quòd tunc ei liceret abscondere, qui habet: vel privatus posset ea quærere, aut furtim surripere à Monasterio, etiam inconsulto Prælato.

VIII. Quòd, causis prædictis cessantibus, denuò ad Monasteria, ubi viget talis observantia institutum (si tamen quod sit in ista Provincia, & commodè valeant) se transferant ad vivendum hujusmodi vita, quæ est regularis

vivendi ratio, & optima ac tuta via, qua ad omnem perfectionis gradum ascenditur. h. i.

R. 2. Cum eodem, *Possent præterea, qui expressè professi sunt ejusmodi communis vitæ institutum (cessantibus quoque prædictis causis) Monasteria deformata, ac à tali vita exorbitantia inhabitare, quando tamen alimenta à Monasterio, seu de licentia Superioris, eleemosynaliter reciperent, & quidquid eis quovis titulo justo, & licitâ ac religiosâ viâ obveniret, in commune conferrent ac confunderent. Manifestatur pariter hæc veritas per sequentia fundamenta.*

Primum est; *quia locus per se non sanctificat, nec inficit personam: uti habetur in cap. non loca, cap. illud. & cap. quilibet. II. Quia Divus Bernardinus habet in declarationibus quibusdam ex auctoritate Pontificia editis, dum esset in Ordine Vicarius Generalis, non vitiari Fratres degentes in Conventibus, ubi vivitur cum magna superfluitate, ac curiositate rerum contra Regulæ puritatem, si ipsi rebus prædictis utantur ob solam necessitatem, vel scandali evitationem: & ipsi non sint introducentes, vel consentientes: vel ad eorum officium non spectet talem abusum tollere: vel tandem commodè non possint tali abusui occurrere.*

III. *Quia sacra Congregatio in Decretis præallegatis Monialium Neapoli, & Salerni, unà cum Declarationibus Clement. VIII. multùm commendavit Moniales illas, quæ seorsim ab aliis, hujusmodi regularem vivendi rationem*

eligere

eligere vellent, districtè præcipiens præfectæ Monasterii, ut iis, qui talem suorum bonorum renuntiationem Monasterio fecissent, ex Monasterii ejusdem redditibus ac bonis, in iis, quæ ad victum & vestitum, ac reliquam vitæ sustentationem pertinent, opportunè provideret.

IV. Quia Regularis in sua professione personalem, & non localem (qualemcumque) observantiam vovet: cui quidem tunc satisfacit, quando, quidquid habet in peculio, totum incorporat, ac confundit cum bonis communibus, cedens in omnibus ministris publicis administrationem illius: ipse autem de licentia sui Superioris, & per manus Officialium necessaria omnia recipit.

V. Est exemplum cujusdam Viri sancti, Fratris videlicet Lancislai Ungari nuncupati de Ordine Minorum (ex Chron. Min. Tom. 3. l. 2. c. 25.) qui cum à Superioribus Religionis multoties collocaretur de Familia, ubi observantia paupertatis statui minorico conveniens periclitabatur, ipse ibi non cum minori spiritûs alacritate, quàm ubi talis vigebat observantia, morabatur: juraus interim per se facere, quod alii Fratres curare ac exequi negligebant. Unde cum semel per B. Franciscum Papiensem super hoc fuisset admonitus, audaciter respondit, quòd ipse in Ordine haud majorem professionis suæ inveniebat inobservantiam, ac proprietatem, quàm nolle majorum suorum mandata ac jussa capessere. Sed de tali responso existens B. Franciscus aliquantulùm dubius, cum post illius mortem preces instanter Deo fudisset pro hujus claritate

ritate dubii, vidit semel in quadam visione per Deum illi exhibita, Fratrem Lancislaum coaptari in cælo glorioso Fratrum Minorum cœtui inter primos. NB. Hucusque *Bartoluc.* sat doctè, sat favorabiliter, sat conscientiosè.

CAPUT XV.

De Religiosis particularibus opponentibus se vitæ communi, ordinatè & regulariter introducendæ.

Q. I. An non recipientibus, nec observantibus vitam communem, patrocinari possit non receptio legis, ad illam absolutè & indispensabiliter adstringentis, aut Summorum Pontificum conniventia, dissimulatio, &c. *Resp.* Negativè, *Bartoluc.* Rationem dat; *Quia non est exspectandus populi assensus ad hoc, ut lex vim suam habeat.* Cujus ratio fuit supra data c. 6. q. 1. R. 1. *Et esto, Summi Pontifices, qui Clementem VIII. præcesserunt, non fuerint fortè adeo zelantes observantiam vitæ communis* (ait Bartoluc. l. 1.) *ac ille, Nihilominus id numquam potuit verificari post præfatum Clementem, qui (ut luce clariùs constat) per tot promulgatas constitutiones semper omnem adhibuit diligentiam, curam, ac conatum, qua omnes Regularium Ordines ad hujusmodi tam pii, sancti, ac necessarii instituti observantiam invitaret, ac traheret. Ejusque mentis fuit, ac modò est Summus Pontifex hodiernus* (loquitur de suo tempore) *Paulus V. qui mox, ut ad pontificatus apicem est assum-*

assumptus, constitutionem edidit, in qua nonnulla statuit, quæ prævia forent ad hujusmodi vivendi formam in quamcumque Religionem introducendam.-- Adde; quòd nemini umquam voluit concedere, ut erigerentur Seminaria, seu Novitiatus in aliquo Ordine, sub alia forma, vel in aliis Monasteriis, quàm ubi audiebat vigere talis vitæ observantiam. h.i.

Deinde, juxta *Navarrum*, Legislatoris tolerantia si sit solùm permissiva, & non approbativa, non excusat transgressores à reatu culpæ. Secuti nec excusat, quando non est potens abusum cohibere (commodè, aut moraliter, ob voluntatum subditorum malevolentiam, aut duritiem, &c.) aliud dicendum; si esset potens; & non ex vecordia, sed oculata dissimulatione permittit. NB Hæc de Religiosis in communi communiter dicta.

Q. 2. An possit in aliquo Ordine, vel Monasterio præscribi contra legem de communitate servanda. *Resp. Bartoluc.* pag. 104. *Licet hæc vitæ communis observantia tamquam præceptum Ecclesiasticum posset aliquando præscribi per Regulares (cùm ordinationes ac præcepta Ecclesiastica possint secundùm Canones interdum præscribi) & ideo posset currere tempus, in quo per legitimam, ac canonicam præscriptionem fuissent Regulares ab hujusmodi Concilii obligatione exempti.* (Interim hac præscriptione non obstante, potest D. Papa tales Regulares novo decreto compellere ad vitam exactè communem) *Attamen contra votum peculiare, vel professionis præceptum nulla umquàm curret præscriptio. Cujus ratio est; quia, teste D. Thoma, & DD.*

& DD. comm. contra jus naturale vel divinum, quale est illud de communi vita in professione promissa, non est consuetudo, quæ prævalere possit. Propter quod numquam tempus adeo longum currere poterit, in quo, qui talem observantiam sunt complexi, à transgressione promissi sint immunes. h. i.

Addit Bartoluc. Ad parendum Concilio Trid. sufficit illis, qui solo præcepto obligantur, ne contradicant aut obsistant Superioribus introducentibus vitam communem. At obligatis vi voti ad vitæ communis observantiam, necesse est, ut concurrant actu voluntatis positivo, ut eam promovere studeant, ac simul se transferant ad loca, ubi talis observantia sit in praxi; quoniam obligatio voventis ad hoc tendit, ne sit infidelis. h. i.

Q. 3. An possit quis alteri suadere ingressum in Religionem *deformatam*, in qua substantialia Religionis non observantur, aut ingredi sine peccato. *Resp. Bartoluc.* ex *Navarro*, negativè. Ratio est; quia, cùm in tali Religione Regula communiter perperam observetur, vitaque reprehensibilis ducatur contra disciplinam regularem; conatusque Prælatorum reformare volentium maneat fruſtraneus; talis suasor, vel ingressor nutriret ac augeret numerum malè viventium religiosorum; à quibus nil aliud poterit discere (moraliter, communiter) quàm quod cernit eos practicare. Nihilominus

R. 2. Quòd prædicta responsio, ac Regula videatur pati exceptionem in quadruplici casu. 1. Si nesciat talem irregularitatem is, qui suadet, aut

cui

cui suadet. 2. Si optimæ intentionis, & solidæ voluntatis sit, quòd inibi per Dei gratiam regulatiùs vivet, & aliorum fermento se non immiscebit. 3. Si non habet facultatem intrandi aliud Monasterium, eò quòd sit inops; vel in regione illa aliud non sit. At hæc sola causa non sufficit. 4. Si, quia fervore singulari est præditus, Deo specialiter vocante, speratque certitudinaliter se aliunde suppetias abundè accepturum, conetur illud monasterium tandem vel reformare, vel verbo pariter & exemplo ad meliorem statum reducere.

Q. 4. An privati sibi privatis acquirant in Ordine religioso quocumque, quidquid acquirunt personali industria. *R.* 1. Si cupidi & imperfecti sic intelligant, & practicent; attamen *ab initio non fuit sic.* Illis autem si mentiatur iniquitas ita, id fortè evenit occasione verborum positorum in Regulæ c. v. *de mercede verò laboris pro se, & suis Fratribus corporis necessaria recipiant, &c.* quasi non tenerentur mox resignare in manum Superioris pro communitate, sed possent licitè pro se, deinde pro suis Fratribus necessaria recipere. *Sed pace istorum* (ait Bartoluc.) *aliud de jure sentiendum videtur, & est, quòd cùm FF. Conventuales, ac ceteri Regulares in communi bona possidentes, ex vi suæ professionis sint incapaces in acquirendo pro se ipsis* (*cum dicat Innocentius in c. cùm olim in 2. de privileg. quidquid acquirit Monachus, acquirit monasterio. Et D. August. in Regula ad Fratres: nullus sibi ipsi aliquid operetur, sed omnia opera in unum fiant*) *Et cum nullus inter Fratres sit ordo prioritatis ac posterioritatis in acquisitione,*

eò,

eò, quia talis acquisitio respicit omnes, non ut singulos, sed ut universos; sequitur necessariò, quòd, quidquid ipsi justo suo labore ac industria acquirunt, non sibimet priùs, deinde ceteris disjunctivè, sed omnibus, inter quos etiàm annumerandi veniunt, collectivè id totum acquirere censeantur. Et hoc est illud, quod innuere videtur Regula sub illis verbis: pro se & suis Fratribus, &c.

R. 2. Ex decreto S. Congregationis inserto Constit. ut. Urbanis habetur saltem hoc, quòd ex eleëmosyna particulari particularis Fratris, debeat priùs eidem exhibitori tantum erogari, quantum necesse est (si tamen sufficiat) pro ejus particularibus necessitatibus sublevandis: at reliquum in commune ærarium reponatur, &c. sed

Q. 5. An saltem in dicto casu sit habenda specialis aliqua ratio tam circa illos, qui suis honestis laboribus ac industria, multa bona Monasterio acquisiverunt, quàm circa illos, qui de Religione bene meriti sunt, ac gradu, ac meritis ceteris præcellunt.

R. 1. Cum *Bartoluc.* in c. v. Regul. cum distinctione, quòd nim. aliquando ex aliqua ratione liceat, & aliquando non. Licebit in casu resp. 2. quæst. præced. non licebit autem (per se loquendo) ratione qualitatum merè extrinsecarum, v. g. quia Filius consulis, superioris cognatus, aut patriota. Id & jubet *D. August.* in Regula: *Distribuatur à præposito, prout unicuique opus est:* nec debent velle omnes, quod paucos vident ampliùs; non quia honorantur, sed quia tolerantur, &c. Et *S. Bened.* c. 34. Regul. *Personarum non sit acceptio, sed infirmitatũ consideratio.* &c. His conformiter

R. 2.

R. 2. Ex Constit. Urban. in c. 4. Regul. tit. 9. §. 12. *Regula verò, seu norma eorum, quæ necessaria, quæve superflua, & quæ diminuta fuerint, dignoscendi, ea Superiori præscribitur, ut pensatis hinc inde, loco, tempore, pretio, rebus ipsis, & aliis circumstantiis, triplicem necessitatem secernat, personarum nimirum, exercitiorum, & meritorum; personarum quidem, nam plura ægro quàm sano, seni quàm juveni debentur: Exercitiorum, cùm pluribus egeat Regens, quàm studens, artifex, quàm ignarus: Meritorum demum, quia plura Patribus Provinciæ, & Magistris, & magis Concionatoribus, quàm ceteris fratribus necessaria sunt. Providè igitur unicuique, ut opus fuerit, discretus Pastor, quæ necessaria sunt, distribuat. Sic enim & in primitiva nascentis Ecclesiæ ætate (ut apud Acta Apostolorum habetur) erant illis omnia communia: dividebatur autem singulis, prout unicuique opus erat.* h. i.

Ibidem §. 14. *Præcipitur. Superiores autem, quidquid deposcat Fratrum necessitas, per Officiales Conventus, in propria tamen specie, non verò in pecuniis, fratribus ipsis benignè, paternèque subministrabunt. -- Qui autem aliàs fratrum necessitatibus succurrere, seu quæcumque eis necessaria aliter subministrare, seu huic decreto contraire præsumpserint, privationis officiorum eo ipso pœnam incurrant.* h. i.

CA-

CAPUT XVI.

De obstaculis vitæ communis apud quosdam Religiosos.

Q. 1. An, & quando, ratione deficientis communitatis. *Fratres, qui scirent & cognoscerent, se non posse Regulam spiritualiter observare, ad suos ministros* (juxta Regulam) *debeant, & possint recurrere.*

R. Cum Bartoluc. in c. 10. Regul. ideos ex triplici capite posse & debere facere. I. Ratione loci, dum loco annexa est proprietas, hoc est, dum vivitur de peculio particulari, & peculiariter habentur bona mobilia, vel immobilia, contra S. Concil. Trid. II. Ratione personarum, dum vel Superior de Regula nihil curat, vel familia communiter est dissoluta, non vacans spiritui, & fratrem spiritualem, ac Regulæ zelatorem persequens, ac scandalizans. III. Ratione conversationis, dum frater extra ordinem ponitur, ubi est magna occasio paupertatem frangendi, in sua libertate vivendi, & periculum spiritûs, cum sæcularibus conversando, &c. In his, deficiente Ministro Provinciali, recurratur ad Generalem; eô non providente, ad Ordinis Protectorem, qui in iis casibus non solùm habet jurisdictionem, sed etiam punitionem. Protectore verò hoc negligente, recurratur ad Papam; ut haber *Alvarus.*

Q. 2. An sit contra vitæ communis regularitatem, si Superior regularis facultatem generalem

lem

lem & indistinctam faciat suis subditis, ut undecumque,& quavis via, ac modo, tam per se,quàm per alios necessaria suæ naturæ procurent, & expendant, &c.

R. affirm. cum *Bartoluc.* l. 1. §. 72. Rationem dat; quia hoc non solum repugnat honestati religiosæ, ac eorum instituto, verùm etiam contrariatur observantiæ vitæ communis, contentæ in decretis S. Concil. Trid. Clem. VIII. aliorumque Pontificum decretis, tandemque in nostris Constitut. Urbanis, ut immediatè ante hoc caput dictum fuit. Hinc ait *Petrus Navarr.* cit. ab ipso, maximè expedire, ut non concedantur vagè talia bona, maximè pecunia ad indeterminatos usus, ut ita occasio malè expendendi vetetur. Sed si ob justam causam justè concedenda sit (in illis monasteriis saltem, in quibus nunc ob aliquam moralem impotentiam, vel undecumque tandem vita communis communiter necdum servari potest) solùm ad certum ac determinatum usum, pium, licitum, necessarium, & à Superiore cognitum: ab eoque semper revocabilis sit hæc licentia. Et in casu, quò subditus non eget nunc nec proximè, possit inimpeditè communi necessitati Monasterii à Superiore applicari (nisi hoc limitent Constitutiones Ordinis; *prout apud nos*). NB.

Pariformiter *Alvarus* talem irreligiosè vivendi modum graviter carpens inquit, quòd sit pessima consuetudo quorumdam Religiosorum, & proprietatis nutritiva, quòd, quando indui debent, dentur eis certæ pecuniæ à Prælatis pro in-

dumentis, & calceamentis, aliisque necessariis, quam postmodum expendunt, dant, & exponunt pro libito voluntatis: & sic efficiuntur proprietarii. Unde deberent eis necessaria in specie, & numero, minimè verò in pecunia dari. h. i.

Q. 3. Ad quantam temporis metam liceat Regularibus personis privatis pro se, qui extra communis vitæ observantiam vivunt, provisiones necessariorum ad corporis sustentationem facere, ne paupertatis votum illis contingat violare. Idem dic de Officialibus, & Superioribus respectu privatarum necessitatum.

Respondent quidem 1. communiter aliqui imperfecti, qui salutem animæ parum fortè curant, quòd, cùm nemo futuros casus, ac sequentia indies infortunia valeat prospicere, ac præcavere, non erit inconveniens Regularibus recipere, retinere, ac conservare indifferenter omnia, & quæcumque mobilia, quæ ad manus illorum quovis licito modo devenire possunt, & pro quocumque tempore etiam longissimo, & vitalitio (modò tamen id faciant Superiore permittente, quousque ei placuerit). Sed

Respondet 2. Bartoluc. Ejusmodi provisiones, ut sint honestæ, ac instituto regulari convenientes, non posse excedere unius anni metam, computatis ac clausis in hoc anni spatio omnibus & singulis necessitatibus, tam certis, quàm illis, quæ probabiliter, attentis circumstantiis locorum, personarum, &c. evenire possent. In ceteris autem longioris temporis, tenerentur jactare cogitatum suum in Domino, & illius cutæ se totaliter

committere, sperantes confidenter, quòd is, pro cujus amore tempore professionis suæ, omnia mundana despexerunt, & reliquerunt, non sit oblivioſus, aut incurius futurus, ad procurandum eis tempore opportuno victum, vestitum, & cetera omnia, quæ sufficere possent ad suæ naturæ sustentationem, ac conservationem. Hæc ille fultus ratione multiplici, sed fortè nimis anxiè. (vestimenta illa excipe, quæ possunt per triennium vel ultra durare).

I. Ratio, Quia hoc alioquin haberet aliquam speciem thesaurizationis. *II.* Quia Christus generaliter omnibus solicitudinem præproperam, & intempestivam prohibuit: ergo multo magis religiosis, qui à die professionis jactârunt cogitatum suum in Domino, *Nolite soliciti esse in crastinum* (Matth. 6.) hoc est, in futurum, ut explicat S. *Hieron.* Ubi superfluam solicitudinem prohibet Christus; ut interpretatur *D. Thomas.* *III.* Quia si hujusmodi provisiones anticipatæ religiosis indefinitè licerent, numquam possent argui de superfluitate, quantumcumque corrogarent: etenim quod mihi in præsenti non est, fortè anno sequenti, vel tertio, vel decimo erit utile vel necessarium; & ita auctoritates S. Scripturæ, reprobantes superfluam curam, & superabundantiam, numquam invenirent locum. Sed ita non sensit *S. P. N. Franciscus*, qui nimis sæpe Fratres suos redarguit de superfluitate, nimia solicitudine, pretiosa nimis suppellectilium curiositate. Quod & faciunt Concil. Trid. & decreta Cardinalium. Hinc etiam *Carthusiani* in statutis novæ collectio-

nis, ut teneritudini sanctæ Matris ac Sponsæ paupertatis prospiciant, sanciunt, & vetant, ne umquã abundantem superfluitatem admittant (consideratis tamen circumstantiis, & eventibus pro futuro non irrationabiliter metuendis) sed vel pauperibus aliis, religiosisve, vel egentioribus Carthusiis distribuant. *Alias rationes vid. lc.*

Attamen quantum ad superfluitatis, aut pretiositatis excessum, possunt privati Religiosi stare, & acquiescere judicio & dispositioni suorum Superiorum (si tamen eis in omnibus sese submittant, libenterque patiantur vel sibi adimi, vel subtrahi, vel commutari, vel minorari, &c.) Qui etam (ut notat *Bartoluc.*) quando esset valde probabile, aut fundamentum in experientiis dubium, anno sequenti, vel tertio, vel quarto fore egentiã, possunt ampliorem pro ampliore tempore gerere providentiam, & curam. Nihilominus culpabilis cura erit, si in tanta copia mendicando corrogarent, ut alios pauperes defraudarent (quod valde reprehendebat *S. P. N. Franciscus*) vel à vermibus corrodi sinerent, aut alio modo perire. Hoc etenim valde detestatur, & exprobat *S. Jacobus* in sua Epistola. Accommodatè ad jam dicta

Q. 4. De qua cura loquatur *S. P. N. Franciscus* in Regula, dum dicit c. 10. *Moneo quoque & exhortor in Domino Jesu Christo, ut caveant Fratres à cura & solicitudine hujus sæculi,* quasi perpetuò victuri, instar nimis anxiarum formicarum, semper convehentium, & huic uni soli labori intentarum; quas ideo oderat idem *S. P. Franciscus.*

R. Cum *Bartoluc.* l. c. quòd loquatur de solicitudine,

tudine, & cura illicita rerum temporalium, quæ teste *S. Gregorio*, oritur ex avaritia. Et talis solicitudo, secundùm *D. Thom.* est quadruplex. I. Est, dum quis temporalia tamquam finem quærit. II. Dum in illis procurandis apponit superfluum studium, propter quod à spiritalibus, quibus principaliùs deservire deberet, retrahitur, vel quando spiritalia principaliter facit propter acquirenda temporalia, alioquin non facturus. Vel quando superflua, modo quolibet, sine mensura, cum aliorum damnificatione, repulsione, immo subinde etiam propriæ naturæ nocumento conquirit, vel negotiando, vel sordidè, & quæstuosè nimis laborando, &c. III. Quando quis timet, ne, faciendo quod debet, sibi necessaria desint. IV. Quando quis nimis anticipatas facit rerum temporalium provisiones, &c.

CAPUT XVII.

De diversitate observatorum Regulæ B. Francisci.

Q. An FF. Minores Conventuales, observando Regulam *B. Francisci*, juxta Summorum Pontificum, ac Conciliorum declarationem, mitigationem, privilegiationem, sint observatores Regulæ secundùm mentem *S. P. Francisci*, & per consequens sint ab omni scrupulo peccati ac inobservantiæ immunes. Circa hujus quæst. resolutionem vide c. XII. suprà.

R. Affirm. cum *Navarro*, *Emmanuele Rodetico*, *Bartolùc.* in fine libri sui. Quæ responsio mul-

multifariis probatur fundamentis. I. Quia id attestantur Constitutiones nostræ, tempore Pii IV. editæ, & ab ipso confirmatæ pro hoc Ordine, in quarum initio V. 3. habentur hæc formalia: *Nos interim Summorum Pontificum declarationem, usumque bonorum ejus post Patres nostros, qui Ecclesiam illustrârunt, secuti sumus, tutius esse arbitrantes, piam Ecclesiæ declarationem amplecti, quàm omnimodam Regulæ complexionem cum periculo profiteri; Et maxime cum videamus etiam ipsos observantiæ Regulæ professores habere varios redditus ac proventus,* (hoc pro nunc hic non discutitur ex proposito) *sine quibus minimè vivere possent.* Unde constat, quòd usus rerum nostro usui à Sede Apostolica concessus, paupertati Regulæ non contradicit. Tum, quia Majores nostri, qui doctrina ac pietate insignes fuerunt, ita vixerunt. Tum, quia nos Regulam *B. Francisci* non simpliciter juxta literam, sed juxta Summorum Pontificum declarationem (ita nos docuit B. Pater, cum Sedi Apostolicæ suam Regulam subjecit) profitemur, præsertim Martini IV. & Eugenii IV. Sixti quoque IV. & Alexandri VI.

II. Dispensatio circa paupertatis altissimæ votum (de quo nostra vertitur controversia) quam litera Regulæ præscribit, facta est cum nostro ordine æquè, ac omnibus aliis ordinibus (solis PP. Capucinis, & Minoribus strictioris observantiæ exceptis) à S. Concil. Trid. (Nisi postmodum alii ordines huic juri cesserint, cum approbatione Sedis Apostolicæ.)

III. Ha-

III. Habere dominium bonorum in communi jam concessum erat per dispensationem Apostolicam, toti Ordini Minorum, quando is adhuc erat indivisus, tempore Doctoris Seraphici *S. Bonaventuræ*. Quo tempore etiam Ordo Prædicatorum hoc idem privilegium, ejusve confirmationem accepit. Prout videre est in Bullario Magno.

IV. Quia Clemens VII. in quadam sua Constitutione, quæ incipit *Religioni, &c.* declarat expressè, Fratres Minores Conventuales sub obedientia Magistri Generalis existentes juxta *B. Francisci* Regulam vivere, & privilegiis universo Ordini concessis uti, & frui posse.

V. *Navarr.* 1. p. cons. tit. de Regul. 16. Cons. sic loquitur de proposita veritate. *Ex quibus colligitur, Fratres Minores Conventuales non potuisse compelli ad profitendum Regulam Fratrum Minorum observantiæ; quia Regula eorum est longè durior, ac alia, quàm Conventualium: quia ii profitentur Regulam D. Francisci temperatam privilegiis Apostolicis; illi verò profitentur eam nullo tali temperamento laxatam.* h. i.

VI. *Emanuel Rodriq.* quæstionem de hac materia tractantem absolvens, dicit: *unde, iis stantibus, error est dicere, eos, qui D. Francisci Regulam juxta Ecclesiæ interpretationem per Summos Pontifices factam vovent, & servant, in statu esse damnationis; nam ex hoc Ecclesiam errare* (quod absit) *sequeretur in iis; quæ ad animæ salutem spectant.* *Immò dicebat Navarrus, quòd mallet esse Conventualis, observando Regulam D. Francisci*

laxatam auctoritate Apostolica, quàm Frater de observantia, non servando illam integram, quam integram vovent observantes, juxta declarationem Nicolai III. & Concil. Viennensis. h. i. Pergit: in hoc Ord. min. Convl. professi sunt, & perseverarunt viri doctissimi, & præclarissimi, qui & Apostolicæ Dignitatis apicem ascenderunt. Quorum statum non debuit Persinus condemnare, nec alii reformati contra ipsum verba proferre, non credentes, se tot Patribus prudentiores, quos Deus ad tam eminentem statum vocavit. Solùm enim ipsis reformatis licet dolere, quòd fortè multi eorum, & etiam familiæ observantiæ non servant, neque satagunt integrè servare suam Regulam; & lugere, quòd multi Conventuales laxiùs servent illam, quàm à Sede Apostolica fuerit laxata; percupientes, ut omnes legem suam intelligant, & ad amussim implere conentur, & nullus eorum declarationem & laxationem Apostolicam auctoritate privata dilatet. Hoc enim munus reformatorum est, & illorum, quorum professio instrumentis reformationis ad charitatem tendit; & non murmurare, & judicare, cùm Dominus prohibeat ante tempus judicare, Hæc *Rodriq.* sententialiter.

NB. Laudandi sunt, ceterisq; procul dubio, in gradu meriti, & gloriæ præferendi in divino judicio, qui Regulam *B. P. N. Francisci* ad literam servant, quam ad literam promiserunt, (nisi tamen meritum eorũ inficiatur, prout in Pharisæo, qui se solum justũ reputabat, publicanũ autem ut peccatorẽ aspernabatur) Charitas non æmulatur, non agit perperam, nõ despicit alios, sed præponit

eos

eos sibi, de nullo tam viliter sentit, quàm de proprio subjecto. Videant illi, ne tandem videant eos in judicio sibi præponi divino, quibus se nunc arroganter præferunt in proprio. Audiant, quid *S P.N.Franciscus* illis, & nobis inculcet in Regula, c. 2. *Quos moneo, & exhortor, ne despiciant, neque judicent homines--- sed magis unusquisque judicet, & despiciat semetipsum.* Et c. 10. *Moneo, & exhortor in Domino Jesu Christo, ut caveant Fratres ab omni superbia, vana gloria, invidia &c.*

Rationes plures deprome ex solutione objectionum Cap. sequenti.

CAP. XVIII.

Solvuntur objectiones Cavillantium, FF. Minores Conventuales non esse Regulæ S. Francisci observatores, ejusdemque Filios.

PRimam cavillationem desumunt ex verbis *S.P. N. Francisci* in testamento, dicentis: *Et non mittant glossas in Regulam dicendo, ita volunt intelligi &c.* Inde inferunt: ergò Regula observanda est sine glossa, sine interpretatione, sine privilegiatione &c. alioquin delinquent contra mentem *S. P. Francisci.* Sed ad hanc

R. 1. cum *Bartoluc.* quòd auctoritas illa nullo modo liget ullos FF. Minores, quantumvis non sint Conventuales. Rationem dant ipsimet Summi Pontifices Gregorius IX. Nicolaus III. Quia *S. Franciscus* ad testamenti observantiam Fratres suos obligare nequivit sine eorum consensu, & maximè Ministrorum, quos universos tangebat.

Nec ſucceſſorem ſuum quomodolibet obligavit; cùm par in parem non habeat imperium.

R. 2. Perſona privata non poteſt quidem gloſſas mittere in Regulam; immò nec quilibet S. Theolog. Magiſter propria auctoritate: attamen gloſſas auctoritativas & judiciales deſuper edere, immo interpretari, variare, demere poteſt vicarius Chriſti ex cauſa juſta, legitima, ac rationabili. Cui ſuam Regulam *S. Franciſcus* humiliter, reverenter, & obedienter ſubjecit. Immo poſſet totum Minorum Ordinem ſubmovere.

R. 3. Ex eodem. Poteſt etiam ſuſtineri, quòd, qui ſervat Regulam ſecundùm declarationem Apoſtolicam, ſervet eam ad literam. Nam formalis conditor Regulæ fuit Honorius III. qui eam approbavit, ſicut materialis, qui eam ſcripſit, fuit *S. Franciſcus.* Quando ergò Summus Pontifex, qui Honorio III. ſuccedit, diſpenſat in ea, literaliter eam exponit, & non gloſſas apponit. Et ideò FF. Minores Convent. obſervantes eam ſecundùm Declarationes Summorum Pontificum, non ſervant eam ſecundùm gloſſam, ſed ad literam, in ſenſu jam explicato.

Secundam cavillationem eliciunt ex primo chronicorum volumine, in quo narratur, quomodo Chriſtus in aëre apparuerit *B. Franciſco*: &, dum eſſet altercatio inter eum ac Fratrem Eliam tunc temporis Vicarium Generalem, cum ceteris Ordinis Provincialibus, de Regulæ hujus inſtitutione ac obſervantia; cunctis illis audientibus, reſponderit Dominus, ſe velle hujus Regulæ

gulæ obſervantiam ſine gloſſa (ter repetendo) & ad literam.

R. 1. Ex eodem, credendo prædictæ hiſtoriæ veritatem: at hæc ſolùm verificabitur in iis, qui primitus literalem obſervantiam, & ſine gloſſis voverunt Domino in profeſſione; at poſtea voti immemores, auſi ſunt à Sede Apoſtolica impetrare ſubreptitiè privilegia, ac diſpenſationes relaxativas rigoris ac tenoris Regulæ. Hinc cum eodem

R. 2. Hiſtoriam illam neutiquam intelligi ac verificari poſſe de gloſſis ſeu interpretationibus, & explicationibus auctoritativè factis à diverſis Summis Pontificibus; nam quoad has Chriſtus non reſtrinxit poteſtatem ſui Vicarii, quaſi ab illa exemiſſet ſolam Regulam *S. Franciſci.* Immò nec per illam hiſtoriâ prohibitæ aut repulſæ fuerunt gloſſæ Magiſtrales ſeu interpretationes, quas ad Regulam *S. Franciſci* appoſuêre tot eruditiſſimi ac præclariſſimi viri in ſanctitate & doctrina, v. g. *D. Bonaventura*, *Quatuor Magiſtri*, *Hugo*, *Piſanus*, Patres Ordinis, *Joannes de Pechano*, ac ceteri quàm plures tam veteres, quàm moderni. interim.

R. 3. ex eodem, Hiſtoriam illam etiam ex mente Chriſti tunc fore verificandam, jam verificatam & hujus veritatis tunc initium ſumendum ſaltem in aliquibus, quos ſibi ſpecialiter fideles ſciebat & ſegregaverat Dominus. Inſuper etiam in hoc ſenſu, quòd quibuslibet temporibus uſque ad finem mundi futuri ſemper eſſent aliqui, immo quamplurimi in *S. Franciſci* propagine, qui hujuſ-

jusmodi observantiam literalem ac puram essent amplexuri. Quod confirmatur per revelationem eidem *S. P. Francisco* factam, in qua ei revelatum fuit, quòd numquam defuturi essent in Ordine, qui prædictam Regulam secundùm rigorem ac perfectionem essent observaturi; quod ad hæc usque tempora mirabiliter evenisse cernimus. Ex eodem

R. 4. Quidquid sit de primis vel glossatoribus, vel glossarum aut privilegiorum impetratoribus, an rei, vel innocentes; moderni professores Regulæ *S. Francisci*, prout à Summis Pontificibus auctoritativè mitigatæ (ut sit investitu deaurato sponsæ Ecclesiæ varietas; per quam etiam consulatur debilitati quorumdam naturæ, ratione cujus in multis robur corporis defecit, in aliis charitas refriguit) sunt in conscientia tutissimi, cùm nullus teneatur ultrà quã voverit. Potius rei sunt illi, qui blandientes sibi de observantia Regulæ ad literam, nihilominus propria auctoritate adducti, & privato amore seducti, effingunt sibi explicationes placentes, & detorquent verba Regulæ ad suum sensum. Hi dupliciter sunt rei coram Domino (si fortè tales sint.) Illis utique quadrat, quod dixerunt *Alvarus*, aliique Regulæ expositores, dicentes, non inveniri in Ordine majorem proprietatem, quàm supra Regulam requirere declarationes, ac privilegia (intelligo, si fiat subreptitiè, aut privata auctoritate, & post votum factum de servanda Regula ad literam; quale non emittunt, nec emittere ullatenus coguntur FF. Minores Conventuales). De cetero, *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos*

talem

talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. (1.Cor.11.16.

CAPUT XIX.

De aliis Controversiis, circa vitæ communis inductionem expeditis.

Q. 1. An antiqua & immemorialis consuetudo vivendi in peculio, Religiosos à vita communi amplectenda eximere possit, si Summus Pontifex illam absolutè urgeat. De hoc jam superius fuit aliqualis resolutio data. Insuper respondet *H. Casal.* negativè: nam consuetudo numquam præscribit, si lex continuè & expressè reclamet, & quascumque consuetudines (quæ potius corruptelæ sunt, & pravi nocivique abusus) abrogare intendat. Sed

Q. 2. Si quis profitendo, non intendat ultra Ordinis, Provinciæ, aut Monasterii consuetudinem se obligare (ubi talis consuetudo vivendi in communi necdum viget) is nihilominus, dum Superior justè reformare intendit ac cogitur, (conscientiâ urgente, vel insuper voti editi vinculo constringente) ad vitam communem cum aliis amplectendum compelli possit,

Respondet H. Casal. 1. p. c. 5. affirm. Rationem dat; quia, qui vovet servare Regulam, etiam implicitè intendit servare illa, quæ Sumi Pontifices necessariò judicãt resuscitanda, ac reformãda, pro talis Religionis cõservatione, ac propagatione & à quibus Religiosi defecerũt. Hinc addit, citans

Navar-

Navarrum; quamvis quis sub hac etiam forma professionem expressè emisisset: *Promitto servare paupertatem prout modo observatur*: is securus non esset; & in tali casu Superior posset ab eo tollere peculium, & ad absolutam promissæ paupertatis observantiam compellere. Ratio est; quia Regulam, non consuetudinem vovit se servaturum. Hæc ille; cui fortè non omnes credent, nec adhærebunt.

R. 2. Ex eodem, licèt promissio ultra intentionem promittentis non obliget; verum est hoc actioma cum hac distinctione, quòd non obliget ultrà, quàm feratur promittentis intentio vel explicitè & formaliter, vel saltem implicitè & virtualiter. Proinde, qui vult principale, censetur etiam implicitè velle ejus accessorium. v. g. qui vult fieri Minorita, vult etiam necessariò accessorium, videlicet obligare se ad præcepta Regulæ Minorum, non tantùm essentialia, sive necessariò cum essentialibus connexa. v. g. obedire Superiori in omnibus justis ac rationabilibus (qualis est reformatio ad necessariam, ac sanctam vitæ communitatem) sed etiam ad illa, quæ ad debitam essentialium observantiam inserviunt. Ita *Innocentius. citat. à Bartoluc.*

Qui etiam addit, illum, qui ad Deo serviendum, Monasterium aliquod est ingressus, & advertit ibi vota debitè non observari, talem pro nata occasione teneri se reformare, ut deinceps vota emissa exactè servet, licèt ex errore aut ignorantia, antè ea non servasset, nec alii in eodem Monasterio servassent.

Silve-

Silvester, dictus *Innocentius*, & alii adhuc plus dicunt, videlicet eum, qui allegat, suæ intentionis non fuisse, ad plura se obligare, quàm ad ea, quæ videbat in Monasterio suo practicari, dum voveret; talem ajunt non magis audiendum esse, quàm qui ad prætexendam excusationem, malitiam propriam allegaret.

Azorius quoque citat. à *Casal*, docet, eum, qui simpliciter promisit, se Religionis institutum servaturum, arctiorem Regulam, si restituatur, servare debere.

Valerius autem cum *Reginaldo* ait, hac prætensa intentione, tales à peccato mortali non magis excusari, quàm excusaretur is, qui susceptis Ordinibus sacris, diceret, se non intendisse ad observantiam castitatis se obligare. Et addit insuper ex Trid. quòd, cùm introducitur reformatio, Religiosus teneatur eam suscipere, non modò quoad Regulæ essentialia, sed etiam quoad illa, quæ ad eorum observantiam apprimè conducunt; prout jam tum ante dictum.

Huc etiam spectat, quod ait *Graffius*, videl. quòd, si quis profiteretur cum intentione, sibi aliquid proprium reservandi, talem futurum verè Religiosum: conditionem verò illam tanquam vitiosam, & substantiæ professionis repugnantem haberi pro non adjecta, adeoque nihil efficere. (quod intellige, si intentio fuerit absolutè seria quo ad hoc, quòd omnino voluerit fieri religiosus; alioquin hæc responsio non valet, ob dicta suprà in resp. 2.)

Cum hoc tamen manet, quòd talis professus non

non posset cogi ad antiquos rigores; v. g. incedere nudipedem, numquam portare linteamina &c. *hucusque H. Casal.*

Q. 3. An ignorantia eorum, quæ promittuntur in professione, à reformatione & vita communi quempiam eximere possit. *Resp.* Quòd rarissimè possit talis ignorantia locum habere, ut excuset ab hac dicta communitate (si tamen legitimè auctoritate Pontificia introducatur) si professio alioquin fuerit valida. At, si fuisset tanta, ut ob eam fuisset professio invalida, talis invalidè professus ad vitam communem cogi non poterit. *De his vide plura apud H. Casal. lc.*

Q. 4. An possit subditus, dum (Superiore justè reformante) tenetur cum aliis amplecti sacram vitæ communitatem, legatis, aut bonis mobilibus proprio labore, industria, aut hæreditate acquisitis cedere in favorem parentum, aut amicorum, quibus vult potius ea largiri, ut gratificetur ipsis, quàm in communem usum conferre, ex odio vitæ talis communis; vel, quia nequiter cogitat, jam Ordo tenetur mihi omnia suppeditare; ergò peculium parentibus aut amicis resignabo &c.

Respondet *H. Casal.* talem esse cæcitatem intolerabilem, manifestam injustitiam, notoriam proprietatem, notabile furtum, damnabilem ignorantiam, velle dare aliis, quæ duplici jure tunc spectant ad Monasterium, 1. Quia quidquid acquirit Monachus Monasterio acquirit. *Secundò*, quia ratione talis Monachi pro futuro facilius vestiendi, Monasterium jus in ejus peculium

lium habet. Et, ut ita allevietur Monasterii onus circa alios vestiendos: possitque sic facilius introduci, commodiùs conservari, & perseverantiùs stabiliri tam nobile sanctæ communitatis bonum.

Non longè mitiùs loquaris de illis, qui, intuitu S. communitatis introducendæ, vellent peculium potitando, ludendo consumere, ut ita duplici onere injuriosè & nequiter gravent Monasterium. Tales non merentur à sacro Ordine cibari sanctis eleëmosynis, minùs vestiri, qui tam debilem habent charitatem, fidem tam otiosam, spem tam malitiosè fundatam. Tales sunt spuma, & dedecus suæ Religionis; in qua proinde nec sibi, nec aliis umquam proficient, nisi citiùs resipiscant.

Q. 5. Cujus sit, judicare, an Monasteriorum redditus sufficientes sint ad vitam communem introducendam, an non. Operæ pretium est, hujus quæstionis decisionem præstolari; nam, si revera Monasterii redditus insufficientes sint &c. excusabuntur tales Religiosi coram Deo.

R. 1. Ex *H. Casal.* cit. inprimis tale judicium nullo modo spectare ad quoslibet indifferenter subditos (fortè proprietarios, peculiaristas, suo ventri magis quàm Deo servientes, communem vulgaremque mensam fugientes &c.) v. g. etiam Moniales. Ratio est; quia dementissima foret temeritas, si oves pastorem instruere, & ducem suum vellent deducere. Deinde 1. Tim 2. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, nec dominari in viru-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum, sed esse in silentio. 1. Cor. 13. *Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit.* Hoc dictum ad cautelã sciolarum, & curiosarum Monialiũ (quæ subinde plus volunt sapere cum primâ matre Eva, quàm Deus & Adam) ne eis eveniat, quod formicis; hæ enim dum adhuc alis carent, & sua sorte contentæ in humili manent, operi suo intentæ, securè vivunt. At, postquam nascuntur eis alæ, humilem terræ locum fastidire incipiunt, & stultè per aëra volare: illasque hæc insipientia prædas efficit omnium volatilium. *Applica.*

R. 2. Superior localis, v. g. Prior, Guardianus, immò & eorum Officiales œconomi, sicut & cordati eorum subditi, si fideles sint in cura, voluntate pura, & charitate non ficta, ita ut optimè intendant cum sua religione, quærentes ejus provectum, habentesque voluntatem in lege Domini, possunt utique discernere, ac dijudicare, an moralis insit & adsit potentia, ut in- & ex communi vivere valeant Religiosi talis Monasterii. Attamen insuper

R. 3. Cum *Servatio in optica* sua, quòd hoc munus magis propriè, judicialiter & auctoritativè spectet ad Visitatores, v. g. Provinciales, Generales, item Generalia, vel Provincialia Capitula, aut Generales vel Provinciales Congregationes. Ratio est; quia penes illos, aut illa, vel illas minor poterit esse deceptionis, vel circumventionis locus, (si tamen secundùm Deum, & conscientiam rectam procedant, ut supponitur). Si autem certa Monasteria, v. g. Monialium, subjici-

subjiciantur jurisdictioni Ordinariorum, ad hos spectabit hujus rei judicium, at prævie pensatis omnibus circumstantiis &c. rebusque Monasterii discussis, ac ponderatis. Et hoc

Probari potest ex eo, quòd S. Concil. Trid. Episcopis, & locorum Ordinariis præcipiat, ut Regulares sibi subditos ad disciplinæ regularis observantiam, & vitam communem redire compellant. Et, quia talis pia datur interpretatio Concilii, ut non censeatur velle adstringere tunc, cùm ratione paupertatis impossibile est vivere in communi, consequenter, ut ab iis possit priùs dignosci, quænam Monasteria ad vitam communem possint congruè compelli, & quæ non; hinc censetur Episcopis concedere jus judicandi super sufficientia bonorum, vel eleëmosynarum &c. ad hoc requisitorum. (Nam qui vult antecedens, vult & consequens.) Quod idipsum

Confirmatur ex Decreto Pauli V. quô mandavit omnium Ordinum Superioribus, ut bona omnia Monasteriorum diligenter ac maturè recognoscant, & sedulò examinent, quatenus sibi subditos ad vitam communem valeant reducere.

CAPUT XX.

De peccato Religiosorum, opponentium se vitæ communi.

Q. 1. Qualiter peccent Religiosi, opponentes se justæ & regulari introductioni vitæ communis. Resp. ex *Laurentio de Peyrinis* Ord. Minim.

Tom. 1. de subdito. q. 2. c. 2. §. 2. his formalibus. *Similiter peccant mortaliter subditi, dantes peculiis causam, resistendo vitæ communi, cùm illis necessaria ministrantur. Ita Antonin. Silvester. Peccant etiàm mortaliter, graviter murmurando, & magnas querelas fundendo, ne dicta vita communis introducatur. ut Sanchez & est peccatum contra paupertatis votum. h. i.*

Ratio hujus ultimi dicti est; quia vi paupertatis tenentur non tantùm eligere, quæ ad paupertatis religiosæ observantiam conducunt, aut necessaria sunt, sed etiam non contradicere his, quæ ad hunc finem à Superiore salubriter & rationabiliter secundùm Regulam, SS. Conciliorum, & Pontificum Decreta servanda proponuntur: ergo.

Ratio autem principalis responsionis est; quia in materia gravi graviter lædunt bonum commune religionis suæ; quæ offensa etiam cedit in gravem tandem ruinam animarum, aut saltem periculum proximum, & manifestum, proximorum quoque grave scandalum, ac cultûs divini imminutionem &c ut prô dolor! nimis manifestum est ex quotidiana experientia.

NB Hæc autem vita communis (si ad eam fiat reformatio in aliquo Monasterio, vel tota Ordinis Provincia) oportet (pro firmiore stabilitate) ut sit *exactè & perfectè communis* quoad omnes personas, omnes Conventus, omnia suppeditabilia, omnia resignanda, &c. vel manebit imperfecta, vel fortè insuper chymærica, & fictitia, cum offensione & risu omnium sanè loquen-

quentium Nam, si non perfectè incipiatur, certum est, quòd sensim relabatur. Sed ad hoc requiritur fervor eximius in majoribus Superioribus, & coadjuvans non segnis conatus in Superioribus localibus, potioribusque subditis (nam alii ad subjectionem & consensū potiorum & saniorum, seipsos dedent; ad exemplum minorum civitatum quæ seipsos sponte dant victas vel nolentes, vel volentes, si videant fortalitia majora vicina à Rege potente occupari.)

Q. 2. Quid maximè obstet S. communitati introducendæ. *R.* nil æquè obstat, ac *meum, tuum, suum*, frigidum illud verbum; à quo in Ordines Religiosos serpit omne malum.

Q. 3. Quid maximè conducat S. communitati introducendæ. *R.* Quod *bona voluntas* tam in subditis, quàm in Superioribus. Hæc ubi est, ibi charitas erit: quæ si ibi fuerit, erit simul & patientia in communi inopia, & supportatio ad invicem fraterna, & labor mutuus pro refovenda Fratrum egentia. Ubi seriò, efficaciterque intenditur finis, ibi facilè deliberatur de mediis. Per hoc

Obstruitur os illorum, qui pecuniâ bene saginati (utinam & charitate!) dicunt: quare vellemus ita in communi vivere? mihi jam sat bene est: jam diu sic viximus quietè: *Pueri mei in cubili mecum sunt, non possum surgere*: id est, loculi, nummi me ad grabatum insolentis hujus & exoticæ quietis detruserunt; erit mihi difficillimum, immò & venæ vitali lethiferum, me jam expropriare, resignare, & regulæ (prout tamen pro-

misi) ac Constitutionibus meis conformiter vivere. An ita loquuntur Religionis vestræ Filii, an alienigenæ? His utique ego sic respondere valerem: & mihi esset utcumque bene (si vobiscum in eumdem sensum descenderē) sed non cupio dormire, nec pigritare in lectulo quietis mihi non sanæ, tam inquietæ. Quæro autē ab illis, an & bene sit toti Religioni, singulis Fratribus, egentibus, & gementibus, & honori totius eorum Religionis? illis utique non erit bene, nisi bene sit omnibus, quod sperare nequimus, nisi à *communi bono esse, in communi vivere, pro invicem in communi satagere, & laborare &c. communi charitate infirmiores ac egentiores sublevare &c.*

Quàm difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire! Marci 10. 14.) Ignoscite charitati, non mordacitati loquentis. *Confidimus autem de vobis, dilectissimi meliora, & viciniora saluti, tametsi ita loquimur.* Heb. 6. 9.

Q. 4. Quibus assimilandi Religiosi, pro communitate laborantes. Resp. ex *Philippo Picinello* Abbate Canonic. Lateranen. quòd aptè assimilentur apibus (Et *S. Virgo & Martyr Cæcilia* pro communi animarum bono solicita, quasi apis argumentosa tibi Domine deservit.) Apes in commune conspirant, dulce charitatis communis pabulum in unum cellarium convehentes, convolantes, concredentes, collaborantes. Nihil noverunt nisi commune. *Hic labor omnibus unus.* &c. Has imitentur Religiosi; & dulce mel charitatis non deficiet à domibus eorum.

Q. 4. Quàm soliciti fuerint olim Monachi circa

ca communitatem etiam in vestitu servandam, eliminatâ qualibet peculiaritate. *R.* id satis patet ex eo, quod præscribit *Cassianus l. 4.* de forma recipiendi & instituendi Novitios, ubi sic inquit: *Cùm receptus fuerit, ne ipsum quidem, quo opertus est, vestimentum habere permittatur ulteriùs; sed per manus Abbatis induatur Monasterii vestimentis: per hoc, se jam opibus sustentandum, non sæculi arte quæsitis, nec de infidelitate pristina reservatis, sed de sanctis ac Monasterii largitionibus militiæ suæ stipendia percepturum, atque inde se deinceps vestiendum, alendumque cognoscens; & nihil habere, & nihilominus de crastino non esse solicitus, secùndùm Evangelii discat sententiam. h. i.* His conformiter etiam in Collegio Germanico Romano debent vestimenta etiam interna esse de communi vestiario, & communia; ne charitati ponatur offendiculum à potentiore, v. g. Præobili, Barone &c. & hoc aptè, juxta illud: **Gleiche Mönchen / gleiche Cappen.** Quantò ergò potiùs apud viros religiosos debent omnia esse communia, etiam vestimenta? quæ communitas ibi practicatur, ubi charitas solicitiùs amatur.

* * *
* *
*

CAPUT XXI.

De mala radice, maloque fructu neglectûs vitæ communis.

Q. 1. Cur vitæ communis regularitas defecit in multis Monasteriis, ac Ordinibus? *Resp.* Cum Doctore Seraphico quæst. 19. circa Regulam *S. P. Francisci* his verbis. *Causæ autem, cur communitas in Religione deficit, sunt sequentes. I. Est multitudo intrantium: quia multi non possunt tam facilè flecti, sicut pauci--- & ubi multa capita, ibi multa cerebra, quæ omnia non possunt ad unum sensum deflecti. &c.*

II. Cùm subtrahuntur, qui primò tenuerunt Ordinem in suo vigore: vel cùm debilitantur in corpore, non possunt junioribus arduæ rigoris dare exempla, sicut priùs. Et novi, qui priora opera non viderunt, imitantur eos tantùm in his, quæ nunc vident in eis, & fiunt remissi; & sub specie discretionis, ne seipsos, sicut antiqui, destruant, parcentes corpori. Et quia internas virtutes, quas antiqui habuerunt, non agnoscunt, ubique neglecti sunt; quòd nec exteriùs exercentur, nec interiùs virtutes apprehendunt. Etiam, quia antiqui modò non valent eos exemplo præire, timent eos in verbo corrigere; quia solent dicere juniores: verba quidem bona sunt, quæ dicunt nobis, sed opera non ostendunt; & sic magis scandalizantur.

III. Quod quilibet non dicit, nescit docere. Igi-

tur

tur cùm regimen Ordinis devolvitur ad istos juvenes, tales nutriunt, quales ipsi sunt; ita quòd jam Prior Fratrum in fabulam vertitur, non trahitur in exemplum. Immo se tantò reputant illis prioribus meliores, quò minùs agnoscunt, quæ sint perfectorum virtutes. Et dum exempla quædam exteriori disciplina conservant in choro, vel processionali ingressu, & similibus, audent asserere, quòd status Ordinis nunquam fuerit ita bonus.

IV. Quòd paulatim subintrant non bonæ consuetudines, quæ statim trahuntur ab aliis in exemplum. Et, si aliqui zelum Dei habentes illa redarguunt, audacter defendunt alii, quare sibi non liceat, quod aliis permittitur? & pro lege tenebitur; cùm ex usu jam conveniens videatur, ita quòd vix de cetero poterit extirpari. Rectores quoque etsi talia non diligunt, tamen, ne majus malum sequatur, dissimulant, ut cum Fratribus paciscè vivant. Cùmque una consuetudo talis facta fuerit tolerabilis, consequenter introducitur alia quasi cohærens priori, ut, si illa admittitur, ista vetus toleretur.

V. Occasio occupationum frequenter emergentium, quæ corda distrahit, affectum devotionis extinguit, meres alterat, interiùs occasiones vitiorum inducit. Et ne de sua correctione efficaciter cogitent, semper impedimenta novæ Religiosis innectit, donec tandem consuescant sola exteriora cogitare. Et, obscurato conscientiæ oculo, etiam cùm desunt, occupationũ causas impudenter quærere. Sicut Sampson cæcatus in carcere molam traxit. Judic. 16, &c.

VI. Alia specialis causa (quorumdam Ordinum) est nimia inopia; ex qua coguntur fieri proprietarii; dum sibimet videtur quisque providere, quia non providetur eis in communi &c.

VII. Nimiæ opes: ex quibus fiunt carnales, superbi, & multipliciter vitiosi. &c.

VIII. Frequentia inter sæculares: ex qua oritur multarum tentationum carnalium materia, & teporis. &c.

IX. Subinde etiam frequens mutatio Prælatorum. Quæ etsi pro parte bona sit, in quantum mali abjiciuntur; tamen in eo nociva est, quòd boni, dum citò sperant absolvi, non præsumunt aggredi, vel non proficiunt, ut reforment statum sui Ordinis. Et rebelles subditi potiùs laborant, ut deponatur, quàm ut status debitus servetur.

X. Item, si unus Prælatus quandoque vult reformationi intendere, ab aliis quoque modo impeditur, vel ad minus non juvatur ab his, quorum auxilio indigeret. v.g. Prior non juvatur ab Abbate, vel Abbas ab Episcopo; & de similibus similiter judicabitur. Unde rebelles subditi appellant ad illos, quos sciunt sibi in sua rebellione favere.

XI. Item, si aliqui in uno loco diligerent reformare statum in melius, mittuntur ad alium locum, ubi non inveniunt, quod quærebant.

Ex his atque aliis communis status religionis deficit, ut non solùm fiat deterior, sed etiam quasi desperabilis, quod vix umquam (nisi Deus ordinet aliter) reformetur. NB. sed, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; quod non fit in communi, potest fieri in particulari. Quilibet

profice-

proficere volens convertit ad lucrum suum aliorum detrimentum. Et omnes vias alieni defectus ad profectum suum cum Dei gratia retorquet.

Q. 2. Unde est, quod videmus aliquos Religiosos moribus ita distortos, & rudes, sicut aliquos saeculares, superbos, vanos, cupidos, invidos, avaros &c.

Resp. cum Doctore Seraphico q. 16. circa Regulam his formalibus. Religio est schola virtutum. In qua sicut in aliis disciplinis & artibus discendis incumbitur. Videmus autem, quòd alius alio peritior, & alius rudior: alius segnior. Hæc autem differentia ex V. causatur.

I. Causa est, quòd alicubi informatores habentur, alibi verò non. &c.

II. Causa est defectus bonorum exemplorum. III. Est novitas in religione &c. IV. Est defectus gratiæ: non enim omnes omnia possunt. V. Est voluntas propria. Dum nimium quis diu steterit in Religione, & bonorum exempla despexit: doctrinam non juravit: gratiam abjecit: virtuti non studuit: vitiis se subdidit: sicut eheu! plures sub Religionis habitu velut dealbata sepulchra, in scandalum aliis, conteguntur. h. i.

CAPUT

CAPUT XXII.

De tepore Religiosorum aliquorum orto ex defectu vitæ communis; & de necessario fervore, & patientia Prælatorum, reformare volentium.

Q. 1. Unde tantus tepor oriatur in quibusdam Religiosis, quòd non solùm assimilentur sæcularibus, sed multi sæculares sint meliores, perfectiores, devotiores, sanctiores ipsis.

R. 1. Hunc teporem vel ortum, vel incrementum sumere subinde ex defectu vitæ communis; (dum Religiosus interim non habet aliunde provisionem) utpote quo defectu perurgente, & necessitante, coguntur sordidè pro privata sua necessitate mendicare, & fieri iterum quasi sæculares, habitum internum viri religiosi ementientes. Piscis extra aquam si voluerit cum quadrupedibus pasci in pratis, emorietur ocyus, ajebat *S. Abbas Antonius.*

R. 2. Monstruosum hunc dissolutionis teporem scitè ac verissimè, deplorans describit *S. Bernardus Apol. g. ad Guiliel. Abbatem*, dum inquit: *Heu me miserum qualemcumque Monachum! cur adhuc vivo videre ad id devenisse Ordinem nostrum.-- Cujus Apostoli institutores, cujus hi, quos Paulus tam sæpe Sanctos appellat, inchoatores exstiterunt! Et quidem inter illos, cùm nihil, quod suum esset, quisque retinuisset, dividebatur, ut scriptum est, singulis prout cuique opus erat; non*

igitur, quod quisque pueriliter gestire poterat. Sanè, ubi tantùm quod opus erat, accipiebatur, ibi nihil procul dubio ociosum admittebatur: quantò magis nihil curiosum, nihil superbum? &c. Non illic, arbitror, valde curatum fuisse de pretio, de colore, de vultu vestimentorum, ubi tam indefessum inerat studium in concordia morum, animorum cohærentia, profectuque virtutum. Multitudinis, inquit, credentium erat cor unum & anima una. (Act. 4.) Ubi nunc illud unanimitatis exercitium? fusi sumus exteriùs: & de Regno Dei, quod intra nos est, parum curantes, relictis veris ac perennibus bonis, foris quærimus vanam consolationem de vanitatibus, & insaniis falsis: & jam Religionis antiquæ non solùm virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. h.i.

R. 3. Hic justus *S. Bernardi* planctus sit ad consolationem aliorum vel Correctorum, vel Reformatorum in Religionibus deficientibus, aut defectuosis. Quos sic consolatur, & erudit Doctor Seraphicus l. de sex alis Seraphim, ala 3. dicens: *Superiori, animarum Rectori patientia est necessaria pro tardo profectu illorum, in quibus continuè fatigatur; videt enim paucos eorum proficere. Videt pòst, quia per multos conatus suos ea, quæ multo labore in modico jam emendari ceperant, ex facili iterum dilabuntur: & per plures difficultates & obstacula profectum spiritalem impedientia quasi in desperationem tendere fructum laboris sui: sicut, qui multum seminavit, & pauca conspicit oriri. Videt etiam quandoque, quæ personaliter jubet & ordinat, negligenter impleri*

pleri & servari : & sæpe sub specie boni latenter malum subintrare, &c. v.gr. ut multi salventur, plures quam opportunè tenere possumus, recipimus. Sed ipsa tandem multiplicatio erit paupertatis nostræ obfuscatio; dum plures velint gaudere pluribus, non carere. Inde frequentior discursus pro acquirendo necessaria : exquirentur viæ insolitæ in petendo : incautiùs agitur contra Regulam recipiendo: quies devotionis extinguitur: mores religiosi in dissuetudinem vertuntur. Consuescunt Fratres libenter evagari, & diversa carnis commoda foris venari : familiaritates in Regula prohibitas contrahere : munera à confitentibus quærere: ædificationes animarum pro quæstu vendere: divitibus adulari: areas dilatare: sumtuosa palatia exaltare: scandala non curare. Et Dei honor, qui ex nostra conversatione, & aliorum ædificatione provenire debuerat, agendo his contraria, conculcatur.

Pergit Doctor Seraphicus. Patientia quoque est animarum Rectori necessaria pro ingratitudine illorum, pro quibus tanta solicitudine laborat, scil. quòd vix unquam eis satisfacit, quin semper conquerantur, quòd aliter posset eis & melius facere, si vellet. Quòd sæpe perplexus est, an debeat eorum importunitati cedere, & acquiscere in omnibus, quæ cupiunt, vel rigidè tenere, quod credit esse magis expediens. Item, quòd invertunt ei plurima, quæ facit, & interpretantur ad deteriùs, & super his murmurant, accusant, & detrahunt ei: & sumunt inde materiam scandali, unde putabat se Deo & ipsis obsequium præstitisse; ita quòd

vix

vix in aliquo possit inveniri medium in hoc quod ordinat, aut quod facit, quin semper aliquibus displiceat, & turbentur. Item, quòd etiam in faciem quidam resistunt ei, vel literis arguunt eum, & despiciunt, & concitant alios, ut se ei opponant: vel astutè impediunt, ne possit perficere, quæ deberet, &c.

Non autem mirum, si omnes conatus Rectoris non proficiunt in omnibus; cùm nec Dei operatio in omnibus proficiat ad salutem ipsorum: Multi enim sunt vocati, & pauci electi. Omnia enim, quæ seminantur, non convalescunt. Et, qui thesauros effodiunt, libenter multam terram eruderant, ut modicum auri vel argenti reperiant. Tantus autem profectus est boni Rectoris, quantum foret detrimentum, si non esset: sicut lux tantum est bonum, quantum absentia ejus est malum.

Animare etiam debet Rectorem ad laboris tolerantiam, quòd non minus meretur in illis, qui deficiunt, vel modicum proficiunt, quàm in his, qui maximè proficiunt. Non enim dicit Apostolus 2. Cor. 3. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum profectum, sed secundùm suum laborem: Dei enim est, incrementum dare. Plus enim laborat Doctor in indocili, quàm in docili Discipulo: Et ideo apud justum æstimatorem laboris plus meretur. In terra sterili & saxosa agricola plus laborat; & si fructus paucior, sed pretium majus: & quæ difficiliùs elaborantur, sæpe cariùs venduntur. h. i.

R. 4. S. P. Franciscus quamvis Seraphici fervoris esset, attamen scandala omnia suorum in initio

initio Religionis prævenire non potuit. De quo S. Bonav. c. 8. vitæ, §. 11. sic scribit : *Tanta frequenter afficiebatur mœstitia super scandalo pusillorum, ut deficere se putaret, nisi fuisset divinæ clementiæ consolatione suffultus. Cùm autem semel malis turbatus exemplis anxio spiritu misericordem Patrem precaretur pro filiis, responsum hujusmodi reportavit à Domino : Cur tu pauper homuncio conturbaris? an ego te super Religionem meam sic Pastorem instituì, ut me principalem nescias esse patronum? hominem simplicem ad hoc te constituì, ut, quæ in te fecero, non humanæ industriæ, sed supernæ gratiæ adscribantur. Ego vocavi, servabo, & pascam: & aliis excidentibus, alios subrogabo; ita ut sinati non fuerint, faciam illos nasci.* h. i.

CAPUT XXIII.

De ulteriore felicitate communitatis religiosæ.

DE hac jam plurima dicta sunt supra c. 7 plura hic dicentur. Proinde

Q. 1. In quibus consistat felicitas statûs Religiosorum in communitate exacta viventium.

R. Quòd (præter supra recensita) in sequentibus. I. Quòd imitetur quodammodo statum Beatorum in cælis : de qua Ven. Beda cit. à S. Bonav. in Pharetra l. 4. ubi inquit: *Qui ita vivunt, ut sint omnia communia in Domino, cœnobitæ vocantur Quæ vita tantò felicior est, quantò statum sæculi futuri imitatur, ubi omnia communia;*

nia; quia Deus est omnia in omnibus: & quia ibi summa pax, & securitas, civitas in qua typus hujus vitæ præcessit, Hierusalem, id est, visio pacis dicta est. h. i.

II. Beatitudo quædam terrena, Deo placita. Cui aptatur, quod dixit Seneca Epist. 48. ante med. *Non potest quisquam beatè degere, qui se tantùm intuetur, qui omnia ad utilitates suas convertit. Alteri vivas, oportet, si tibi vis vivere.*-- Idem. *In hoc gaudeo aliquid dicere, ut doceam: nec me ulla res delectabit, licèt sit eximia & salutaris, quam mihi unus sciturus sum.* h. i.

III. Quies jucunda inculpata. Cui accommoda dictum cit. Senecæ in proverbiis: *Quietissimè viverent homines, si duo verba tollerentur* meum, & tuum.

IV. Bonum unius accrescit alteri indigenti. S. Gregor. in Registro l. 2. c. 68. *Nullus vestrûm, neglecta utilitate communi, suo lucro prospiciat.*-- *Bonum proximi etiam otioso commune fit, qui de alterius actibus gaudere communiter scit.*

S. Chrysost. in quodam serm. *Omne quod nostrum est, tunc magis nostrum erit, si sit nobis commune cum fratribus.* Idem super Joannem: *Qualiter est imitatores fieri Christi? R. Ad communem utilitatem omnia negotiantes, & non qua nostra sunt, quærentes, &c.*

S. Ambros. l. 3. offic. c. 2. *Qui perfectè sapit, nescit sua spectare commoda, sed ad illud, quod æternum est, quod decorum atque honestum, toto affectu intendit, quærens non quod sibi utile est, sed quod omnibus.*-- *Nihil judicandum utile, nisi quod in communi prosit,*

S. Bern. l. 3. de consid. post med. *Quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur; ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; utilitas, dico, communis, non propria: nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* h. i.

V. Jucunditas in spe retributionis fundata. De qua in vita *S. P. Francisci* c. 7. De eo ait *S. Bonav. Nonnumquam fratres ad petendam eleemosynam hortans, verbis utebatur hujusmodi: ite, inquit, quoniam hac novissima hora Fratres Minores commodati sunt mundo, ut electi in eis impleant, unde à judice commendentur, illud audientes suavissimum verbum: quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*-- Quamdiu non fecistis uni de Minoribus his, nec mihi fecistis (Matth. 25. v. 40. & 45.) *NB. Jucundum proinde dicebat, sub Fratrum Minorum titulo mendicare.--- Illum sanè panem Angelicum esse dicebat, quem pro Dei petitum amore, & Beatis suggerentibus Angelis, pro ipsius charitate largitum sancta paupertas colligit ostiatim.* h. i.

VI. Fratrum ad invicem socialitas, amicabilitas, confidentia, sublevatio, supportatio: proximorum ædificatio, resignatio, obediendi promptitudo, &c. De quibus l. c.

Q. 2. Cur Religiosus debeat amoris brachiis aspirare, & amare S. Communitatem suo Ordini consentaneam.

R. Cum *S. Bonav.* quòd propter sequentes causas, quas ipse explicat in Diæta salutis Tit. 4. in ini-

initio. *Tria commendantur in Religione vel Religiosis, scil. I. Pondus maturitatis. II. Amor communitatis. III. Fuga proprietatis. Religiosus debet amare communitatem, & hoc multiplici exemplo. Videmus enim, quòd plures homines quando sunt congregati, incedunt securiùs, resistunt fortiùs, solatiantur jucundiùs. Unde dicitur in Eccles. c. 5. Melius est duos esse simul, quàm unum. Videmus insuper è contrario, quòd avis sola singularis vel est rapax, ùt accipiter; vel amisit socium, ùt turtur. Sic Religiosus singularis vel est rapax, detrahendo, vel judicando patrem vel proximum; vel amisit socium, id est, Christum.-- Videmus etiam, quòd sola candela per ventum extinguitur, sed non ita de facili, quando cum aliis ardet. Sic plures congregati vinculo charitatis, junctimeliùs lucent per exemplum, vehementiùs ardent per desiderium divinum. Unde dicitur in Ps. 49. Congregate illi Sanctos ejus. Videmus etiam praterea, quòd non unus denarius, sed plures faciunt thesaurum: non unus miles, sed plures faciunt exercitum: non unus scholaris, sed plures faciunt studium: non unus bos, sed plures trahunt jugum: non unum membrum sed plura faciunt corpus unum: non una apis, sed plures componunt favum: non una species sed plures faciunt electuarium. Sic cùm plures sunt uniti per amoris vinculum, est in eis absque dubio major abundantia meritorum. Unde in figura hujus non unus solus discipulus, sed plures discipuli receperunt Spiritum S. ut dicitur in Actis. h. i.*

CAPUT XXIV.

De Communitate, prout opponitur Singularitati, &c.

Q. 1. Cur singularitas singulariter vitanda Religiosis. Ante *Resp.* N. ex *S. Bonav.* in l. de profectu religios. quòd non quælibet singularitas sit vitiosa, & vituperabilis; nam nullus sanctorum est in cælis, qui non studuerit in virtute singulari singulariter esse singularis. Ideoque solùm excluditur, & reprobatur *I. Singularitas hypocritica*, per quam quis studet sanctus videri, & non esse: item aliis melior videri cum vana gloria, cùm tamen vilior sit: item sua opera avet apud hominum judicia singulariter aliorum operibus, factis, aut dictis proferri: item publicè jejunat, at privatim pauperem in abscondito devorat, & lautiùs epulatur: item vult apparere hominibus jejunans, orans, hæc & alia bona opera faciens; quorum tamen osor, & hostis est.

II. Reprobatur *Singularitas communitatem offendens*; quâ quis ex pertinacis superbiæ judicio, communibus nec credit, nec obedit in Religione exercitiis; sed vult melius aliquid sapere & agere. De qua *S. Basil.* in sua Regula: *Monachus, qui auctoritate sua aliquid facit, manifestissimè morbo superbia detinetur.* De hac & *S. Teresia à Jesu* monito 33. inquit: *Singularitatem, quantùm potes, maximè devita, hæc namque communitati permultum nocet.*

III. Sin-

III. *Singularitas novitatum inventiva*; v.gr. Vult religiosus ire nudipes publicè, dum ejus confratres sunt calceati. Attamen, licet, *quæ communia non sunt, foris ostendenda non sint, hæc in secreto tutiùs exercentur ut privata.* l. 1. imit. c. 19. n. 5. v. gr. Se disciplinare, expansis brachiis orare, super pavimento dormire, cilicium, aut catenam ad carnem portare. NB. *S. Bernardus*, dum audivit, Fratribus suis innotuisse, quòd cilicium portaret ad carnem nudam, illico deposuit, ne singularis haberi videretur, qui volebat haberi vilior inter illos, & ut monstrum inter Filios Dei. Proinde vetita est

IV. *Singularitas charitatis offensiva*; quæ generat pusillis scandalum, offendiculum, aut pusillanimitatem. Hinc *S. P. N. Franciscus* nolebat in jejunio fieri aliorum exemplum; immo jubebat comedere, licèt ipse jejunaret. *S. Franciscus Salesius* ajebat magis placitum esse Deo cum communitate ex charitate manducare, quàm ex sensuali singularitate abstinere privatim.

V. *Singularitas inobedientiæ*; qualem habebat ille frater ex ordine *S. Patris Francisci*, adhuc vivente hoc Sancto, qui nolebat cum aliis voce, sed solo nutu confiteri, ex stulto & phantastico prætextu servandi silentii. Quam diabolicam dementationem detexit *S. P. N. Franciscus* aliis Fratribus.

VI. *Singularitas internæ vanitatis ostensiva*; v. g. qua quis superbè verecundaretur in ordine Minorum mendicare per se ipsum, sed vellet per interpositam personam. Vult meliorem præ aliis vestem habere, &c.

VII. *Singularitas opinionum*; qua quis suam opinionem, judicium, sententiam, aliorum sensui fastuosè præfert, volens plùs sapere aliis. Sunt adhuc plures singularitates damnabiles contrariæ communitati laudabili. Pro nunc ad principalem quæstionem

R. Ex præmissis notabilibus, singularitatem ideo esse singulariter vitandam, quia est offensiva charitatis, communitatisque, nota superbiæ, displicens Deo & hominibus, virtutis destructiva, & multorum malorum generativa ac nutritiva. De qua audi authoritatem *S. Bernardi* serm. 19. cant. Ubi dum suorum redarguit nimis indiscretam vehementiam, immo intemperantiam prorsus obstinatam, inquit: *Non vultis esse communi contenti vita--- privata præfertis communibus: propriam voluntatem vestram, ecce, nunc iterum magistram habetis, non me, non obedientiam, non regulam, &c.*

Idem S. Bern. de XII. gradibus superbiæ, de gradu V. qui est *Singularitas*, sic inquit: *Non sufficit ei, quòd communis monasterii Regula, vel majorum cohortantur exempla. Nec tamen melior esse studet, sed videri-- ad omnia sua strenuus, ad communia piger: vigilat in lecto, dormit in choro, cumque aliis psallentibus ad vigilias tota nocte dormitat: post vigilias, aliis quiescentibus, solus in oratorio remanet, exscreat, & tussit, gemitibus ac suspiriis aures foris sedentium de angulo implet. h.i.*

Idem S. Bern. serm 6. de Ascens. Domini prope finem. *Falleris Thoma sancte, falleris, si videre Domi-*

Dominum speras, ab Apostolorum collegio separatu. Non amat veritas angulos: non ei diversoria placent: in medio stat, id est, disciplina communi, communi vita, communibus studiis delectatur. Hæc conscientiosè pariter & doctrinaliter Doctor mellifluus.

Q. 2. An singularitas hoc modo sumpta sit etiam offensiva communis vitæ regularis, prout à me in toto hoc libro propugnatæ. *R.* affirm. Nam, quidquid opponitur sanctæ charitati, opponitur etiam S. communitati, impeditque provectum ejus; quia nil æquè nocivum bono communi, ac peculiaris singularisque sui ipsius quæsitio; quæ dum in Religioso semel altam jecit radicem, non habebit tam citò

FINEM.

♡da vocat Jesus: ♡ Joseph. ♡ q3 Maria
Attrahit: ergo animæ ♡da sacrate pia.



Quantus amor ♡ dum, quę dat con♡dia Divum!
O! si ♡ jungam ♡ dibus hisce meum!

Joan. van. Sanden

JESU, MARIÆ, JOSEPH,
Triadis Sanctæ
Sanctis Pedibus

VEnerabunda, ac supplicabunda advolvitur *Paupertas Religiosa*. Quæ, quia *Religiosa* est, meritò ad sacrum religionis delubrum properat, religionis augmentum ibidem per amorem VERBI INCARNATI emendicatura (mendicare pauperum est): Quia autem *Paupertas* est, in se ipsa titulum adinvenit hujus sui fiducialis confugii; *Pauper namque ubique jacet: Mendico nullus amicus: Clauditur hospitium, dum pauper cernitur antè.* In hac pœnalitate consortium habere vobiscum, & solatium, gaudet *lata Paupertas.* Hæc proinde se ipsam dedicat, & consecrat vobis, utpote primò dedicata, maximè amata, & summè dignificata à vobis. Mundo oblata ideo vilescit, quia (ut ait *D. Bern.*) nescit æstimare pretium ejus; & merces oblatæ solent vilescere ignorantibus. Redit ergò *Paupertas* à mundo neglecta, abjecta, despecta, per commune avaritiæ verbum (Gott helff euch/ *qui pro nobis egenus factus est*) remissa, & repulsa. Hæc mundi sapientia, hoc paupertatis

tatis in mundo solatium! Esurit *Paupertas*; Respondetur à multis: *In domo mea non est panis.* (Isa. 3. 7.) Ipsa ergo divinitus edocta, confidenter pergit in *Bethlehem*, quæ est *domus panis*, ubi nascitur *Panis Angelorum*, ubi æstimatur & taxatur *Paupertatis* pretium: ubi à *Sapientia increata* assumitur, quæ à mundana fatuitate despicitur.

Eja! accurre *læta Paupertas*: &, ne sola verecunda compareas, comites tui amatores advoca, *Franciscum*, *Claram*, *& Antonium*, qui gloriabantur olim se fuisse pauperes, sed cælum ingressi sunt divites: eorum te cordibus insere: *Noli verecundari* (ait *S. P. N. Franciscus* in Regula c. 6.) *quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo*, in hoc scil. stabulo Bethlehemitico. Si de hypocrisi notêris (ut frequenter assolet) quòd ideo huc accurras, ut partem auri, in magna copia à tribus Magis oblati de manu gratiosa *SS. Virginis Matris Deiparæ* reportatura, tibi ipsi consulas, te tê ipsâ exuas? *Responde stulto juxta stultitiam suam.* (Proverb. 4.) dicens: immo, omnino aurum quæro, sed tale, cui simile in sinu *Seraphici Francisci* de repente factum est ex dono ejus, cui ipse præsentavit illud, scil. *exactam observantiam paupertatis, castitatis, & obedientiæ*, trium nummorum verè aureorum; quibus numquam aliquid voluntariæ imperfectionis scoriæ immixtum se reliquisse gloriabatur hic S. *Paupertatis* & sponsus, & Filius, & amicus *Franciscus.*

Hoc

Hoc aurum quærit *Paupertas* in stabulo, hanc margaritam in fimo, hoc donum mendicat à paupere parvulo, scil *Spiritum paupertatis*, amorem *paupertatis*, qui sola virtus est (teste *S. Bern.*) quem *S. P. N. Franciscus* cum singulari prærogativa ab *Incarnato DEO* optavit, desponsavit, hereditavit.

Per hujus *S. P. N. Francisci*, omniumque *Paupertatis* sanctorum amatorum merita, & amantia corda, Vobis, *ô Trias Sanctissima*, JESU, MARIA, JOSEPH, offero hujus *Paupertatis religiosæ* vota, & desideria: Vos prosequamini illa, ne redeant otiosa: Vos tueamini, ne maneant fructu vacua: Vos benedicite, ut fiant efficacia mihi, & toti gregi Seraphico, Amen.

LIBER

LIBER II.

De Paupertate Religiosa inviolata servanda.

CAPUT I.

De Virtute Paupertate.

Q. 1. Quotuplex sit paupertas. *R.* cum *S. Bonav.* in Ecclesiasten, quòd sit triplex, *Prima ex complacentia*; quâ quis paupertatem in effectu & affectu diligit & eligit; estque voluntaria, ac perfectionis, & felicitatis. *Secunda ex tolerantia*; quâ quis patienter tolerat egestatem à Deo immissam, vel ex fortunæ invidia obvenientem; qua tamen mallet carere. Hæc, quia est necessitatis, est sæpe involuntaria, & imperfectionis. *Tertia cum impatientia*; quâ quis invitus, quetulando, & murmurando fert inopiam: hæcque est coacta, contradictionis, & magnæ infelicitatis. De his

Q. 2. Quænam ex his tribus sit virtus. *R.* Quòd sola *panpertas ex complacentia*; utpote cui adaptatur sententia *S. Bern.* Epist. 100. ***non paupertas virtus reputatur, sed paupertatis amor: nam beati pauperes non rebus, sed spiritu.*** De hujus felicitate idem *S. Bern.* serm. 8. in psal. *Qui habitat: felix*

lix paupertas voluntaria omnia relinquentium, & sequentium te, Domine Jesu! Felix planè, quæ tam securos, immò tam gloriosos faciat in illo singulari fragore elementorum, & in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine judiciorum. Idem epist. 24. ad Magist. Gilbertum: *Pauperiem æquo animo ferre, virtus patientiæ est; sponte appetere, sapientiæ laus est. h. i.*

De secunda paupertate, quæ est ex *sola tolerantia*, loquitur idem *S. Bern.* serm. 4. de adventu Domini: *Videmus autem pauperes aliquos, qui si veram haberent paupertatem, non adeò pusillanimes efficerentur & tristes. Sed hi sunt, qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit: & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. h. i.* Et his displicet sua inopia seu paupertas, quæ proinde virtus esse nequit, quia onus est, quod premit non eligentem.

De tertia paupertate, quæ est, *cum impatientia*, loquitur *S. Bern.* in Apolog. ad Guiliel. Abb. *Væ semel & væ iterum pauperibus superbis! væ, inquam, semel & iterum, portantibus crucem Christi, & non sequentibus Christum: sequuntur Christum in paupertate sua, sed in gloria non sequentur. h. i.* Tales sunt Religiosi, qui quidem exteriùs egent rebus, at interiùs abundant concupiscentiis plura habendi, si habere possent: gloriantur pauperum nomine, sed non omine: pauperes volunt dici, sed non esse.

Q. 3. Quotuplex sit gradus paupertatis. *R.* ex eruditiss. *H. Harphio* Ord. Minor. l. 2. Theolg. Mysticæ c. 1. quòd sit triplex, 1. est *paupertas professionis;*

sionis ; vi cujus aliquis tenetur nón habere proprium, usumve rerum terrenarum independentem. Hæc præcisè sumpta potest esse imperfectionibus mixta, v. g. superfluitatis, Cupiditatis, & inordinatæ complacentiæ *Secundus, est paupertas usûs* temporalium rerum; convenitque iis, qui nihil desiderant, nisi quod est eis de justa necessitate: dolentque de superfluis, pretiosis, vanis, ac curiosis. *Tertius est paupertas affectionis* ; quâ quis adeò ex corde radicitus excludit affectum ad temporalia, ut etiam necessaria naturæ subsidia cum tædio admittat. Ex his tribus gradibus *completa virtus*, quæ dicitur paupertas, consurgit. De qua

Q. 4. Quænam dicatur *paupertas heroica. R.* cum *Antonio à Spiritu S.* Carmel. Discal sect. 12. de exercitio paupert. heroicæ, quòd sit illa, quæ ultra abdicationem cujuscumque juris proprietatis, usum qualiumcumque rerum non necessariarum, immò & subinde necessariarum, cum affectu ad illa omnimodè excludit, & vix necessaria admittit. Talis revera fuit in *S. P. N. Francisco*, utpotè qui generoso & heroico affectu non solum quæcumque reliquit, sed repudiavit, & conculcavit, & ùt stercora reputavit, hac intentione (c. 7. vitæ) *ut tali expropriatus possessione, introiret in potentias Domini, & nudum se offerret brachiis Crucifixi-- Nemo tam auri: quàm ipse cupidus paupertatis: nec thesauri custodiendi solicitior ullus, quàm iste hujus evangelicæ margaritæ.* Cocta cibaria vix tempore sanitatis admittebat; eaque vel infusione aquæ reddebat insipida, vel a-

sperso-

spersione cineris reddebat amara. Lacero, attritoque habitu tegebatur: in quo algentem videns frater ejus, irrisit eum, mittensque petebat ab eo sibi guttulam sudoris transmitti: cui *servus Dei Franciscus* renuntiat, se nobiliori emptori carissimô pretiô vendidisse, scil. Deo pro mercede æternali. Curiosa, superflua in vestimentis, in cellis nequaquam toleravit: somni pauciſſimi fuit: maximum tempus anni jejunando transegit &c. Tam pauper, tam parcus, tam arctus, tantus sui corporis hostis, ut viventem martyrem diceres, aut mortuo similiorem crederes!

CAPUT II.

De Paupertate spiritûs, ejusque natura.

Q. 1. Qualem, & quotuplicem sensum habeat hæc vox *spiritu*, dum dicitur, *Beati pauperes spiritu. R. 1.* Quòd habeat duplicem sensum, 1. ut *negativè* explicetur de carentia spiritus non boni. De quo *S. Bonav.* in versum Pſ. 73. *Pauper & inops laudabunt nomen tuum*, ait: *pauper spiritu, qui habet parum de spiritibus, de spiritu carnis, mundi, & damoniorum. Qui tamen habet spiritum Dei, ille non est pauper spiritu, sicut dives dicitur, qui habet multas divitias.* Pariformiter explicat *S. Augustin.* de serm Domini in monte, dum inquit: *quapropter rectè hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles & timentes Deum, id est, non habentes inflantem spiritum, id est, non inflati, non superbi, de quibus Apostolus dicit: noli altum sapere, sed time, id est, noli extolli, h. i.* Secun-

Secundus sensus explicat *positivè*: quo utitur *S. Bern.* 1. serm. de omnibus SS. dum inquit: *Quid enim tam absconditum, quàm paupertatem esse beatam? sed diligenter attende, quòd non simpliciter pauperes nominat-- beati verò pauperes spiritu, spirituali scilicet intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem; quoniam ipsorum est regnum cælorum. h. i.*

Insuper *S. Bonav.* in Ps. 8. *Divites spiritu Dei sunt pauperes rebus propriis, divites rebus communibus. h. i.* è contra (ut ait S. August.) *divites nummo* sæpe sunt *pauperes Deo*, id est, nummum possidentes, Deo carentes.

R. 2. De hoc spiritu paupertatis locutus fuit *S. Bonav.* vit. S. P. N. Francisci c. 1. n. 6. dum dicit: post amorosam & dolorosam Christi crucifixi apparitionem sibi factam, *servus Dei Franciscus induit ex tunc spiritum paupertatis*: id est, ex affectu tam tenero, tam serio, tam cordiali eligebat esse pauper, ut affectu paupertatis evangelicæ tamquam interulâ, aut ùt galeâ indueretur, & muniretur. Et, quia (ut ait *Luc. Pinel.* lib. de perfect.) *sine spiritu spiritualia non diliguntur*; hinc intimo spiritu spiritûs hanc paupertatem amplexabatur amans. Ex cujus spiritus inopia totum venit, quòd perrarò *spiritûs paupertas* ametur, quantumvis in Evangelio tantopere inculcata, juxta illud l. 1. imit. c. 1. n. 2. *Multi ex frequenti auditu Evangelii parvum desiderium sentiunt, quia spiritum Christi non habent.* h. i.

Q. 2. An paupertas voluntaria, seu spiritûs potuerit, & adhucdum possit haberi absque voto

pauper-

paupertatis. *R. affirmativè* cum cit *Harphio*, cujus hæc sunt verba. Qui omnia bona sua perfectè resignare valet quieto corde in Dei beneplacitum, sive ea ab eo auferat, sive conservet; nec illis uti vult nisi ad suam necessitatem, & majorem honorem Dei, atque beneplacitum ejus, secundùm omnem suum intellectum, & consideratis statu suo, conditione, natura, aliisque, si sciret Deo magis placere, ut omnia sua venderet, daretque pauperibus, ad hoc paratus esset; ille habet perfectè voluntariam paupertatem. Quia Deus non desiderat in tantùm exteriorem temporalium rerum paupertatem, quantùm interiorem in abstractione affectuum, & occupationum; quia hæc est essentia, & forma veræ paupertatis. *h. i.*

Q. 3. An, sicut paupertas inter virtutes (in suo genere, juxta dictum *S. Ambrosii* mox citandi) est prima primitate generationis, sic & sit prima primitate perfectionis, id est, dignior sit perfectio *spiritûs* hæc paupertas *spiritûs*.

R. 1. Negativè, Nam, sicut ex *D. Th. & aliis DD.* notat *Harphius* lc. perfectio non consistit essentialiter in paupertate, nec in tribus votis regularibus simul sumptis; sed potiùs in sequela Christi secundùm virtutes altiores internas, maximè theologicas, & potissimùm charitatem; à qua nisi paupertas sit formata, manebit præmio orbata. Itaque ex eo, quòd Christus absolutè doeuerit: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Matth. 19. tantùm hoc sequitur, quòd voluntaria paupertas, & alia vota sint instrumenta, adjumenta,

& exercitia conducentia, ad commodiùs, velociùs, ſecuriùs, & excellentiùs aſſequendum perfectionem evangelicam. Paupertas enim deponit impedimentum perfectionis, ſcil. amorem inordinatum, ac curam rerum temporalium, ſuperbiamque, & alia vitia, quæ ex tali amore naſcuntur, ſicut è panno tinea. Ideoque

R. 2. Cum eodem lc. præſcindendo de perfectione *evangelica* quà tali, poteſt omnino perveniri ad perfectionem ſine his tribus votis; patet exemplo *Abrahæ*, qui perfectus erat (*ambula coram me, & eſto perfectus.* Gen. 17. 1.) ſed hanc perfectionem adeptus potius ex perfecta, & per charitatem formata obedientiâ, & abnegatione ſui &c. quàm ex abdicatione temporalium; utpote quæ recepit, & retinuit, licèt in apparata immolatione Filii Iſaãc ad tempus reliquerit illa; at uxorem numquam dimiſit.

Nihilominus R. 3. ex *Zegnero Bernardo de Eſpen.* J. U. D. & SS. Canonum Profeſſore Lovan. in diſſertat. Canon. contra P. Winants Auguſtin. c. 2. his verbis. Ex dictis habemus, quòd religioſa paupertas ſit omninò magna virtus, & altus juſtitiæ mons: ac conſequenter mirum non eſt, ſi multum collaborari debeat, ut magna illa virtus conſervetur, nec ab alto illo juſtitiæ monte decidatur. *h. i. Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte hoc monſtratum eſt.* Exod. 25. 40.

CAPUT

CAPUT III.

De dignitate paupertatis evangelicæ, seu religiosæ.

Q. 1. An paupertas spiritûs dici possit *fundamentum evangelicæ perfectionis.* *R. affirm.* sic enim inquit *S. Ambros.* in c. 6. Luc. *Beati pauperes &c. primam hanc benedictionem uterque Evangelista posuit: ordine enim prima est & parens quædam, generatioque virtutum. Quia qui contempserit sæcularia, ipse merebitur sempiterna.* h. i.

II. Clariùs *S. Bonav.* in cap. 7. Luc. super illa verba, *Pauperes evangelizantur &c.* ait: *Nota, quòd magis dicit pauperes evangelizantur, quàm virgines, vel obedientes; quia paupertas est NB. fundamentum evangelicæ perfectionis, & consummatio ejusdem, secundùm illud* 2. Cor. 8. *altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum.* Et Gen. 41. 9. *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* h. i.

III. S. P. N. Franciscus *paupertatem evangelicam hanc sui dicebat Ordinis NB. fundamentum: cui substrato primariè sic omnis structura religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur, & eversione funditus evertatur.* h. i. *S. Bonav.* c. 7. vit. §. 2.

IV. Idem ibidem §. 3. quemdam paupertatis contemptorem & offensorem his verbis increpuit: *Vade frater Musca-- incepisti à carne, ruinosum NB. fundamentum spiritali fabricæ collocasti.*

V. Christus instituens Ordinem *S Birgittæ*, ita eamdem alloquitur in Regula Salvatoris: *Principium itaque hujus Religionis & salutis est vera humilitas,*

militas & pura castitas, atque voluntaria paupertas. h. i.

Q. 2. An paupertas evangelica possit insuper dici *radix perfectionis*, Reginaque virtutum &c.

R. 1. Hôc eam encomiô honorare voluit *S. P. Franciscus* lc. §. 1. *Christi Jesu paupertatem & matris frequenter cum lacrymis revocabat ad mentem. Inde hanc virtutem asserens esse Reginam, quia in Rege regũ, & in Regina Matre ipsius tam præstanter effulsit. Nam & fratribus in conclavi quærentibus, quæ virtus magis amicum redderet Christo; quasi secretum sui cordis aperiens, respondebat: paupertatem noveritis fratres specialem esse viam salutis, tamquam humilitatis fomentum, NB. perfectionisq; radicem; cujus est fructus multiplex, sed occultus.* h. i. ex his

R. 2. Sicut Christus prædicaturus beatitudines, incepit à paupertate tamquã fundamento; sic & omnium Ordinum Fundatores in hac eadem fundarunt suas Religiones, earumque pias sanctiones, uti & spem certiorem tandem enascituri alicujus notabilis profectus. Et hinc solicitam curam gesserunt, & eorum successores adhuc gerunt de hoc fundamento immobili, & infracto conservando. In hoc fundamento ab Apostolis suo tempore posito & firmato Lapis angularis summus & primus est Christus, juxta verbum Apostoli *1. Petri 2. 6.* cui proinde etiam hæc paupertas efficit conformiorem, gratiorem, & viciniorem, in ejusque dilectione solidiorem.

Q. 3. Curà *D. Th. & aliis DD.* paupertas vocetur *instrumentum perfectionis*. *R.* quòd propter hanc

hanc, in similitudine, duplicem paritatem; quia, sicut *primò* sine instrumento nullus in sua arte proficere potest, sic nec religiosus in via perfectionis, ad quam vi statûs aspirare debet, si paupertatem contempserit. *Deinde*, sicut, adhibitô instrumento obtuso, aut mutilô, labor fit minùs proficuus, aut omnino inutilis, vel impossibilis; ita & profectus in via perfectionis debilis, aut mancus, aut nullus speratur, si paupertas contemnatur.

Q. 4. An, & quare religiosa paupertas *muro* comparetur.

R. 1. Quòd *muro* comparetur in Summario Constit. Soc. Jesu §. 23. ubi sic constituitur: *Paupertas ùt murus Religionis firmus diligenda: & in sua puritate conservanda est, quantum divina gratia aspirante, fieri poterit*, h. i.

R. 2. Seraphica *V. Teresia* mirè quoque paupertatem dilexit, & *muro* assimilavit; ut patet ex his ejus verbis, l. de perfectione vitæ c. 2. *Curemus per Deum strictè observare hanc paupertatem, tantò magis, quia ipsa est telum nostrum. Quæ in exordio fundationis nostri Ordinis adeò in magna æstimatione & observantia fuit apud illos priscos Patres (prout mihi constat ex revelatione illius, qui bene novit) quòd etiam nihil prorsus ex hodierno die in crastinum reservare solerent--- Quamdiu hæc observaveritis, NB ne timeatis de ruina vestri Ordinis, Deô propitiô. Solebat dicere S. Clara, NB. sublimes esse & fortes muros sanctæ paupertatis. Sic quippe paupertate, & humilitate volebat muros Monasterii cingi. Revera enim per*

utriusque hujus veram observantiam honor Religionis, & aliis profectus firmiùs solidantur, quàm per altissimos muros, aut sumptuosa ædificia. h. i.

R. 3. Comparatur autem religiosa paupertas *muro* ob triplicem rationem. I. Si murus ambiens civitatem sit adhuc firmus, integer, & solidus, securè intrò habitant cives. II. Hostis nequit habere aditum ad civitatem, nisi priùs muros quatiat, perforet, diruat, solo æquet. III. Hinc muris adhibetur vigilans, fidelisque custodia, & frequens inspectio, ut reparentur rimosæ aperturæ, immo ut & muri suffulciantur interiori aggere. *Applica*, & similem curam, diligentiam, vigilantiam, & custodiam paupertati integræ & solidæ conservandæ adhibe; ipsa enim ùt *murus* cingit te, protegit te, munit te, conservat te in regulari vita, disciplina, & æstimatione. Si minimam rimulam in illa incautè admiseris, & toleraveris, grandius foramen fiet per fallaciam hostis semper *muro* huic insidiantis; quem si dejecerit, factum est cum vigore & honore talis Religionis. Flebilis docet idipsum experientia, quâ viluerunt coram Deo & hominibus Religiones illæ, quæ sunt proscriptrices paupertatis religiosæ.

Q. 5. An paupertas evangelica possit etiam aliquo modo dici *fundamentum, seu exordium, vel initium Ecclesiæ.*

R. affirm. nam 1. *S. Ambros.* in c. 2. Lucæ, contemplans paupertatem Filii Dei nati in carne, ait, exclamando: *Videte nascentis Ecclesiæ exordium!*

Chri-

Christus nascitur, pastores vigilare ceperunt &c. h. i.

II. B. V. M. l. 4. revelat. c. 76. ad *S. Birgittam* sic inquit: *à tribulatione, & paupertate primùm surrexit Ecclesia, ut Deus esset hereditas eorum; & non in mundo, nec in carne, sed in Deo gloriarentur.* Et infra.

III. A *tribus bonis cepit Ecclesia, 1. à fervore fidei, 2. à paupertate, 3. ab effectu virtutum, & miraculorum. Hæc quoque tria fuerunt in B. Petro; nam habuit fervorem fidei--- habuit etiam paupertatem, quia circumeundo mendicabat, & laborando manibus se pascebat.* Miracula quoque per invocationem SS. Nominis Jesu, immò & per solam sui corporis umbram faciebat.

Q. 6. An voluntaria paupertas sit stultitia.

R. 1. Utique videtur stultitia secundùm mundum, juxta illud: *Nos stulti propter Christum* &c. hinc & mundani homines, & religionis spurii dicere solent, *Monachum carentem pecunia esse similem umbræ in pariete.* At pro foro, & judicio Dei

R. 2. Ex doctrina *S. Orsiesii*: *quorum animam possidet avaritia, his videtur pro Christo stulta paupertas.* h. i.

* * *
* *
*

CAPUT IV.

De aliis prærogativis Evangelicæ Paupertatis, &c.

Q. 1. An singularis amor paupertatis evangelicæ sit *prærogativa* dicenda.

R.1. affirm. Ita enim de *S.P.N. Francisco* scribit *D. Bonav.* c. 7. *Prærogativa quadam speciali promeruit in divitias simplicitatis excrescere per altissimæ paupertatis amorem. h.i.*

R.2. Vocatur prærogativa specialis, propter fructum multiplicem, sed occultum, ut ajebat S. Pater. Deinde, quia non est datum nisi amicis singularibus Dei, tam libenter, tam amanter, tam perseveranter, tam universaliter pro amore Christi cuncta terrena despicere, & Christo pauperi in paupertate conformari. Demum, quia hoc requirit, immo supponit robur animi heroicum, quod non datur nisi specialibus amicis Dei.

Q. 2. Quo encomio nobilitârit, & compellârit paupertatem *S.P.N. Franciscus.*

R. Ex historia vitæ ejus, quòd eam subinde nominârit tenero affectu, & devotionis mirificæ sensu; *Matrem, Dominam, Sponsam, Patrimonium Christi, margaritam Evangelii, semen regni, portionem gregis Christi, Mensam Domini, thesaurum Paradisi, radicem sanctitudinis, arram beatitudinis, hereditatem servorum Dei, &c.* Hujus amorem ut tenaciùs imprimeret Fratribus, metu miseræ inopiæ terruit, dum sæpe dixit: *Fratres mei, si paupertatem fugeritis, homines fugient vos.* Ab illa

illa proinde nec minimùm discedere volebat, quantæcumque necessitatis prætextu: gloriatusque fuit in Domino, se paupertatem evangelicam perfectè sectatum fuisse, & numquam (pro quanto conscientia propria retinuisset) hanc matrem suam paupertatem offendisse. *O Patriarcha pauperum Francisce, auge talem tuorum numerum in charitate Christi, ob quem tam tenerè paupertatem dilexisti.*

Q 3. Quare vocetur paupertas *evangelica margarita.*

R. Quòd propter 6tuplicem rationem. I. Margarita non invenitur, nisi à quærente (*Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventâ autem &c.* Matth. 13.) at paupertatem pauci inveniunt, quia pauci quærunt; ideo non quærunt, quia non diligunt, est enim *Paupertas* (ut Seneca ajebat) *odibile bonum:* & quia non diligunt, hinc non eligunt, nisi illi pauci, quibus valorem illius dedit agnoscerè Christus, qui eam amissam, & conculcatam quæsivit, & reinvenit in terris; propterea enim descendit de cælis, ut ait *S. Bern.*

II. Ob annexum dominium; de quo *S. Bonav.* serm. 2. de S. Petro: *Nobilis margarita paupertas; quæ dum omnia contemnit, dominium super omnia accipit. Sicut è contra avarus dum omnia appetit, omnium servum se facit. Quare avari numquam possunt esse beati, quia numquam possunt esse contenti. h. i.* Intellige hæc non de dominio proprietatis, sed dominio, quô dominatur sibi ipsi, malis passionibus, ac vitiis; item mundanis bonis, & ho-

noribus, in quantum refugit ſubjici illis, & non indiget illis frequenter, cùm pauciſſimis facilè contentetur.

III. Ob annexam adpromiſſam dotem; de qua *S. Bonav.* in c. 10. Lucæ: *Paupertas cùm appareat turpis ac vilis, junxit ei Dominus maximam dotem, ut per illam ſaltem in conjugium poſſit aſſumi, cùm dixit: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. h. i.*

IV. Ob annexam regiam dignitatem; de qua *S. Bern.* Epiſt. 103. *Volo te eſſe amicum pauperum, magis autem imitatorem. Ille gradus proficientium eſt, hic perfectorum: amicitia namque pauperum, Regis amicos conſtituit; ſed amor paupertatis Reges facit. Regnum deniq; cælorum pauperum eſt. h. i.*

V. Quia quietat affectum hominis. Seneca epiſt. 2. ad Lucilium: *Cui cum paupertate bene convenit, dives eſt. Non enim qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. h. i.*

VI. Ob annexam quamdam terrenam felicitatem; nam (ut l. c. diſcurrit *Antonius à Spiritu S.*) illud nobis perſuaſum eſſe debet, eum eſſe beatiorem, non qui plus habet, ſed qui minus cupit. Quid enim eſt beatitudo? ſumma inopia cupiditatum. Itaque ille beatiſſimus eſt, qui nihil deſiderat, quem pauca ſatiant. Cur ſunt inventæ opes? non ideo, ut plura habeamus, ſed ne quid deeſſet. Menſura igitur opulentiæ eſt, non plus habere, ſed minus deeſſe. Sed illi nihil deeſt, qui nihil deſiderat. Ergo h. i.

CA-

CAPUT V.

De voto Paupertatis religiosæ.

Q. 1. Quid sit votum paupertatis religiosæ.

R. Ex doctrina plurimorum Doctorum, quòd sit *votum solenne, vel quasi solenne, quo homo in religione approbata abdicat voluntariè à sua privata persona omne jus civile actuale, & possibile, vel saltem liberum, independentem, & inimpeditum usum istius juris, circa rem quamcumque temporalem pretio æstimabilem, ex desiderio majoris perfectionis, & sequelæ Christi.*

Explicantur singulæ particulæ. Dicitur 1. *votum*; est enim promissio voluntaria deliberata, &c, estque actus virtutis religionis, item temperantiæ, quas vel generat, vel generatur ab illis. Potest tamen etiam ex motivo aliarum virtutum procedere elicitivè, vel imperativè, v.gr. à charitate, &c. Dicitur 2. *solenne*; quale emittitur in professione, dum tam ex parte Religionis acceptantis, quàm Religiosi acceptati fit mutuus contractus, ex parte utriusque indissolubilis. Dicitur 3. *vel quasi solenne*; prout in Societate JESU fit per vota biennii, quæ licèt sint simplicia, ex declaratione Summorum Pontificum tamen in hoc possunt dici *quasi solennia* per diminutionem, quoad hunc saltem effectum, quòd æquè ac vota solennia, constituant substantialiter Religiosum, juxta eamdem declarationem Summorum Pontificum.

Dici-

Dicitur 4. *in Religione approbata.* Hinc, si extra talem fiat promissio soli Deo, vel in manus Confessarii, de abdicatione temporalium, non est similis naturæ, cujus est votum solenne, nec tanti meriti, immo nec vinculi tanti. Dicitur 5. *abdicat*, id est, renuntiat, ita ut illud habere efficaciter nolit, ac sponte cum effectu abjiciat, incapacitatemque pro futuro contrahat ullius juris civiliter acquirendi post professionem pro sua privata persona, quæ civiliter moritur.

Dicitur 6. *omne jus civile, &c.* non enim resignat, nec resignare potest jus poli, seu jus naturæ, quod quisque habet in extrema necessitate ad cujuslibet rei usum pro conservatione vitæ.

Dicitur 7. *actuale, & possibile*; nam sibi ipsi abscindit omne jus justitiæ activum pro futuro quidpiam acquirendi suæ privatæ personæ. Dico *privatæ*; ut indicem, quod Monasterium saltem ejus non amittat jus, (quod per professionem transfertur in illud) in quantum repræsentat hunc suum religiosum professum, quamdiu tamen ille in vivis manet, succedendi ab intestato in bona, quæ aliunde adveniunt, per mortem proximorum consanguineorum talis Religiosi (si tamen Monasterium capax sit Dominii bonorum temporalium; & non sit aliter pactum in professione per aliquam cessionem, & omnimodam resignationem talis Religiosi).

Dicitur 8. *vel saltem &c.* quæ particulæ adduntur propter Religiosos Societ. Jesu: quamvis enim hi post vota biennii retineant (juxta speciales

les suas constitutiones à Summis Pontificibus roboratas) dominium radicale suorum bonorum; attamen liberam de illis dispositionem, aut usum independentem illorum resignant vi voti paupertatis, quod tunc emittunt.

Dicitur 9 *circa rem temporalem &c.* nam jus ad spiritalia, item ad famam, vitam, nemo potest, vel non vult à se abdicare, aut resignare. Dicitur 10. *ex desiderio* &c. hic enim est finis religiosæ vocationis, & professionis. Porro si

Quæras, quid sit *jus justitiæ*, cujus fit mentio in dicta descriptione; *R.* Quòd sit *prælatio quædam alicujus præ alio circa rem vel usum ejus, vi cujus res illa specialiter illi devincta est, & subjecta, ut subserviat ejus dispositioni, & utilitati, præ altero, &c.* Ita Card. de Lugo.

Q. 2. An profitens solemniter, vi voti paupertatis, quasi contractum mutuum ineat cum Deo, in quo ipse se obliget Deo, quòd velit omnia propter ipsum abdicare, seque ejus paternæ solicitudini, & Religionis suæ potestati pro futuro committere: Deusque tale votum acceptans sponte vicissim se obliget (generali voluntate, expressâ, & significatâ per vocem Superioris ad professionem acceptantis &c.) ad communicandum illi suam gratiam, quâ possit promissæ obligationi satisfacere, & simul ad providendum per suæ religionis ministros in omnibus, quæcumque ad ejus naturæ sustentationem & conservationem fuerint opportuna, simulque vitam æternam (prout etiam Superior acceptans nomine Dei, profitenti addicit.)

R. Quòd

R. Quòd ita doceat *Bartoluc.* noſter in cit. Minorica. Attamen non eſt talis contractus propriè dictus, quales ſunt humani civiles; utpote quorum Deus capax non eſt. Nihilominus ille contractus eſt altioris ordinis,& ex parte Dei quoad ſtandum ſuis promiſſis, habet majorem certitudinis infallibilitatem, quàm ullus umquam contractus humanus habere poſſit.

Q. 3. An, quidquid Religioſus acquirit privatâ induſtriâ, quovis licito modo, ideo ipſo incorporetur Monaſterio. *R. Cum comm. affirm.* ex Trid. & Decreto S. Congreg. jubente, ut ſtatim (maximè ſi pecunia ſit) Superiori tradatur, Conventuique incorporetur. Hæc autem incorporatio eſt vel juris, dum fit per acquiſitionem propriè dicti dominii, uſus-fructus, uſus-juris, &c. qualis fit in monaſteriis dominii capacibus: vel ſolùm fit per ſimplicem uſum-facti; qualiter fit in monaſteriis juris proprietatis incapacibus.

CAPUT VI.

De Religioſorum egeſtate, ſeu inopia virtuoſa, id eſt, voluntaria.

Q. 1. An Religioſorum paupertas ſit idem, quod egeſtas, vel inopia.

R. Cum commun. negativè. Nam inter primos Chriſtianos, qui non habebant *meum, tuum, ſuum*, id eſt, *proprium*, non erat ullus egens (ut dicitur Act. 4.). Deinde in monaſteriis opulentis in communi,

muni, potest commodè, immo optimè servari paupertas in particulari, dum quisque caret proprio; & in usu mobiliũ habent accuratam & punctualem dependentiam à nutu Superiorum. Non tamen caret ibidem ullus necessariis; hoc enim & in Trident. & in Decreto S. Congreg. strictè præcipitur, ut *nihil necessarium denegetur* Religiosis paupertatem voventibus.

R. 2. Egestas ergo quid amplius, seu potius quid aliud importat, quàm religiosa paupertas; nimirum habere carentiam rerum necessariarum, vel suppetentiam arctam & parcam. Quam quia sæpe habuit, & sponte toleravit Christus Dominus, verè dicitur ab Apostolo propter nos fuisse *egenus factus*, (2. Cor. 8. 9) Qui insuper (ad excellentiam meriti, & superabundantiam satisfactionis pro nobis) sponte elegit, & sustinuit opprobrium paupertatis (ut ait *S. Bonav.* in tract. de paupert. Christi) id est, paupertatem contemptibilem, qualem sustinent plebeji coacti. Cùm tamen Religiosi pauperes honorenrur in paupertate sua. De qua dixit *S. Teresia* in via perfect. c. 2. *Vera paupertas voluntaria ob amorem DEI susceptа tantam reverentiam conciliat, ut agrè possit tolerari ab aliquo* extraneo, quin subveniat. h. i.

R. 3. Quòd in Monasteriis, in quibus est abundantia in communi seu opulentia, possit meliùs servari regularis vita & disciplina, agnovit hodiernus *S. Anno* Archi-Episcopus Colon. (in cujus die festivo hæc scribo, scil. 4. Decembris) qui, dum in Monasterio *S. Michaelis* à se fundato, Mo-

Monachis sufficientissimos assignasset redditus, hac intentione, ut essent omnino inexcusabiles à vitæ religiositate, & votorum integra observantia, eis Dei maledictionem imprecatus fuit, si redditibus abutentes à religiositate vitæ deflecterent, &c. Hæc non habent causam illam excusationis, quam habent, & allegare possent alia Monasteria nimis tenuia, & depauperata (prout agnoscit *S. Bonav.* in quæst. super regulam) quibus subinde evenire potest, quod dicitur non ineptè: Termin ist unser Ruin/ id est, *inordinata mendicatio est religiosæ vitæ obfuscatio.* S. Bonav. in Epist. ad Prov.

R. 4. Aliqui Religiosi simplici intelligentia pro eodem sumunt paupertatem & inopiam. Quale quid audivi in opulento Monasterio Monialium; quæ dicebant: *Nos non vovimus paupertatem, sed tantùm vivere sine proprio.* In sensu ergo improprio sumpserunt & intellexerunt paupertatis religiosæ essentiam & obligationem.

Q. 2. An non saltem religiosa paupertas amet socialitatem inopiæ seu egestatis in usu mobilium, seu rerum necessariarum.

R. 1. *affirm.* Ita enim ordinatur in summario constit. Soc. Jesu §. 24. dum dicitur: *Diligant omnes paupertatem ùt matrem: & juxta mensuram sanctæ discretionis suis temporibus ejus effectus aliquos experiantur. h. i.* Effectum paupertatis experitur & suffert, qui habet patientiam in defectu necessariorum, & incommoditatem libenter tolerat in multis, &c. Ex his

R. 2.

R. 2. Licèt essentia paupertatis religiosæ non consistat in egestate, aut inopia, nec in obligatione ad arctum, parcum, seu angustum usum temporalium; tamen moderatus eorum usus socialiter amatur à virtute paupertatis; quæ alioquin pro objecto *per se* respicit abdicationem omnis juris civilis circa res temporales, vel saltem juris independentis circa tale jus, &c.

R. 3. Ex *Petro Aureolo*, quòd sociales, seu sodales paupertatis sint *Humilitas, temperantia, parsimonia, sufficientia, fidelitas, exemplaritas, contentatio*, & si quæ sint aliæ virtutes, aut semivirtutes conterminæ, aut actus earum, quibus juvatur & promovetur religiosa paupertas, ut securiùs & perfectiùs incontaminata subsistat. Contra quam alioquin, sine hoc sodalitio, facilè delinquitur. Quod advertit *D. Vincentius* in Tract. de vit. spirit. c. 1. dum redarguit pauperes delicatos & impinguatos, dicens: *Dicunt se amicos paupertatis, sed sodales ejus fugiunt.* h. i. De hac inopia canitur in Respons. de S. P. N. Francisco: *Pro paupertatis copia regnat dives in patria: Reges sibi substituens, quos hic ditat inopia.* h. i.

Q. 3. An Religiosus ille meritò pauper dicendus (qualem se profitetur) qui nulla re vult egere.

Respondet Alvarus de Paz Ord. Minor. l. 5. p. 1. c. 8. negativè, verba ejus sunt: *Paupertas indigentia vocatur* (non formaliter, sed consecutivè, seu imperativè) *eò quòd pauperem aliquibus faciat indigere. Qui autem curat solùm superflua*

resecare, & omnibus necessariis vult abundare, & nullare, nec minima indigere, is falsò sibi nomen pauperis arrogat, & de hujus perfectione virtutis inaniter gloriatur. Audeo dicere, neque Reges sæculi hoc habent, ut nullo egeant, & ad statum suum omnia necessaria possideant. h. i. *Pergit ulterius.*

NB. Delicata satis, immo & ridicula erit hujus Religiosi paupertas, qui nullo velit indigere: qui, si cibus bene paratus non sit, murmuret: si vestis illi data aliquantulum detrita, conqueritur: si in libris, aliave suppellectili desit aliquid, contristatur. Is secundùm mundum istum ditior est divitibus hujus sæculi: nam illi talem paupertatem non aversarentur, quâ nihil ipsis deficeret, &, quidquid eis in mentem veniret, haberent.

Quòd si nobis omnia tribuantur abundanter, nostrum erit eā cum rubore suscipere, nosque ipsos tamquam fictos pauperes arguere, & aliqua præ amore paupertatis nobis sponte subtrahere. Sic Apostoli, dum spicas vellerent præ fame: sic Paulus in fame & siti, in frigore & nuditate paupertatem servaverunt. Sic ipsemet Christus, &c. *Hucusque piissimus Alvarus verè spiritu pauper, & conscientiosus paupertatis observator.*

* * *
* *

CA-

CAPUT VII.

De voluntaria inopia Christi Domini, B. V. Mariæ, & SS. Fundatorum Regularium Ordinum.

Q. 1. An Christus Dominus voluntariam sustinuerit inopiam.

R. affirm. patet ex hucusque dictis. Inopiam in nativitate elegit Christus (ut ait *S. Bern.*) ut nostram confunderet insipientiam, qui semper mollia carnis commoda sectamur, &c. *Pientissimus Angelus de Paz* meditans super illud: *Et ceperunt vellere spicas*, Marci 2. 23. ait: magnum paupertatis Christi argumentum, nec non sequacium, qui nullum cibi genus, præter sata, quæ occurrebant, & silvestres herbas, & germina campestria habebant. Attamen *Egenus factus est, ut illius inopia vos divites essetis.* 2. Cor. 8. 9. De hac plura infrà.

Q. 2. Utrum *B. V. Maria* vixerit in paupertate, & inopia.

R. affirm. Et quidem fuit hæc inopia valde magna, quæ justè poterat amantissimum cor ejus grandi mœrore affligere & conturbare, eò quòd in aspera hieme non inveniret locum in diversorio, aut commoditatem congruentem tantæ puerperæ. Attamen certissima agnitio voluntatis divinæ & electionis, & portabilem, & gratam fecit ei hanc inopiam. De qua

B. V. Maria ipsamet revelavit *S. Birgittæ* l. 6. revelat. c. 58. de se, & divino Infante, virgineoque Sponso Josepho, dum dixit: *Cùm verò in timoribus, & paupertate, & difficultatibus essemus, non fecit nobis Deus Filius meus aurum & argentum, sed hortabatur ad patientiam; & mirabiliter servati fuimus ab invidis. Necessaria quoque provenerunt nobis quandoque ex compassione piarum mentium, quandoque ex labore nostro; ita ut haberemus necessaria ad solam sustentationem, non ad superfluitatem; quia nihil aliud quæsivimus, nisi soli servire Deo. h. i.*

R. 2. De paupertate Christi, & SS. V. Matris ejus devotissimè scripsêre *D. Bonav.* & *D. Bern.* Hic tandem concludit Serm. 3. in Natali Domini: *Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum. In omnibus mundi judicium arguitur, subvertitur, confutatur. h. i.*

Q. 3. An Apostoli tolerârint egestatem.

R. affirm. Patet ex jam dictis. *Confirmatur* ex illo 2. Cor. 11. 8. ubi loquitur de se Apostolus & aliis Co-Apostolis: *In labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate, &c.*

Q. 4. Quid senserit *S. P. Franciscus* de voluntaria ob Christum inopia.

R. Id patet ex eo, quòd, dum cum *Fr. Masseo* in via, fame & siti cruciatus, ac lassatus consedisset ad fontis oram, bibisset de aqua, & comedisset de duris frustulis panis ostiatim mendicatis, nec ultra haberet, quô se reficeret, spiritu exultans

exultans excitavit socium ad Deo regratiandum de tam ingenti paupertatis thesauro. Quærens autem *Fr. Masseus*, quisnam ille esset thesaurus in tanta rerum inopia; respondit, *illud ipsum esse magnum beneficium, quòd illa omnia, quæ deessent, à Deo supplerentur, &c. NB.*

Pòst in templo, quod primum occurrit, orare cepit Deum, ut sibi & suis sanctæ paupertatis amorem inspiraret; idque tanto fervore, ut ex facie ignis emicaret, & ex ore incredibilis spiritûs & anhelitûs vehementia erumperet. Aitque ad socium, eamus Romam ad *SS. Apostolos Petrum & Paulum* exorandos, ut nos doceant tam præclarum paupertatis thesaurum rectè ac fructuosè possidere: is enim ita præstans, ita divinus est, nos autem ita viles & abjecti, ut indigni simus, qui eum talibus vasis teneamus. *Ita Specul. vit. S. Francisci, & sociorum.*

Q. 5. An, & cur *S. Teresia*, aliique Sancti plùs timuerint copiam, quàm inopiam rerum temporalium. NB.

R. 1. Hanc veritatem de se fatetur *S. Teresia* l. de vera perfect. c. 2. dum inquit: *Memineritis sorores, hanc admonitionem esse magni momenti, & post meam mortem multùm vobis profuturam: ideoque illam in scriptis relinquo; nam, quamdiu vobiscum superero, frequenter illam volo vobis inculcare. Ipsa enim satis experta sum, eam plurimi interesse. Quò minus habeo, eò expeditiorem à curis me invenio. NB. Testis est mihi Deus (ut ita clarè loquar) quòd graviùs angar rerum copia,*

pia, quàm inopiâ. Fortasse istius meæ persuasionis ratio hæc est; quia in me ipsa experta sum, quòd in defectibus clementissimus Deus citò de necessariis providet. h. i.

R. 2. Similiter de pretio inopiæ sensit sanctus ille paupertatis amator *Isaac Monachus*, de quo *S. Gregorius* l. 3. dialog. c. 14. qui cùm oblatas monasterii usui possessiones respueret, causam rogatus dixit: *Se ita metuere paupertatis suæ securitatem perdere, ùt avari solent divitias custodire.* h. i.

R. 3. Pariter affecta fuit *S. V. Clara*, quæ perpetuum paupertatis privilegium (ut vocabat) ab Innocentio IV. precata fuit. Cujus petitioni tam piæ & devotæ piè & devotè Pontifex annuit & annuit. Eadem Sacra Virgo, quæ spiritum paupertatis quasi suxit ex *Seraphici Patris Francisci* eloquiis & exemplis, oblata sibi pro sui monasterii indigentia sublevanda refutat possidere; ut sonat Antiphona in die Festo: *Oblata per Gregorium refutat possidere, nihilque transitorium cum Christo vult habere.* Et Respons. *Hæc paupertatis titulo pollens, intitulata, post Christum sine sacculo currit exonerata: relicto foris sæculo, mens intus est ditata.* ℣. *In paupertatis nidulo, nostri præsepis parvulo pauperi conformata.*

R. 4. *S. P. N. Franciscus* planè inhibebat Fratribus suis, ne peterent, aut oblatas reciperent plures eleëmosynas, quàm indigerent pro præsenti, vel imminenti tempore, cum aliorum

pau-

pauperum damno, & sanctæ matris paupertatis offensa. Quam quidam ex Ordine ejusdem ita dilexit, ut, dum videret eam in aliquo Conventu non servari ad mentem S. Patris, altum ingemuerit, & fleverit: de causa sui fletus rogatus dixerit: *Mater mea est mortua*, id est, *S. Paupertas proscripta est à nostro Conventu.*

R. 5. Causa autem, ob quam dicti Sancti, & alii S. Paupertatis Filii & Sponsi plùs anxiati & tristati subinde fuerint de copia, quàm de inopia, hæc est; quia timebant judicia Dei, ne fortè hac temporali benedictione sola præmiaret bona eorum opera, sine spe ulteriori æternalium. Deinde, quia (ut *S. Bonav.* advertit) copia temporalium, teste experientia, faciat Religiosos molles, dissolutos, tepidos, gulosos, remissos, delicatulos, subinde etiam luxuriosos, Deique oblivioso, & irregulatos, nisi solidior timor Dei retrahat, & fræno temperantiæ coërceat illecebram.

Proinde seductor versipellis animarum sæpius tentavit per eleëmosynarum copiam *S. Francisci* Ordinem exterminare, aut à rigore sancto dejicere, prout legitur in Chron. Ordinis nostri. Hac de causa, dum nimiarum eleëmosynarum affluentia impediret Fratrum devotionem, paupertatis simplicitatem, Ordinis rigorem, disciplinæ regularis observantiam, ac religiosæ solitudinis quietem in Conventu illo, in quo mortuus fuerat *B. Petrus Cataneus* ex Ordine Minorum, qui crebris miraculis hominum devotionem & frequentiam attrahebat; *S. P. Fran-*

ciscus stans supra sepulchrum illius mandavit ei in virtute S. obedientiæ, ut desineret facere miracula? & illico desiit.

Similiter in medulla vitæ *S. Bernardi* legitur quidam Abbas in Monasterio Clara-Vallensi huic mellifluo S. Patri post mortem (uti & prævie in vita) miraculis clarissimo mandasse, ob eamdem causam, cum simili effectu. Unde & contigit, quòd postmodum dæmon ex obsesso exprobrârit alteri cuidam Abbati volenti mediantibus S. Reliquiis de *S. Bernardo* malignum hostem ejicere, dicens: *Nonscis tu Abbatule, quòd tuus Bernardus non faciat amplùs miracula?*.

CAPUT VIII.

De Statu Paupertatis.

Q. 1 Quis dicatur status paupertatis, de quo Concil. Trid. ait: *Mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, &c.*

R. 1. Cùm dicatur in hoc textu, quòd suppellex debeat statui paupertatis convenire, & insuper superfluitate carere; clarum est, quòd status paupertatis aliquid significet ultra carentiam superfluitatis. Itaque, *status*, ex *D. Thom.* & aliis DD. *est immobilis vitæ conditio, per quam alteri obstricti sumus*; hinc

R. 2. Status in lc. dicitur *stabile vivendi genus, cui annexum est votum paupertatis, &c.*

R. 3.

R. 3. Status in lc· præter carentiam proprii (ex mente Concilii, quæ colligitur ex contextu) insuper etiam significat, quòd non debeat esse excessus in pretiositate, curiositate, coloris varietate, mundana raritate, exotica nugacitate, singulari novitate, aut rei ipsiusmet inutilitate &c. Neque in modo utendi peccetur contra religiosam modestiam, parsimoniam, frugalitatem, vilitatem &c. de qua

R. 4. S. Bonav. in c. 6. regulæ insuper requirit: *Professores altissimæ paupertatis, oportet, quòd omnia, quæ in eorum usum veniunt, habeant, ùt est possibile, parvitatem, vilitatem, ac tenuitatem.* ubi per ly tenuitatem *Thomas à Jesu* Discalc. in append. de perfectione paupert. intelligit *frugalitatem.*

Q 2. An status paupertatis insuper exigat exteriorem in vestibus squalorem.

R. 1. negat. immò fortè potius talem squalorem, si sordidus sit, excludit, maximè inter Religiosos communiter viventes; apud quos proinde talem squalorem non invenimus, sed in rigore & austeritate exteriori possibilem munditiam, neutiquam tamen splendidum nitorem, divitibus potius quàm pauperibus competentem. De qua *S. Bern. Paupertas mihi semer placuit, sordes numquam.* Et de *B. Pio V.* legitur, quòd *fuerit amator paupertatis, sed mundæ.* Et *S. Teresia* dicere solebat, quòd Religiosus in cella aliquid habere debeat, quòd S. paupertatem singulariter redoleat.

R. 2. Potest nihilominus saltem privatus ali-

quis extra communitatem vivens, ex amore paupertatis, immò & abundantis in Deum charitatis, ac desiderio pro peccatis satisfaciendi copiosiùs, tales squalidas austeritates in se assumere, v.g. cilicium numquam deponere, quamvis ex sudore putrescens, vestem interiorem numquam lavare, stratum in cinere & pulvere eligere, vexationem à muribus, fœtoremque à cimicibus constanter tolerare &c. Qualia exempla multa leguntur de aliquibus sanctis Eremitis, aliisque religiosis. Dixi autem *privatus &c.* quia sæpe non expedit in religiosa communitate viventi, in similibus exoticè singularem esse, ad arcendum ab aliis horrorem, & à semetipso vanæ gloriæ periculum &c. vel hypocrisin.

Q. 3. An status religiosæ paupertatis excludat non necessaria.

R. affirm. cum *S. Bonav.* in Reg. de reform. mentis, ubi inquit: *Attende semper, ut nihil habeas in cella, nisi necessaria: & hoc dico de minimis rebus; ne fortè negligendo modica, paulatim cadas ad majora. Ait enim August. Vitasti grandia, vide, ne obruaris arena--- quantò quis perfectiùs paupertatem amaverit, tantò meliùs de necessitate judicabit--- ista necessaria sunt, sine quibus esse non possimus.* h. i.

R. 2. Hæc tamen necessitas habet aliquem graduum latitudinem secundùm magis & minus: à qua proinde non debent excludi congrua commoditas, & subinde moderata religiosa recreatio, ludus & jocus, juxta quod permiserit Eutrapelia, consideratis circumstantiis loci, temporis, per-

sona-

sonarum, coram quibus &c. unde quod est utile ad recreandum religiosum ex studiis fatigatum, vireſque corporis & mentis pro futuro restaurandas, censetur in suo genere & gradu necessarium. Nàm, ut ait *S. Bonav.* q. 9. circa Regul. *assiduum lucrum in studio S. Scripturæ, in devotionis desiderio, in tentationis certamine, in æternæ solitudinis vigore, ita consumit & desiccat vires corporis, ut, nisi exteriùs quandoque aliquatenus refocillentur, non valeant diu subsistere.* h. i.

R. 3. S. Anton. Abbas in sua Regula §. 8. ita monet: *Ne reserves tibi plus quàm indiges: nec elargiaris plus quàm potes.* & §. 32. *Ne comedas ad satietatem, nec dormias, nisi parum, & venient ante Angeli.*

R. 4. *Isaias Abbas* in Regul. §. 56. ita jubet: *Comede semel in die, sed non ad satietatem. Præbe corpori tuo, quantum indiget, juxta exigentiam naturæ.* h. i.

Q. 4. Quis sit finis statûs paupertatis. *R.* cum communi DD. ex *D. Th.* quòd sit hic, ut possit homo Deo, & spiritualibus melius vacare, & ad amoris ejus perfectionem commodiùs & securiùs pervenire. Sicut enim, juxta dicta suprà, & *D. Th.* 2. 2. q. 186. a. 3. in corpore, *Paupertas ad perfectionem charitatis obtinendum primum fundamentum est*; ita juxta eumdem in resp. ad 4. *voluntaria paupertas est efficax exercitium perveniendi ad perfectam charitatem: & ideò multum valet ad cælestem beatitudinem assequendum.* h. i.

Q. 5. In quo consistat perfecta renuntiatio paupertatis. *R.* quòd in perfecto explendo Chri-

sti

sti consilio: *Qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Luc. 14 33. Ad quod alludens *S. Bern.* scribit ad Sinon. Archiep. *Felix, qui nihil sibi retentat ex omnibus quæ habet, non foveam, ùt vulpes; non tamquam volucres nidum; non loculos, quomodo Judas: non domos, sicut nec Maria locum in diversorio: imitatus profectò illum, qui non habebat, ubi caput reclinaret.* h. i. Ubi per foveam intelligitur cupiditas terrenorum, per nidum ambitio, per loculos pecuniæ affectus, per locum in diversorio domorum proprietas, secundùm quod dicunt sæculares: *Proprius est focus multò pretiosior auro.* Eigen Herd ist Gelts werth. At servi Dei aliter loquuntur, ut sequantur exemplar virtutum Christum, qui non habuit, ubi caput reclinaret.

CAPUT IX.

De aliis requisitis ad vitam more pauperum virtuosè ducendam in Religione.

Q. 1. Quid significet hæc constructio: *Pauperem vitam ducere.* Tob. 4. 23. *Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* h. i.

R. 1. Quòd generet triplicem sensum etiam in vulgata acceptione. Nam 1. significat idem, quod vivere absque pace & concordia, Deique benedictione. Quod v. g. verificatur de conjugibus, inter se discordibus, dum vir est prodigus, potator

tor &c. Mulier rixosa, garrula, &c. filius contumax, rebellis &c. & hinc panis defectus in domo &c. *Secundò* idem; quod miserè vivere; quod evenit illis, qui per fortunæ invidiam, aut bella, incendia, furta ad egestatem coactam devenêre. *Tertiò* idem, quod, ex amore virtutis modicis contentari &c. in quo sensu non dicit miseriam; sed potius aliqualem beatitudinem, juxta dictum S. Bern. Epist. 103. *Beatus, qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.* In ultimo sensu intelliguntur verba cit. ex Tobia; De hoc ultimo sensu

R. 2. Paupertem vitam ducere, ex modo & sensu loquentium significat; in multis necessariis vel sæpe; vel subinde penuriam, parcitatem, tenuitatem, vilitatem, ac asperitatem pati. Quod si fiat ex electione, & amore virtutis, magni est meriti, & præmii; spectatque ad laudabilem sequelam Christi, juxta dicta: (Quamvis hic vivendi modus apud multos Religiosos sit odibile bonum.) Si autem extrinseca adversitas ad talem statum aliquem deducat, est quidem infelicitatis, & necessitatis; attamen potest esse materia virtutis, in quantum *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. 8.

Q. 2. An, licèt votum paupertatis *per se* non obliget ad tolerandum inopiam in necessariis, (prout jam tum suprà resolutum) attamen perfectio paupertatis voluntariæ saltem ex consequenti coëxigat patientiam in defectu necessariorum vitæ subsidiorum, aut fomentorum, ita ut in hoc se prodat verus amor paupertatis, qui solus

lus est virtus, non verò paupertas nudè inspecta virtus esse potest.

R. affirm. Ita enim *S. August.* in Regula: *illos sanè existiment ditiores, qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores: melius est enim minùs egere, quàm plus habere.* Et *S. Bonav.* in epist. ad Provinciales: *fœdum est, profanumque mendacium, paupertatis voluntariæ professorem se asserere, & rerum penuriam pati nolle.* h. i.

Et *S. Francisc. Salesius* introduct. ad vitam devotã p. 3. c. 16. inquit: *Ne contristeris, si minora æquo & debito tibi subsidia præbeantur. In hoc namque paupertatis excellentia & dignitas consistit. Velle esse pauperem, & nullum velle incommodum habere, nimis quàm magna ambitio est: idem namque est, ac velle simul honorem paupertatis, & commoditatem divitiarum ac opum habere.* h. i.

R. 2. Paupertas religiosa etiam gaudet vilitate, & modicitate, ita *S. Bened.* in Regula. *Monachus omni vilitate vel extremitate sit contentus: vilitate* (inquit *Hugo Menardus* c. 16. concord. Reg. §. 3.) *in cibo & potu, vestimento, calceario, & quocumque opere injuncto.*

Ante illum *S. Basil.* in Regulis fusiùs disputatis interrog. 20. *Alius venit ex sæculari vita, discat operibus, quod & ratio non persuasit; formam & exemplar vitæ frugalioris accipiat: recordetur mensæ Christianorum, & non pudenda propter Christum paupertatis.* h. i.

Joannes Hesselius, qui Concil. Trid. interfuit, c. 83. in Decalog. temerè ac stultè voventibus annumerat illos, qui vovent paupertatem, non ex-

penso

pensò prævièapud se , an verè cupiant in hoc mundo pauperum vitam ducere.

De S. P. *Francisco S. Bonav.* c. 7. inquit: *in hoc præcipuè suus offendebatur aspectus , si quidquam videret in fratribus , quod paupertati non per omnia consonaret.* Hinc etiam

Soc. Jesu in Summario Constit. §. 25. *Victus, vestitus , & lecti ratio erit ùt pauperibus accommodata: & unusquisque sibi persuadeat , quod , quæ vilissima erunt ex iis quæ domi sunt , ei tribuentur , propter ipsius majorem abnegationem , & spiritalem profectum.* h. 1.

Q. 3. An ergò arguendi Religiosi illi , qui interdum meliora , delicatiora , & sapidiùs condîta comedunt , nobiliora que vina bibunt , quàm sæculares &c.

R. Quòd , ceteris paribus, in hoc minimè culpandi sint , quia non culpabiles : excusantur enim ex multiplici capite. Nam 1. hoc subinde signum manifestũ est inopiæ eorum; quam homines prævidentes, ex devotione meliora mittunt illis , aut ferunt (ut ait *S. Bonav.*) suo proprio ori subtrahunt meliora , eisque utpote pauperibus Religiosis , de quibus optimam habent opinionem , dant tamquam Christo. Et pauperum est , comedere illa quæ apponuntur , aut spontè offeruntur illis. Vide de his *Georgium Gobat* in lib. de Ebrio.

II. Quia , ut legitur in vita *Joan. Tauleri*, iis , qui rigido virtutum exercitio atterunt vires corporis , & mentis , non tantùm favendum , sed & suadendum est , ut meliori alimento easdem restaurent.

III. Quia

III. Quia utuntur devoti Religiosi meliori alimento, ad consurgendū in majorem laudem conditoris ciborum; & ut sint aptiores, ferventiores in ejus servitio, amore, & laude; prout de S.P. *Francisco* legitur.

IV. Quoniam Deus fovet, & procurat eis meliora, tamquam filiis sibi gratioribus, qui illa alioquin ex se despicerent, nec quærerent.

V. Solitudo religiosa, & virtutum interharum exercitia non permittunt, ut grossioribus cibis utantur; quia aliquando tales Religiosi valde debilitantur in corpore, capite, stomacho; hinc, ne planè inutiles efficiantur, & magis onerosi suo monasterio, præstat eorum naturas meliori cibo & potu fovere & conservare. Attamen exiguloso affectu talia quærere culpabile esset in ipsis.

VI. Quia subinde assueti talibus in sæculo, contraherent infirmitatem, si de extremo ad extremum sine medio salientes, vellent illico naturam ad duriora assuefacere, & frangere.

VII. Quia Religiosi tales subinde non habent alios cibos. Et quia sæpe difficultatem habent in mendicando talia, haberent majorem & duplicem difficultatem, si postmodum non bene præparata cogerentur manducare.

VIII. Sæpe boni Patroni talia sic accommodata mittunt eis ita, ut velint cum eis inde in eorum refectorio comedere: ideoque illi interim juxta Regulam manducant de appositis, & vescuntur cibo alieno, & patronorum talium quasi instrumentali ministerio ùt servi Dei reficiuntur.

IX. Re-

IX. Religiosus quilibet bona intentione, & voluntate pia præditus, se inveniens in tali occasione, virtuosè comedit & bibit, si cogitet, quòd Dei servum reficiat ea intentione, & fine, ut Deo meliùs serviat. *S. Bern.* in Spec. Monach. *Si quid super appositum fuerit, quasi de cælo missum accipe.*

X. Secundùm monita *S. Francisci Sales.* religiosus melius facit, talia ex obedientia, & charitate comedendo, quàm ex sensuali singularitate abstinendo. Et in simili casu potest meliùs exercere virtutem, scil. non abstinendo ex superbia, nec tamen se ingurgitando ex intemperantia, nec alios scandalizando ex singularitate notabili. h. i.

CAPUT X.

De Discretione servanda in paupertatis rigore, seu inopia.

Q. 1. An discretio prudentis permittat, aut exigat, ut Religiosus diligat, & quærat pati aliquam propter Christum inopiam.

R. Licèt hoc non sit stricti præcepti, est tamen opus consilii, majoris virtutis indicium, perfectioriscque Christi sequelæ non vulgare argumentum. Cujus rationem dat *S. Bonav.* in Tract. de paupertate Christi contra Magistrum Guiliel. dum inquit: *Duplex est inopia, quædam involuntaria, quæ inducit defectum mentis, & pronitatem, ac occasionem inducit ad peccandum. Alia voluntaria, quæ habet adjunctam sufficientiam,*

juxta illud 2. Cor. 6. *tamquam nihil habentes, & omnia possidentes. Et hæc disponit ad justitiam perfectam; quia NB. mentem facit ad bonum idoneam: sicut è contra radix omnium malorum est avaritia.* h. i.

Q. 2. Qualiter discretio moderare debeat inopiam seu egentiam in usu alimentorum à Religioso sumendorum.

Resp. Ex doctrina quam dedit Christus *D. Birgit.* revelat. extrav. c. 13. his verbis. Licèt Mater mea perfectissimam habuit abstinentiam; sic tamen discretè gubernavit corpus suum, ut non frangeretur aliqua superfluitate, & violentia. Et licèt Pharisæi, & multi adhuc Religiosorum non utantur vino, propter hoc tamen non appropinquant mihi, quia non habent fundamentum continentiæ, scilicet humilitatem, & discretionem. Ideo cùm sublimiora aliqua proponuntur, ponderanda & discutienda sunt ab infirmis, ut non faciant, quantum volunt, sed quid expedit, & quid licet. Ecce enim jejunare in pane & aqua, sanis est bonum, sed non est summum bonum: NB. *Summum bonum est charitas, sine qua non est salus.* Sine jejunio verò panis & aquæ, omnis salvari potest, si adhæsit perfectio fidei, & discretionis, & justa causa. NB. *Ergo quia tempora mutata sunt, loca frigida, corda tepida, & vasa debilia; ideo locator palmitum mitigare poterit aspera, & arida succis irrigare.* Hoc est sic intelligendum, quòd permissum est jejunantibus in pane & aqua, posse comedere legumina, & aquam coctam bibere;

bibere! nam aridus est panis, & arctus sine leguminibus. Et aspera & frigida est aqua, nisi coquatur more ptisanæ, aut in hordeo excolatur. *Hucusque Christus ad S. Birgittam.* Hæc eadem audivit in spiritu: *etiamsi decies comederis, & biberis in die propter obedientiam, non tibi imputabitur in peccatum.* Revelat. extravag. c. 61.

Q 3. An Sanctis, qui olim fuerunt paupertatis eximii cultores in terris, nunc quoque parcus & pauper ornatus sit apponendus in exornandis ipsorum templis aut altaribus.

R. 1. Si pauper & modicus, attamen mundus ornatus ex sincero paupertatis amore deferatur, proculdubio id placebit Sanctis talibus. *Nihilominus*

R. 2. Etiam non displiciturum iisdem Sanctis, si pretiosus ornatus iis modò cum interno reverentiæ, & debiti honoris affectu deferatur. *Probatur* ex eo, quod evênit B. mem. *Patri Josepho de Copertino* Ord. Min. Convl. cùm enim perveniens Assisium, videret Altare S. P. N. Francisci, olim acerrimi paupertatis amatoris & propugnatoris in terris, adornatum variis pretiosis lampadibus, argenteisque candelabris; quodammodo suspensus cogitationibus ita secum loquebatur: *Quomodo sanctus Pater noster, qui olim tantopere sanctam paupertatem adamavit, nunc in medio auri & argenti, diversique pretiosi apparatus consistit!* Audivitque hoc S. Patris responsum intra se: *Non mirare Fili; nam honores isti non exhibentur mihi, sed Deo meo. Non vides quòd in Altari hoc sit reconditum SS. Sacramentum? huic offeruntur,*

& offerri debent talia. Ego hic subsisto in hoc loco subterraneo, ubi vix in tribus lampadibus accenditur, & fovetur lumen. Hæc in vita ejus.

Q. 4. Qualiter *S. P. Franciscus* præceperit discretionem in paupertatis arctitudine. R. idipsum satis liquet ex eo, quod de ipso scribit *S. Bonav.* c. 5. vit. §. 6. his verbis. Licèt autem pro viribus ad vitam austeram fratres induceret; non tamen ei placebat districtionis severitas, quæ pietatis non induit viscera, nec est discretionis sale condîta. Cùm enim quadam nocte unus ex fratribus præ nimietate abstinentiæ admodum fame cruciatus nullam posset habere quietem; *Intelligeretque pius pastor ovi suæ imminere periculum; vocavit fratrem, apposuit panem: &, ut ruborem ei tolleret, cœpit ipse primò comedere, eumque ad manducandum dulciter invitare.* Deposuit Frater verecundiam, sumpsit cibum, gavisus quàm plurimùm, quòd per circumspectam condescensionem pastoris, & corporis evasisset dispendium, & non modicum accepisset ædificationis exemplum. Manè facto, fratribus convocatis in unum, vir Dei referens, quod acciderat nocte, provida commonitione subjunxit: *Sit vobis, Fratres, non cibus, sed charitas in exemplum.* Docuit insuper eos, discretionem sequi ùt aurigam virtutum, non eam, quam caro suadet, sed quam edocuit Christus: cujus sacratissimam vitam expressum constat esse perfectionis exemplar. *Hucusque textus vitæ &c.*

Q. 5. Quid faciendum Religioso privato, ut minùs

minùs exponat se periculo excessus contra arctum usum temporalium.

R. Quòd discretè studeat sibi earum rerum non necessariarum denegare usum, quarum difficile est cohibere abusum, v.g. in minùs necessario cibo, potu, ludo, joco, recreatione &c. De quo *Cassian.* l. 5. de instit. renuntiant. c. 7. *Facilius videmus viros, qui totum sibi pro continentiæ amore denegarent, quàm qui escas sub infirmitatis occasione, sumentes, mensuram sufficientiæ custodiant.* h. i. Hujus autem rationem in experientia fundatam dat

S. Leo Papa ser. 12. dum inquit: *Per licitos usus ad immoderatos transitur excessus, dum per curam salutis irrepit delectatio voluptatis: & non sufficit concupiscentiæ, quod potest satis esse naturæ.* h. i. Idipsum asserit *S. Aug.* l. 10 confess. cap. 31. dicens: *quod saluti satis est, delectationi parum est.* Idem *S. Leo* serm. 5. de jejun. 10. mensis, inquit: *Quotidiano experimento probatur, potûs satietate aciem mentis obtundi, & ciborum nimietate vigorem cordis hebetari: ita ut delectatio edendi etiam corporum contraria sit saluti; nisi ratio temperantiæ obsistat illecebræ, & quod futurum est oneri, subtrahat voluptati.* h. i.

* * *
* *
*

CAPUT XI.

De Religiosorum quorumdam laudabili mendicitate.

INter præclaros varios Religiosos Ordines aliqui vocantur Mendicantes, qui vi sui primævi instituti, ad majorem voluntariæ paupertatis rigorem sustinendum, ex mendicato vivunt, licèt non tenerentur mendicare, si aliunde habere possent, v. g. ex sponte propter Deum à fidelibus oblatis. Horum mendicantium Ordinum varia sunt privilegia, illis à pluribus Summis Pontificibus collata, intuitu meritorum plurimorum, & fructuum à plurimis Sanctis horum Ordinum in Ecclesiam Dei derivatorum. In quibus tamen alii Ordines non mendicantes, ex speciali privilegio Pontificio communicant cum ipsis. De hac mendicitate magna lis ab initio fuit, & quæstio in Ecclesia, an mendicare sit licitum, an virtuosum, an Religiosis concedendum, an dedecens statum religiosum, an probrosum &c. Has quæstiones decidemus.

Q. 1. An mendicitas sit Deo placita. *Respondet S.P.N. Franciscus* (prout c. 7. vitæ §. 7. scribit *D. Bonav.* his formalibus: *Beneplacitum est Domino in paupertate, & ea maximè, quæ voluntaria pro Christo mendicitas est. Hanc dignitatem regalem pro nobis Dominus Jesus egenus factus assumpsit.* h. i. Et ob hanc causam mendicitatem amplexi sunt Sancti; quia ipsa reluxit in exemplo Christi; cujus proinde sequela est. Sed

Quæres 2. Constatne certitudinaliter, quòd Christus

Christus mendicârit. *R. affirm.* cum comm. DD. Theolg. & Ascetarum. Unus ex illis *D. Bern.* in serm. de amissione pueri Jesu, sic hunc suum Deum egenum factum alloquitur: *per illud triduum ubi eras bone Jesu? quis cibum aut potum ministravit?* Respondet sibi ipsi: *ut te per omnia nostræ conformares paupertati, ut in te humanæ naturæ calamitates susciperes, quasi unus è turba pauperum stipem per ostia mendicabas.* h. i.

Ipse quoque Dominus Jesus adultior factus, dum prædicare inciperet, mendicavit potum a-quæ à muliere Samaritana *Joan. 4.* victum à mulieribus ministrantibus: asellum & pullum, cùm volebat ingredi Jerusalem. *Matth. 21.* diversoriũ, ubi pascha manducaret cum discipulis, *Luc. 22.* Hospitium in domo Zachæi, *Luc 19.* item apud Simonem, & Martham: tandemque in alieno quasi mendicato sepulchro reconditus.

Q. 3. An dicta ergo Religiosorum aliquorum mendicitas spectet ad perfectionem.

R. affirm. ex doctrina *S. Thom.* opusc. 19. c. 7. ubi inquit: *Assumere mendicitatem propter Christũ, ad perfectionem vitæ pertinet, sicut & cetera pœnitentiæ opera, in quibus Religiones fundantur.* Et infra: *Nihil potest esse inter opera pœnitentiæ, quod hominem magis humilem, & abjectum reddat, quàm mendicatio: Unde naturaliter omnis homo mendicare erubescit. Ergo sicut ad statum perfectionis pertinet quòd homo jejunia, & vigilias assumat, ut carnis concupiscentiam domet; ita ad perfectionem vitæ pertinet, si quis mendicitatem assumat propter Christum, ut spiritum humiliet.* Hæc angelicè Angel. Doctor.

Q. 4. An voluntaria mendicitas sit probrosa, quæ alicui verecundiam rationabiliter generare possit, & debeat.

Resp. Quòd nequaquam sit probrosa ex se, si voluntariè propter Christum sit assumta. *Ratio est*; quia de illa *S. P. Franciscus* in sua Regula à Christo sibi litera-tenus dictatâ sic ait c. 6. *Fratres vadant pro eleemosyna confidenter, nec oportet eos verecundari; quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo.* h. i.

II. L. 1. imit. c. 7. §. 1. *Non te pudeat aliis servire amore Jesu Christi, & pauperem in hoc sæculo videri.* h. i.

III. Christus l. 1. revelat. c. 2. ad *S. Birgittam*: *Tu autem sponsa mea, si nihil, nisi me desideraveris, si omnia pro me contempseris, ego dabo tibi stipendium pretiosissimum, & dulcissimum, non aurum & argentum, sed meipsum dabo tibi in Sponsum & præmium, qui sum Rex gloriæ. NB. Si autem erubescis esse pauper & despecta, considera, quia Deus tuus præcedit te, quem servi, & amici reliquerunt in terra; quia non amicos terrenos quæsivi, sed cælestes.* h. i.

IV. B. V. M. ad *S. Birgittam* l. 4. revelat, cap. 76. *Dives Deus venit in mundum pauper, ut exemplo ostenderet terrena transitoria esse: & ut homo Domini sui addisceret, nec NB. erubescceret paupertatem, sed ad veras divitias & cælestes festinaret. Ideo cum paupere piscatore inchoabat pulcherrimam dispositionem Ecclesiæ.* h. i.

V. Immo voluntariam ob amorem Christi mendicitatem esse potius honorabilem, immo & hono-

honorificam, testatus est *S. P. N. Franciscus*, (de quo *S. Bonav.* lc.) cùm enim cum Domino Hostiensi accumberet,(qui postmodũ *Gregorius IX.*) & in mensa ejus vesceretur pane, à se prævie pro amore Jesu emendicato, audiit desuper aliquam exprobrationem à prædicto Domino,quasi ipsius panem contempsisset, adducendo frustula panis mendicati; respondit eidem vir devotus: *Magnum mi Domine,vobis honorem exhibui, dum majorem Dominum honoravi:hanc dignitatem regalem,&c,* prout suprà in q. 1. huius Cap.

VI. Magnus *S. Gregorius Nazianz.* in apologia mirè gloriatur de inopia,dicens:*Sed paupertatem, & inopiam exprobrabunt? at istæ sunt divitiæ meæ: hæc me non solùm gloriantem, sed & arrogantem facit. Videntur enim mihi inimici, dum hoc objiciunt, objicere, quòd in vestigiis illius incedam, qui propter nos inops factus est, cùm esset dives. Atque utinam exuere me possem panniculis istis, quibus circumdari videor, ut nudus effugerem spinas sæculi, quæ retinent, & revocant pergentes ad Deum! h. i.*

VII. Insuper Ethnici in hoc saniori sensu confundunt Catholicos,immo & multos Religiosos. Inter illos loquatur unus *Aristides* Vir summus Athenis, qui cùm ibidem viveret in magna egestate, objicientibus hanc voluntariam inopiam, scitè respondit, *eos, qui pecuniam,qua abundant, in pravos usus conferant, passim reperiri; at, qui paupertatem generosè ferant, esse paucissimos: esse autem paupertatem iis tantùm dedecori, qui invitè essent pauperes. h. i.*

CAPUT XII.

De multiplici spiritali fructu Paupertatis Religiosæ.

QUoniam Dux paùperum, & Prædicator paùpertatis *CHRISTUS JESUS*, vult ejusdem esse remunerator & in tempore, & in æternitate; hinc assecurat milites suos sub paupertatis vexillo præliantes, ne imaginentur sibi, quasi gratis, id est, sine spe præmii, paupertatis ferrent & arma & onera. Proinde tam corpus pro onere, quàm mentem pro spiritu paupertatis hìc reficit in tempore, abundantiùs præmiaturus in æternitate.

Porro S. Paupertatis multiplices fructus in utroque genere enarrare, esset *S. P. N. Francisci*, qui eosdem ubertimè degustavit. Ex illius, & aliorum Sanctorum vita, exemplo, & doctrina delibabo potiores, & primò quidem spiritales.

Fructus spiritales Paupertatis religiosæ.

I. Facit hominem exoneratum, & expeditum in sequendo Christum, & veniendo ad ipsum. Petrus, postquam reliquerat omnia, fidenter loquitur ad Christum: *Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. At ipse ait, veni.* Matth. 14. 28. Aquæ maris sunt tentationes, tribulationes, & amaritudines hujus sæculi: quas pede calcans religiosus, instar D. Petri, rectà & intrepidè

pidè venit ad Christum. Huic fructui vicinus est

II. Fiducia magna ad Christum in vita & in morte, in spiritalibus, & corporalibus necessitatibus: fundata in promissione ipsius: *Amen dico vobis, quòd vos, qui reliquistis omnia, &c.* Matth. 19. Marc. 19. Insuper immediatè sequitur

III. Fructus, magna assecuratio animæ, quanta mortalis statui convenit. De qua *S. Gregor.* l. 2. moral. c. 31. *Magna est securitas cordis, nihil concupiscentiæ habere sæcularis.*

IV. Liberat ab infestationibus diabolicis. Nam *S. P. Franciscus* vapulat à dæmonibus, dum ultra paupertatis metam indulgebat corpori in Cardinalitia aula.

V. Genus quoddam martyrii est, tenuitatem & paupertatem eligere, dum quis poterat abundare, *S. Bernardo* attestante. Et *M. Navarrus* martyrium asserit vitam sui Cognati *S. Francisci Xaverii*, paupertatis religiosæ, imò & inopiæ amatoris eximii.

VI. Alleviat navem animæ, præservans ab æternali naufragio. Nam (ut Chron. Minor.) religiosi multi cum libris superfluis, peculiis illicitis, suppellectilibus excessivis, ad inferni profundum non solùm descenderunt, sed etiam rapti sunt.

VII. Tribuit quemdam animo constanti firmitatem, & quasi immutabilitatem. Hac fulti *S. P. N. Franciscus* ingentem auri copiam à Soldano quasi obtrusam repudiavit heroicè: *S. V. Clara*

Clara oblatas à *Greg. IX.* divitias animo immobili aſpernata fuit.

VIII. Eſt vice-purgatorium Chriſto ſervientium, & flammarum purgatorii aut depulſivum, aut diminutivum. Prout in annal. Minor. quidam Canonicus factus Minorita poſt mortem apparuit Confeſſario in veſte pretioſiſſima, dicens, ſe hanc nactam pro pauperculo habitu quem geſtavit amanter in terris: cujus & intuitu, flammæ purgatorii fuiſſent ſibi abbreviatæ.

IX. Pauperes habent jus ad regnum cælorum certius, quàm alii, immo non tantùm *jus ad rem*, ſed quaſi *jus in re*. De quo *D. Bern.* ſerm. 4. de adventu: *In aliis virtutibus promiſſio futuro tempore indicatur: paupertati non tam promittitur, quàm datur. Unde & præſenti tempore enuntiatum eſt: ipſorum eſt regnum cælorum; cùm in ceteris dicatur: hereditabunt, conſolabuntur, &c.* vel ideo, quia *regnum Dei intra vos eſt*, id eſt, pauper ſpiritu poſſidet Deum in corde ſuo, pro quo proinde gaudenter omnia tranſitoria deſpicit.

X. Appetitum cordis excitat & acuit ad virtutes, & cæleſtia dona. *S. P. N. Franciſcus* c. 6. Regulæ: *Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos Fratres meos heredes & Reges regni cælorum inſtituit: pauperes rebus fecit, virtutibus autem ſublimavit.*

XI. Exemplum bonum inde præbetur fidelibus ſpiritali ædificatione, maximè ex externæ paupertatis rigore.

XII. Eſt eximium genus pœnitentiæ, paupertatis rigorem ſufferre: nam valde pœnale eſt

& cor-

& corpori, & spiritui superbienti. Unde pauper & modicus *S. P. N. Franciscus* paupertatis suæ incolatum meritò continuam vocat pœnitentiam, dicens in testamento: *Dominus dedit mihi Fr. Francisco ita incipere, & facere pœnitentiam.* h. i.

XIII. Ubertas consolationum cælestium communicatarum pauperibus spiritu. De qua l. 4. revelat. c. 5. Spiritus bonus ad *S. Birgittam* ita loquitur: *S. Elisabeth Filia Regis Ungariæ delicatè enutrita, & nobiliter nupta, magnam sustinuit paupertatem & dejectionem. Quæ majorem consolationem obtinuit à Deo in paupertate, & sublimiorem coronam, quàm si mansisset in omni honore mundi & ejus consolatione.* h. i. De quo plura apud *Platum* de bono status religiosi.

XIV. Gloriatio sancta liberæ mentis, supergressæ omnia terrena & caduca. De qua l. 4. revelat. c. 76. *B. V. M.* ad *S. Birgittam*: *Petrus Apostolus & alii Sancti plùs in paupertate, quàm in sentibus divitiarum gloriabantur. Propterea & quò plùs in eis abundabat paupertas, tantò devotio cumulatiùs augebatur.* h. i.

XV. Profectus aliarum animarum. Christus ad *S. Birgittam* c. 23 revel. extrav. *Mater mea charissima simplicissima fuit, Petrus idiota, Franciscus rusticus: & tamen plùs profecerunt animabus, quàm Magistri eloquentes; quia perfectam charitatem ad animas habuerunt.* h. i.

XVI. Paupertas amata excellenter immutat naturam hominis. Nam *S. P. N. Franciscus* paupertatis incommodis ùt commodis mirè jucundabatur:

batur: immo ita eam honorabat & colebat quasi rem eximiam & divinam, vitale quid in se continentem; & cui nulla humana dignitas posset comparari.

CAPUT XII.

De aliis spiritalibus fructibus Paupertatis Religiosæ.

XVII. Facit paupertas voluntaria hominem exultabundum in Deo. *S. P. Franciscus* auditâ ex Evangelio paupertatis regulâ, quasi inveniſſet thesaurum ingentem, exultabat mirificè, *Hoc*, inquit, *est, quod cupio: lætanter his innititur memoria commissis.* Ex Respons. Festi.

XVIII. Pauper spiritu in bonis propositis est immobilis. De *S. P. Francisco* & sociis *S. Bonav.* c. 4. vitæ §. 1. *Insuper divina consolatione repleti statuerunt firmiter, & irrevocabiliter confirmârunt, nullius inediæ aut tribulationis impulsu, à sanctæ paupertatis resilire promisso.* h. i. & §. 2. *Ipsa quoque rerum penuria abundans eis videbatur ubertas. h. i.*

XIX. Facit alacres ad virtutem & laborem. lc. §. 6. vitæ *S. Francisci. Faciebat namque S. Paupertas, quam solam deferebant pro sumptibus, ipsos ad omnem obedientiam promptos, robustos ad labores, & ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilque timebant amittere; securi erant ubique, nullo pavore suspensi, nulla cura distracti, &c.*

XX.

XX. Quò parciùs admittit Religiosus temporale subsidium, eò fit aptius animarum instrumentum; ait *L. Pinell.* Patet in *S. Francisco Seraphico*, & *S. Francisco Xaverio*, qui arctissimam paupertatem eligentes, mirum fructum in animabus fecerunt, nil quærentes, nisi earum salutem, & Dei gloriam.

XXI. Pauper non habet, unde eum luctator diabolus teneat, & in terram dejiciat. *S. Gregor.* hinc ipsius salutis status minùs periclitatur.

XXII. Paupertas est quidem mater aliquantulùm immitis & dura; at cordatos enutrit filios. *De paupertatis horreo sanctus Franciscus satiat turbam Christi famelicam, in via ne deficiat*, &c. Respons. diei Festi. Religiosi illi matrem hanc suam inhonorant, domo ejiciunt, pede calcant, alapis cædunt, qui paupertatis inimicos se ostendunt.

XXIII. Est via arcta ad cælum, sed regia. *Stulti non errant per eam.* Isai. 35.8.

XXIV. Sub titulo paupertatis ordinantur etiam in opulentis monasteriis, qui alioquin sub titulo patrimonii proprii in mundo ordinari nequibant.

XXV. Ingressus securior & confidentior in regnum cælorum. Pauperes dicunt bonâ conscientiâ ad Christum: *Domine, jam redde, quod promisisti, quia servavimus, quod jussisti.* *B.V. M.* ad *S. Birgittam* l. 4. revel. c. 76 *Humilitas & paupertas aut spiritalis aut corporalis, ingessus est in cælum.* *S. P.N Franciscus* pauper & nudus cupiebat mori in terra, exultans, quòd *expeditus ab omnibus*

nibus liber transiret ad Christum. In octava Festi. *S. August.* serm. 28. de verbis Apostoli: *Non tibi displiceat paupertas tua: nihil ea potest ditius inveniri. Vis nosse, quàm locuples sit? cælum emit hæc.*

XXVI. Pauperes sunt illi, qui violenter rapiunt regnum cælorum, juxta verbum Christi, ait *S. Bern.* in Matth. 11. 12.

XXVII. Paupertas est solicitudinum depositio, curæ vitæ prætereuntis privatio, itineratio sine impedimento, fundamentum pacis, munditiæ semita. *Joannes Abbas* apud *Harphium Theol. mysticæ l. 1. c. 63.*

XXVIII. Judiciaria potestas potiùs promissa est pauperib⁹ à Christo (*Vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis,* Matth. 19.) quàm martyribus, ob tres causas recensitas ab *Harphio* l. 1. Theol. myst. p. 2. c. 63. *I. Ratione congruitatis*; quia voluntaria paupertas cum debita sequela Christi, tantùm est eorum, qui cunctis, quæ mundi sunt, contemptis, soli Christo tenaciter inhærent; nec restat aliquid, quod eorum judicium à justitia deflectat: & sic idonei redduntur, quasi veritatem justitiæ præ cunctis rebus diligentes. Verumtamen nemo potest sequi Christum, nisi contemnat omnia: ergo & se ipsum.

II. Per modum meriti, & correspondentiæ; nam meritò virturi humilitatis repertæ in paupertate, quæ hominem despectum facit, correspondet exaltatio, & excellentia judiciariæ potestatis. Et licèt majus sit offerre Deo Sacrificium de proprio corpore, sicut Martyres, vel Virgines, quàm de rebus exterioribus, sicut voluntarii pauperes;

peres; tamen, quia paupertas raros invenit appetitores, hinc illis solis propter suam raritatem & eminentiam talis excellentia promittitur. Cujus spes non est pro illis, qui in paupertate aut murmurant, aut omnibus abundare volunt.

III. Quia voluntaria paupertas in progressu ad perfectionem vitæ prima ponitur inter beatitudines, velut janua totius perfectionis: quæ perfectio disponit cor humanum, ut sit edoctum omni divina veritate, in quo decreta tenentur divinæ justitiæ, ex quibus homines judicabuntur; sicut si liber, in quo continetur lex, judicare dicatur. *Hæc ibi.*

CAPUT XIV.

De multiplici fructu temporali, seu quasi corporali paupertatis religiosæ.

PRIMUS. Paupertas voluntaria Religiosorum est lucrosa virtus. *S. Hieron.* ad Pammachium: *Plus accipimus, quàm dedimus: parva dimisimus, & grandia possidemus, centuplicato fœnore Christi promissa redduntur.* h. i.

II. Prolongat ætatem; nam pauper diætam servans in potu & cibo, debitoque tempore ea sumens arcet noxios humores, seu fontes infirmitatum. *Qui abstinens est, adjiciet vitam.* Eccli. 37. 34. *De Lugo* in resp. moral. ait, ex judicio Medicorum, vitam religiosam ob multas causas conducere vitæ prolongandæ.

III. Fovet lætitiam internam, dum & divitias,

& curas cum avaritia abdicat; quibus implicantur ofores paupertatis. Hinc ruſticellus quidam ſimplex & bonus, qui ad altam ſenectam pervenerat per vitæ modicitatem; poſt oblatam autem ſibi à Paulo III. pecuniam ad fomentum ſenectutis ſuæ, timebat ſibi, & lætitiam, & vitam inde abbreviandam.

IV. Tollit multiplicem cordis corroſionem & anxietatem. Hinc veriſſimè dixit *Sigiſmundus Imperator*, propriâ experientiâ convictus, quòd *pecuniæ inordinatus amor ſit animi carnifex.*

V. Confert aliquod quaſi dominium rerum temporalium, in tantum, in quantum voluntariè pro Chriſto pauper ſperat per Dei providentiam proviſionem ex iis omnibus, quæ ſuis neceſſitatibus ſublevandis Deo viſa fuerint conducere. Hos meritò conſolatur Apoſtolus 1. Cor. 3. 22. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, &c. Nihil habentes, & omnia poſſidentes.* 2. Cor. 6. 10. *S. Bern. Pauper dimittit omnia, & recipit omnia.* Si tamen faciat, quod ſcriptum eſt in figura Levit. 1. 8. *Offeretis caput, & cuncta, quæ adhærent jecori*: id eſt, voluntatem propriam, quæ caput eſt in omnibus holocauſtis, & omne quod ab eo amari aut deſiderari poteſt; tunc eo ipſo Chriſtus, qui eſt caput omnium fidelium, curam pro illo geret, alloquturus corda hominum benefacere volentium, his verbis olim ſuis: *Date vos illis manducare.* Matth. 14. 16.

VI. Viliora dimiſit, meliora recipit. *Petrus Damiani* in ſerm. de S. Columba ex Geneſ. 2. 21. *Tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro*

ea,

ea. Os tulit, & carnem reddit, id est, melius pro viliore. *NB. Pecunioſi vocant pecunias ossa ſua.*

VIII. Sufficiens temporalis subsidii suppetentia. Matth. 6. 33. *Quærite primùm regnum cælorum, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.* Isai. 14. 30. *Pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescent.* Vide libr. 1. de fructibus communitatis religiosæ.

IX. Contentamentum cordis in bona tranquillitate. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* 1. Tim. 6. 8. Devoti Belgæ sic cantant:

Lieven Heer/ Koſt/ en Kleer/
Het Hemmelryck / en dan niet meer.

X. Pauperi voluntario & virtuoso quisque compatitur. Et hæc est miseriæ non modica sublevatio cordialis compassio: dat enim quasi partem cordis sui alteri patienti, seu egenti. *S. Gregor. Papa.*

XI. Subventio corporalis per alios facta. De qua *B. V. M.* ad *S. Birgittam* l. 4. revel. c. 76. *Deus ostendere volens, quòd non paupertas Petri, nec aliorum Sanctorum coacta erat, sed spontanea, ideo incitabat animos multorum ad largiendum eis.* h. i.

XII. Aviditatem nocivam præscindit, satians cor pauperis, & contentans. Et hoc est magnum bonum corporis & animæ, quod pauperem facit divite feliciorem. L. 6. revel. c. 30. *S. Birgitta*

ait Christus: *Ille est verus Frater, qui nihil desiderat nisi Deum, & novit necessariis contentari: qui me Deum factum carnem fratrem suum agnoscit, & diligit ut fratrem, &c.* Vide plura apud *Plasum* de lætitia corporali licita Religiosorum. *Luc. Pinell.* l. de perfect. *Voluntaria paupertas contentat cor: sæculi autem cupiditas irritat appetitum ejus.* h. i.

XIII. Utilitas magna paupertatis. De qua *S. Teresia* l. de perfect. vitæ c. 2. *Credite mihi sorores meæ --- magna est utilitas paupertatis, quæ omnes consolationes, quotquot sunt in mundo complectitur, habere dominium omnium (Et loquor id, identidem repetens) divitiarum. Quod quilibet fatebitur, qui de illis nihil curat.* h. i.

NB. Loquitur hic Seraphica Virgo non de dominio possessionis, sed de dominio abdicationis, seu abjectionis, vel potiùs aspernationis, quô dicitur quis dominus rei, cui non vult subjici, non cedere, nec servus fieri, &c.

XIV. Pauper voluntarius quiescit meliùs, dormit securiùs, surgit alacriùs, laborat fideliùs, comedit sapidiùs, securus à furibus. Ita *Luc. Pinell. Voluntariè pauper mundum illudit: avarus dives à mundo illuditur.* Macarius Alexandrinus.

XV. Itinerans ubique paratum apud Religiosos invenit hospitium; in quo ex charitate ei melius apponitur, promptiùs servitur, obsequium gratis impenditur ex majori sinceritate animi, quàm magnis divitibus pretium offerentibus. Quos alloquens paupertatis amator *S. Franciscus*

c. 7.

c. 7. vit. §. 9. exprobrat: *Ideo nihil inveniſtis, quia plùs in muſcis veſtris, quàm in Domino confiditis, Muſcas nempe denarios vocavit.* h. 1. Regula *S. Benedicti* jubet menſam Abbatis ſemper debere eſſe cum hoſpitibus, maximè pauperibus & Religioſis (*nam divitum terror ſibi ipſi ſumit honorem.*) *Luc. Pinell.* plura de his ſcribit, uti & *Antonius Sucquet.* Soc. Jeſu.

XVI. Quia in ſenibus non ſemper ſeneſcit, ſed ſæpe creſcit ſapientia, & bona voluntas, plura faciendi pro gloria Dei, animarum ſalute, Religionis provectu; hinc tales ampliùs in Religione amantur, & foventur, intuitu bonorum quæ fecerunt. Ægrotantibus mox præſto adeſt Medicus: de morte admonentur, uti & præparatione ad illam: ſecuriùs moriuntur: Anima in corona Fratrum Deo recommendatur. Et, dum infirmus eſt, ejus officium & onera ab aliis ſupplentur; ita ut propter infirmum, occupationes religioſæ, & diſciplina regularis in nullo detrimentum patiantur. Tandem, poſtquam in hoc ſæculo centuplum corporaliter & ſpiritaliter receperunt, in futuro vitam æternam poſſidebunt cum omnibus ſpiritu pauperibus, heredibus regni.

XVII. Ergo ſtulti, & irridendi, qui irrident pauperes, in hoc ſapientes, quia *nihil habentes, & omnia poſſidentes. Nos autem vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce, quomodo computati ſunt inter Filios Dei!* Sap. *5.* 4.

XVIII. Regula Magistri c. 91. sic consolatur pauperes religiosos. *Eum verò certissimè sciatis, plura à Domino recipere, quàm contempsit, cùm Dominum sibi fecit, quem secutus est, debitorem: quid illi sufficit, cui ipse Dominus non sufficit?* De pauperibus religiosis à Deo benedicendis meritò verificatur illud Prov. 13. *Est quasi dives, cum nihil habeat, & est quasi pauper, cùm in multis divitiis sit.*

CAPUT XV.

De aliquibus nocumentis obstantibus Religiosæ Paupertati, &c.

Q. 1. An flaccescere, vel deperire incipiat status religiosus per paupertatis contemptum.

R. 1. Affirm. Idque fit pedetentim eo modo, quo dixit Christus *S. Birgittæ* l. 7. revelat. c. 26. his formalibus: Sicut *S. Franciscus* vult multos trahere de mundo cum sua humili obedientia, ad recipiendum magna præmia in cælo, ita adversarius hujus Regulæ multos de Ordine ejusdem *S. Francisci* trahet de humilitate ad superbiam, *de rationabili paupertate ad cupiditatem*, de vera obedientia ad faciendum propriam voluntatem, & ad sequendum corporis delectationem. Cùm intravit Ordinem, per varias simulationes & hypocriticas actiones simulabit se sanctum, ut aliorum favorem lucretur, scientias addiscet, ut apud alios honorem sibi conquirat. Et insuper dicet: *Ego secundum dictam Regulam non possum licitè pecu-*

pecuniam tangere, neque aurum, vel argentum possidere, & ideo aliquem specialem amicum habere volo, qui pecuniam & aurum meum teneat secretè secum ex parte mea, ut illa pecunia utar ego ad voluntatem meam.-- Verè est ita, quòd plures sunt illi fratres in mundo, qui tenent aut opere, aut voluntate, aut desiderio, regulam, quam diabolus docuit, quàm illi, qui servant Regulam illam, quam ego ipse docui Fratrem Franciscum. h. i. Subdit Christus, loquens *S. Birgitta.*

Scias tamen, quòd, quamvis isti Fratres scil. *Francisci*, & ejus adversarii commixti sunt, quamdiu vivunt in mundo; attamen ego separabo eos post mortem, quia Judex eorum sum, & judicabo Fratres Regulæ *Francisci* ad permanendum mecum simul cum *Francisco* in æterno gaudio. Illi autem, qui sunt de regula fratris adversarii, judicabuntur ad pœnas æternales in profundo inferni, si ante mortem se noluerint corrigere, & humiliter emendare. h. i. *Subditur:*

Nec est mirandum de hoc, quia illi, qui deberent mundanis hominibus dare humilitatis & sanctitatis exempla, ipsi præbent eis *exempla vilia, & ribalditia cum sua cupiditate, & superbia.* Et ideo certissimè sciant dicti fratres, quòd tam ipsi, quàm ceteri religiosi, quibus Regula prohibet habere proprium, & tamen *habent aliquod proprium contra Regulam suam. NB. Volentes per hoc me placare, quòd inde aliquam partem mihi conferunt, eorum munera abominabilia*

sunt mihi, & exosa, nec aliquâ remuneratione bona sunt digna.

NB. Magis enim mihi gratum, & placitum est, quòd paupertatem beatam, quam professi sunt, secundùm Regulas suas diligenter observent, quàm quòd totum aurum & argentum, ac etiam omnia metalla, quæ in mundo sunt, mihi præsentarent. h. i.

R. 2. Multùm laudanda est *Societas JESU* ob hoc, quòd in ea professi trium aut quatuor votorum voto adstringuntur non consentiendi relaxationi paupertatis, juxta eorum constitutiones ab ipsis promissæ. Utinam tale votum etiam ab aliis congruè posset emitti!

Q. 2. Quantum displiceat Christo nimia cupiditas monialium, & fuga paupertatis.

Respondet Christus S. Birgittæ l. 6. revel. c. 99. his verbis: Æthiops apparebat inter moniales cum habitu monialium, ipse est dæmon cupiditatis, qui suadet eis aggregare possessiones, & castra, & plures divitias, ut ex illis lautiùs vivant, & distribuant largas eleëmosynas, ut sub tali religiosa specie recedentes à paupertate mihi grata, dissolvantur paulatim, donec prævaricantes Regulam, & priorem observantiam, perdant animas. *Ideo scito, quòd, nisi vigilanter caveant ab isto lupo cupiditatis*, scilicet contentando se de his, quæ habent, & nihil plus volendo accrescere in possessionibus, & terrenis divitiis, inficientur ab eo etiam sanæ oves istius gregis damnabiliter, & postea à lupis dilaniabuntur immisericorditer.

NB. *Magis enim mihi placet, quòd in paupertate quieta*

quieta, & sancta, quam profitebantur, vivant, & contententur, quàm quòd terrena cura regiminis temporalium implicantes se, de distributione eleëmosynarum bonorum aliorum inaniter glorientur. *Hæcibi.*

Q 3. Quid de Monachis paupertatis rigorem fugientibus senserint SS. PP. *Hieronymus & Bernardus.*

R 1. Quòd viliter sentiant de talibus *S. Hieron.* Epist. ad Nepotianum ita conqueritur: *Nonnulli sunt ditiores Monachi, quàm fuerant ante sæculares: qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallaci diabolo habere non poterant. Natus in paupere domo, & tugurio rustico, qui vix milio, & cibario pane rugientem satiare ventrem poteram, nunc similam & mella fastidio. &c.* h. i.

R. 2. S. Bern. homil. 4. super *missus est* ita invehitur contra illos. *Video quiddam, quod sine dolore videri non debet, post aggressam Christi militiam rursus implicari sæcularibus, rursus terrenis cupiditatibus immergi: sed contra sui Imperatoris dictum, concupiscere aliena, & sua cum lite repetere: ita nec se mundo, nec sibi mundum crucifixerunt.* h. i.

Q 4. Ex quibus eluceat Religiosorum cupiditas opposita paupertati.

R. Quòd ex tribus, scilicet 1. nimis affici ad res viles, 2. Contendere de illis retinendis. 3. Nimis solicitum esse de futuris. De his tribus accipe tres auctoritates.

Prima est Danielis Abbatis sic loquentis apud

Cassianum collat. 4. c. ult. *Vitium avaritiæ, & cupiditatis, quod erga species pretiosas exercere non possunt, circa viliores materias retinentes, non abscidisse, sed commutasse se probant pristinam passionem. Nam nimia devincti diligentia erga curam psiathii, sportellæ, codicis, mattæ, aliarumque similium rerum quamvis vilissimarum, eâdem tamen, quâ antè, libidine detinentur.* h. i.

Secunda est ejusdem *Cassian.* collat. 1. c. 6. *Plerique nonnulli tanto zelo codicem servant, ut eum ne leniter legi quidem, vel contingi ab aliquo patiantur. Cùmque omnes divitias suas pro Christi amore dispersérint, pristinum tamen cordis affectum in rebus minimis retinentes &c.* Eusеb. Emissen. homil. 5. ad Monach. *Inde est, quòd de rebus pravissimis interdum excitamur, & pro vilium rerum appetitu vilissimas contentiones movemus. Et inter hæc quomodo exultat adversarius noster, quando nos videt maxima contempsisse, ut in minimis deformiùs vinceremur. &c.*

Tertia est Abbatis *Piamonis* apud *Cassian.* collat. 18. c. 8. *Isti verò non solùm in crastinum, sed etiam in multorum annorum spatio infidelem solicitudinem prorogantes, aut mendacem Deum aut inopem credunt, qui promissam quotidiani victus, atque indumentorum sufficientiam præbere eis aut non possit, aut nolit.* h. i.

CAPUT

CAPUT XVI.

De Excessu cultûs vestimentorum, contra paupertatis religiosæ decentiam.

Q. 1. An Religiosum sive Ordinis Mendicantium, sive non mendicantium deceat, & ornet vestimentorum vilitas.

R. affirm. Proinde decens est portare habitum vilem (nisi aliud Regula, vel Constitutiones alicujus Ordinis exigant, v. g. pro re nata, portare nitidiorem habitum, dum foras eundum, prout in Regula *S. Benedicti:*) Ex hujus Regula patet responsionis veritas: nam c. 55. ita habet: *De quarum rerum omnium colore, aut grossitudine non causentur Monachi; sed quales inveniri possunt in Provincia, qua habitant, aut quod vilius comparari potest.* h. i. (Regulæ *S. Benedicti* hoc testimonium approbationis dat *S. Papa Gregorius Magnus*, quòd sit *sermone luculenta, & discretione præcipua.* h. i.) Et *S. P. Franciscus* in Regula c. 2. *Fratres omnes vestimentis vilibus induantur &c.*

R. 2. Ut vestes Religiosorum non degenerent à religiosa paupertate; de iis ita scribit *Blosius* in Spec. Monach. pag 851. *In vestitu, & in victu sobrius esto. Quidquid monasticæ simplicitati contrarium est, id prorsus rejice, conspue, & detestare. Neque vanissimos quosdam infelicissimosque Fratres imitatus fueris, quos sui status pudet, & suæ iniquitatis non pudet. Si quando egredi, vel ad con-*

conſpectum ſæcularium venire debuerint, videas eos ad inepta curioſaque proruere: tales & tales veſtes, ſic & aptatas tunicas induere velle. Amictum cum regulari mandato, & Patrum ordinationibus convenientem geſtare erubeſcunt. Dumque non ùt humiles Monachi, ſed ùt delicati, venaſtique aulici prodeunt prodigioſo ſpectaculo prudentes quidem homines ad mœrorem & indignationem, Diabolum verò ad riſum & cachinnos provocant; evidenter hac abſurditate declarantes, quales intus ſint, nempe ſuperbi, molles, & vana gloria pleni. O Monachos à vera religione nimis alienos! ô Monachos! ô Monachos! ô Monachos dæmoniacos! hoccine eſt, quod Deo promiſerunt, quando per ſacratiſſimum votum paupertatis, mundo, omnibuſque ejus pompis & vanitatibus ſolemniter renuntiaverunt? hoccine eſt, quod Rex regum verbo docuit? hoccine eſt, quod exemplo monſtravit, quando panniculis vilibus præſepe habuit pro cunabulis? quando item veſte alba, & chlamyde purpurea in opprobrium veſtitus fuit? hoccine eſt ſequi JESUM? *hoccine eſt inhærere veſtigiis* JESU? *O confuſionem intolerabilem! ô inſaniam extremam! hæc ibi.* Interim paupertas religioſa habet ſuos gradus latitudinis, intra quos plus licet in una Religione, quàm in altera; item ubi eſt laxior, quàm ubi permanſit in rigore. Et ita docet *H. Caſal.* Cum quo ſtat, quòd plurimùm laudandus ſit Religioſus ille, *qui in paſchate utitur eadem veſte, qua in paraſceve.* Attamen veſtes internæ ſi ſint *mutatoriæ*, decent Religioſum quemlibet. Et hæc non vanitas ſed pia ſingularitas, & ſancta curioſitas eſt.

Q. 2. Qualiter carpendi sint Religiosi, in vestium cultu paupertatem negligentes, vel superbientes.

R.1. Vehementi animadversione contra eos invehitur *Laurent. Peyr.* Tom. 1. q. 2. c. 3. ante finem, dum sic eos adoritur. *Videbis quandoque Religiosos (ad Minimos loquor) gestantes habitus nitidos, tinctos, sub pralo plicatos, ex panno magni pretii, seipsos aspicientes, à planta pedis ad verticem capitis, oculos sempergyrantes, & regyrantes, gaudentes ab aliis videri, passu gravi incedentes, & inde se graves & magnum quid esse existimantes. O vanitas vanitatum! ô vanitas intolerabilis! ô Religionis dedecus! ô Religiosorum improperium! ô detestabilis insania! hoccine est,* Minime, *quod te docuit* S. P. Franciscus? *hoccine est, quod tibi mandatur in Regula, ut ex panno vili & abjecto absque tinctura contexto vestiaris? Hac fides, quam dedisti in professione, te Regulam servaturum? O infidelis homo! hoc pacto servas promissa? an nescis, fidem esse dictorum factorumque constantiam, & veritatem? sed scito, quòd frangenti fidem fides non servabitur.* Pergit:

Heu! heu! Minime, *considera nomen tuum: vide Fundatorem tuum: aspice habitum tuum: & cognosces, omnia tibi humilitatem protestari. Quid minus* Minimo? *& tu in* Minimo *videri vis maximus? quid humilius humillimo Fundatore tuo? & tu per viam superbiæ eum vis insequi? quid terra, ex cujus colore habitum gestas infimius? & tu sublimior omnibus vis apparere?— Heu! heu! Frater mi, considera statum tuum; vide Religionem tuam:*

tuam: aspice Institutorem tuum: sciasque, non esse ornamentum virile concinnitatem. Et nota illud Eccl. 19. *amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.* Et S. Bonav. in Spec. discipl. 1. p. c 8. ait: *Mollia vestimenta animi mollitiem indicant; nam molles mollia quærunt.*

Una tibi cella sit, eaque simplicitatem oleat religiosam.--Convincitur Deum non amare, qui amat ea, quæ ipsum scit velle odisse. Linque, linque Frater mi hæc Idolatua NB. linque superflua, esto necessariis contentus, quibus devoti, & observantes tui Ordinis utuntur. Hucusque doctrinaliter præcit. Author.

Respondet 2. S. Bern, in apolog. contra Guilielm. *quæritur ad induendum non quod utilius sed quod subtilius invenitur, non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat: non denique, juxta Regulam, quod vilius comparari potest, sed quod venustiius immo vanius ostentari. Heu me miserum qualemcumque Monachum, cur adhuc vivo videre ad id deveniſſe Ordinem nostrum? &c.*

Q. 3. An, & quando Religiosus habens superflua excusetur à peccato; NB. *Sequens responsio remittitur ad lectoris pii judicium.*

Respondet 1. Laur. Peyr. Tom. 1. de subdito q. 2. c. 2. §. 1. ubi ex *Sanchez* in Decalogum à se citato inquit ita: *Colligitur 10.* qualiter Religiosi habentes ampliſſimos redditus possint hac superfluitatis culpa liberari. *Primò* enim possunt liberari, quòd ratione dignitatis personæ, pluribus egeant. Vel *secundò*, quando Regula posset dici

relaxta

relaxata (sed an licitè) & paupertas eo modo intellecta, prævaluisset q; jam consuetudo. Vel *tertiò*, quia pars illorũ redditnum ab ipsis expenditur in bonũ Conventus, vel in pias operas. Vel tandem, quia Religiosus ille multa sua industria comparavit : unde æquum est, ut illi plura concedantur. *hæc ille.*

Respondet idem secundò, lc. §. 9. Nec similiter putarem peccare mortaliter Religiosum, qui haberet multa superflua non quoad Statum Religiosum, sed quoad personam propriam de licentia Prælati, paratus ad illius nutum omnia relinquere, v. g. si haberet tres habitus, cùm duo sint satis; decem Camisias, cùm 4. aut 5. essent illi sufficientes &c. præsertim si consumtis necessariis, non haberet, unde de aliis sibi provideret. NB. Quod tamen etiam est limitandum, nisi alii, aut aliquis aliorum Religiosorum necessariò aliqua istarum rerum indigerent ; nam tunc teneretur confratri suo de his, quæ sibi superflua sunt, providere. Attendenda tamen in his semper est qualitas personæ, & religionis usus. *Hæc ille.*

Respondet idẽ tertiò § sequitur secundò. Quòd religiosus de licentia Prælati utens rebus Monasterii ita abundanter, ut alii ea de causa egeant, graviter peccat; quia fit aliis injuria, cùm bona communitatis pro indigentibus communia sint. Et tantus potest esse excessus, & luxus, ut culpa sit mortalis tam in dispensato, quàm in dispensante. Congruum enim non est, ut alius esuriat, alius ebrius sit (*ut ait Apostolus*) sed tenetur Prælatus fideliter & rationabiliter dispensare. *hæc ille.*

Q. 4. Quænam destruant Religionem. *R.* ex Gulielmo in summa virtutum & vit. Tom. 2. §. ante penult. *Tria sunt, quæ solent Religionem destruere. 1. præceptorum nimietas. 2. particularium singularitas. 3. amor temporalium. Ecce singularitas, & amor temporalium, quæ ex peculiis.* h. i.

Q. 5. An vivere sine proprio sit vivere in paupertate. *R. affirm.* pro casu, in quo aliquis sponte elegit sine proprio esse in re & in spe (aloquin etiam multi pauperes ex fortunæ invidia nil habent proprium.) In hoc sensu locutus fuit *Urbanus I.* in epist. de paupertate, dum inquit: *Quicumque vestrûm vitam communem suscepit, & vovit se nihil proprium habere, videat, ne pollicitationem suam irritam faciat.* h. i. Et in nostra Regula dicitur in c. 1. *Regula Fratrum Minorum hæc est, scil. Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.* h. i.

CAP. XVII.

De Religiosæ Paupertatis alphabeto.

Q. 1. Quid sit alphabetum encomiorum paupertatis Religiosæ.

R. Ex *Laurent. Peyrinis*, quòd sequens plurima ejus encomia per ordinem literarum alphabeticum complectitur.

Sancta Paupertas est
Angelis, & hominibus venerabilis. *Kempis de 3. tabernac. c. 1. n. 14.*

Basis

Basis evangelicæ perfectionis. *Matth. 19.*
Castitatis fomentum. *Alvaretz de vit. spirit.*
Decor vestimentorum. *S. Bonav. in dicta salut.*
Ædificii spiritalis primarium fundamentum. *S. Bonav. Regul. Novit.*
Foramen acus, per quod gibbosus camelus non transit. *Matth. 19.*
Gymnasium sapientiæ. *Chrysost. in Matth.*
Humilitatis custodia. *Sanctus Pater Franciscus, & S. Gregorius.*
Judiciariæ potestatis magnificum præmium. *Matth. 19.*
Karitatis nutrimentum. *S. Bonav. in epist.*
Lilium redolens. *Justinianus in ligno vitæ.*
Margarita nitens. *S. Franciscus, S. Bonav.*
Nutrix virtutum. *S. Ambrosius.*
Orationis incitamentum. *in Orat. Dom.*
Portus traquillus, *S. Chrysost.* Portio in terra viventium, *Regula S. P. Francisci.*
Quies mentis. *S. Bonav. in dicta sal.*
Religionis murus. *Constit. Soc. Jesu.*
Seminarium omnium virtutum. *Theophylactus.*
Tutum asylum. *Chrysost.*
Via ad perfectionem. *D. Thom.*
Xhristi imitatio. *Luc. 2.*

Q. 2. Ex quibus Ordo Mendicantium subinde vilescat apud sæculares.

R. 1. Quòd ex duobus generalibus principiis, scil. ex defectu subditorum, & negligentia Prælatorum. De quibus *S. Bonav.* in epist. ad ministros Prov. sic inquit: *Sanè cùm evangelici culminis observata perfectio hactenus spectabiles & a-*

mabiles nos mundo reddiderit, omnique favore & reverentia dignos; ecce, jam nunc multitudine in proclivia tendente, & remissiùs agentibus his, qui præsunt, vitiorum quædam sentes cernuntur succrescere, quæ dum sacrum hoc venerandumque Collegium despicabile & onerosùm reddunt, populis convertunt in scandalum, quod cunctis esse debuerat in exemplum.--- Sicque fit divini permissione judicii, ut spernentes modica in maxima decidant: quia, cùm disciplina negligitur, insolentiæ crescunt; ac per hoc interior negligentia circa exercitationem virtutum, exteriùs procedit in scandalum, per eorum patentem ruinam, qui stare videbantur in oculis aliorum. Ex quo fit, ut sanctæ Religionis splendor præfulgidus in pallorem degeneret, sanctitatis pulchritudo sordescat, bonæ opinionis odor computreat, & nomen Domini blasphemetur &c. h. i.

R. 2. Ex eodem ibid. *Quoniam paupertas est nostræ Religionis prærogativa sublimis; ne nobilis hæc margarita conculcanda porcis viliter exponatur, discurs suum causam, & quæstuum sumptuositatem scil. ædificiorum, librorumque, vestium, ac ciborum sic studeas amputare, quòd à professionis excellentia vitæ observantia non discordet--- simulque sæculo toti clarescat, quòd non commoda rerum, sed lucrum quæramus animarum. &c.* h. i.

R. 3. Ex eodem in alia epist. ad Ministros Prov. & Custodes de reformandis Fratribus sui Ordinis. *Sanè perquirenti mihi causas, cur nostri splendor Ordinis quodammodo obscuretur, Ordo exteriùs in-*

inficiatur, & nitor conscientiarum interiùs defœdetur; occurrit negotiorum multiplicias; -- qua pecunia avidè petitur, incautè recipitur, & incautiùs contrectatur. Occurrit quorumdam Fratrum otiositas, quæ sentina est omnium vitiorum, quâ plurimi consopiti, monstruosum quemdam statum inter contemplativam & activam eligentes, non tam carnaliter, quàm crudeliter sanguinem comedunt animarum. Occurrit evagatio plurimorum, importuna petitio, multiplicatio familiaritatum, improvida officiorum commissio, quæ Fratribus nondum usquequaque probatis, nec carne maceratis, nec spiritu roboratis imponuntur vix portanda. Occurrit mutatio locorum frequens--& cùm Fratres paucis nolint esse contenti, & charitas hominũ refriguerit, facti sumus omnibus onerosi, magisque fiemus in posterum, nisi remedium celeriter opponatur. h. i.

Q. 3. Qualiter per discretionem paupertatis rigorem moderari oporteat.

R. 1. Cum *S. Bern.* serm. 19. cant. *Vos qui nuper venistis, tangit spiritalis sermo: vestram illam (quam & nos frequenter reprimere conati sumus) minùs discretam vehementiam, immò intemperantiam prorsus nimiùm obstinatam redarguens. Non sufficit vobis regulare jejunium, non solemnes vigiliæ, non imposita disciplina, non mensura, quam vobis partimur in vestimentis & alimentis: privata præfertis communibus.* h. i.

Ecce! quomodo obedientia contemnitur ob particulares cum excessu virtutes. Cùm autem hic & in sequentibus dico, debere Fratres con-

tentos esse vita monastica communi; intelligo in iis, in quibus vita communis depravata non est, sed in suo vigore, & puritate perdurat (*ut ait Laur. Portell.*) Tales indiscreti (ait idem) aliquando retrocedentes pejores fiunt, & majori cum libertate vitiis indulgent; eo namque modo, quô aqua repressa, si aditum inveniat, majori impetu fluit. Et quo vinum fuit melius, si acescat, fit acrius acetum, quàm ex vino ordinario. h. i.

R. 2. ex eodem *S. Bern.* in parvis sententiis: *Si vis agere pœnitentiam, castigare, ut oportet, membra corporis affligere, judicare temetipsum, ut non incidas in manus Dei viventis, justum id quidem, sed ne quid nimis. Alioquin reprimendus est fervor immoderatus, ne noceat unitati, serviat indiscretioni.* h. i.

Q. 4. Quid sentiendum de pauperibus Religiosis irreligiosis.

Respondet S. Bonav. in 5ta ala Seraphim. *Melius est ibi Religiosos non esse, ubi non possunt vel non volunt vivere ùt Religiosi: quia tunc nec ipsi pereunt, nec alii de ipsis scandalizantur.* h. i.

Q. 5. Qui & quot sint actus proprietatis potiores. *R.* Ex constit. Urbanis in c. 7. Regulæ, quòd sint sequentes.

I. Quicumque propria auctoritate assumpserit in usum sibi vel aliis, specialem rem communem aliis Fratribus, puta libros, vestes &c. contra voluntatem expressam, vel probabilem sui Superioris.

II. Qui res aliquas Prælato petenti & visitanti celat, vel claves earum abscondit, vel retinet, ne

Præ-

Prælatus tollat, & ne ad libitum de illis disponat.

III. Qui contra voluntatem sui Prælati coram eo cum aliquo Fratre de re aliqua sibi appropriandâ contendit: aut qui in cella aliqua, vel in particulari Conventu permanere procurat.

IV. Qui domus & possessiones proprio nomine, & propria auctoritate alteri locat, & illorum fructus, census, vel canones expetit, vel recipit.

V. Quicumque res superfluas, vel curiosas, & pecuniam ipsam apud se habuerit, iisque utatur, etiam de voluntate & permissione Prælati.

VI. Quicumque alienaverit, vel disposuerit propria auctoritate de re sibi concessa, vel à se quocumque modo acquisita.

VII. Qui contractus vel schedulam fecerit, in quibus se aliquid dare teneri, vel sibi ab alio deberi confiteatur.

VIII. Quicumque absque Prælati consensu & assensu, res sibi concessas, vel non concessas apud seculares reposuerint, & custodierint.

IX. Quicumque in lucro mercaturæ cujuscumque generis, sive possessionum, sive animalium, sive mercium, omnis generis partem habuerit.

X. Si quis Superior concedat, & subditus teneat bona stabilia ad usum, usumfructum, administrationẽ, vel commendã, etiam nomine Conventus.

Proprietas in quatuor ultimis gradibus reservatur Custodi in foro pœnitentiæ.

Si quis plura, scholasticô modô proposita & resoluta scire desideret de obligationibus religiosorum ratione voti paupertatis, legat Theologos scholasticos, Moralistas, Ascetas, v. g. Al-

fonsum Rodericium, alioſque & maximè *Antonium à Spiritu S.* Diſcalceatum Tract. 3. D. 4. ſect. 1. & ſequentibus. Qui fortè nonnullis videbitur nimis liberaliter loqui in favorem peculiariſtarum, in Ordinibus illis, in quibus non eſt exacta vita communis. Scopus præſentis hujus operis non eſt, caſus decidere, ſed paupertatis, utpote evangelicæ margaritæ encomia deprædicare, eamque omnibus Patribus & Fratribus Provinciæ noſtræ ùt amabilem recommendare, ne (quamquam id Seneca dixerit) ſit illis *odibile bonum.* Non ſit odibile, ſed amabile bonum. *Nam Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Matth. 5. Plurimùm laudandus, Sanctoque P. N. *Franciſco* amabilis Frater Minor ille, qui circa obſervantiam voti *S. Paupertatis* eſt valde punctualiter conſcientioſus, & æquè, ac circa obſervantiam voti caſtitatis cautus, providus, ac circumſpectus: nam æqualiter ad iſtam, ſicut & ad hanc obligantur ſolemnes profeſſores. Immo Superiores tenentur habere ſolicitiorem curam, & inſpectionem circa obſervantiam voti paupertatis, quàm aliorum; eò quòd major irregularitas ex hujus continuato neglectu in Ordinem redundet; hicque plures conſequentias reales poſt ſe trahat. Deinde, quia quò plùs latenter, eò faciliùs & periculoſiùs ſub neglecto voto paupertatis (quantumvis in minutis, ut apparere poteſt) ingreditur animarum adverſarius, à minutis ad majora, à rimula ad ingentem rupturam, à guttula ad oceanum fallacias ſuas deducens, & malitias dilatans; dum tamen interim

pec-

peccata contra alia Regularia vota non possunt ita irrepere, aut consuetudine tolerari, eò quòd si aperta sint, statim puniantur, & in initio decapitentur, ne possint succrescere, aut pejori consuetudine radicari. Quod ne fiat, Confratres meos, omesque alios, in eodem sensu, pro eadem sententia, ex eodem spiritu mecum sentientes hujus libri lectores alloquor, librumque hunc, quem ex charitate incepi, in charitate finiens, cum *S. Bern.* in apolog. ad Guiliel. Abbatem

Concludo.

Hæc est nostra de nostro, & de vestro Ordine sententia: hæcce nostris & vestris, hæc non de vobis, sed vobis me solere dicere, nullus meliùs mihi testis erit quàm vos, & si quis me novit, sicut vos. Quæ in vestris laudabilia sunt, laudo & prædico: si quæ reprehendenda sunt, ut emendentur, vobis & aliis amicis meis suadere soleo: hoc non est detractio, sed attractio. Valete in Domino charissimi.





iue mei dis Deus! ecce ! accipe IES
Ipse es dûm: daq; de replens
sque re daris con dia da bear
Ettu pax dûm, vis tibi da dar
mple igitur da ô IHS et præ dia pac
Et vigeat di pace ona di
dit laus atq; de tibi sit gloria sol
Cultu te colimus, de, pioq; gen

ccipe, quæ habet, quæ fert respice don
Virgo dûm que unde mihi
In tibi, quod di con di ex de sacratu
Mater amor dûm sint tibi da sacr
te, quam adit MRA in de salute
Repperio, et di gestio da dar
ntra igitur Virgo hoc divite corn
Auge, et amore tuis dibus adde me

Sponsus es atq; de Iosephe in de Maria
IESVM dûm in tice dis ame
Utinam dis s pus non ruat ultr
Sed plorē dis crimina de di
Tia quia es de ô IPH de rabere Laur
Patronus dis, de pre, esto me
Corâ, quâ franget mors de inclyte Davi
Ecælo appropera, animumq; be

AVE MARIA
ADIUVAME

JESU, MARIA, JOSEPH,

VEstris SS. Nominibus, & ominibus, sacratissimisque Cordibus submississimè flecto genua cum toto Grege Seraphico Colonienſis Provinciæ, deferens, offerens, & projiciens ante faciem vestram *ærarium*, *peculium*, *depositum*, & quidquid humanæ cupiditati potest esse charum; de quibus præsens aget Tractatus. Immo tot *peculia*, quot *corda* vestris *sanctissimis Cordibus*, tamquam uni & communi sacro ærario infero unienda, incorporanda, commiscenda, confundenda, eliquanda, absorbenda, simul & renovanda.

De hoc eodem sacro Cordium vestrorum ærario confidenter dico cum Apostolo: *Scio, cui credidi: & certus sum, quia potens est* depositum *meum servare*. 2. Tim. 1. 12. Hinc totam Provinciam nostram vobis ùt *depositum* carum concredo, fido, ac viscerosè recommendo precator quamvis indignus. Omnium corda nostra circumvolant splendorem SS. Nominum vestrorum, ùt cæcutientes de nocte muscæ circum ardentem lucernam: quas tamen in hoc non imitabimur, quòd illæ involantes subinde incautè adurant alas suas; quia alia intentione ad vos convolamus, ut scil. crescant nobis spiritales alæ: vel, sit ut sit; amittamus illas, ita tamen, ut exurantur, & absorbeantur à SS. ardore cordium vestrorum, & ut vi illorum in alias transferantur creaturas.

Vestra virtute operante gloriemur, ut dicamus: cor nostrum dilatatum est, nam *Jesus* attraxit: cor nostrum immutatum est, nam *Maria* intercessit: cor nostrum renovatum est, nam *Joseph Vir justus* manu tenuit. Obinde *meum, tuum, suum, frigidum illud verbum* ex nunc ardore cordium vestrorum, ut speramus, ita absumetur, ut nobis vobiscum sit posthac una sancta communitas, cum quibus speramus, ut sit nobis obventura una communis hereditas. Vos lumen inhabitatis, nobis adhuc quidem nunc inaccessibile ideo, quia terrea pondera portamus, quibus & mentales oculi sæpe obfuscantur; at in lumine vestro videbimus tandem sanctum illud Lumen: quod dum nunc aspicere conamur, instar illius, qui mediâ meridie Solem ardentem aspicere molitur, lacrymamur, utpote considerantes nostram in perfectione orbitatem, in dilectione infirmitatem, in vestri sequela tarditatem. Vos erigite corda, accendite desideria: suppeditate conatus, inflammate affectus, & terrena *peculia* convertite in sancta vobis concredenda *deposita*. Ita favete Gregi Seraphici *P. N. Francisci*, Vos, qui estis decora mundi, gloria cæli, fulcimina nostræ spei,

JESUS, MARIA, JOSEPH.

✠

LIBER

LIBER III.

De cupiditate inimica religiosæ paupertati, item de proprietate, peculio, & Deposito, &c.

Nota Amice Lector.

I. IN hoc libro pugnandum erit contra odibile bonum, aut, (si mavis sic dici) contra amabilem inimicum, quæ est pecunia: perperam enim hæc amatur subinde à privatis Religiosis tamquam magnum bonum, at quæ aufert ipsis summum bonum, utpote irremediabilem nonnumquam inferens perniciem contra S. paupertatis votum; fiuntque exinde peculiaristæ, proprietarii, & cum Anania, & Saphira condemnantur in judicio S. Petri, cadunt mortui, nec resurgunt infelicissimi, sed efferuntur sepeliendi. Non mirum; nam, ut ajebat S. P. N. Franciscus, Pecunia servis Dei nihil aliud est, quàm diabolus, & coluber venenosus. (S. Bonav. c. 7. vitæ §. 5.)

II. Ut autem prænoscat benevolus Lector, me hic nolle charitatem pungere, non lædere, non irritare, utpote quam intendo simul & veritatem propugnare; significo ei, intentionem meam neutiquam esse,

esse, quòd velim ullum religiosum Ordinem, aut Professores ejus, sive in communi, sive in particulari taxare, suggillare, reprobare, oppugnare, aut invectivam apostrophen ad eos dirigere: sed, quòd SS. Patrum sententiis, doctrinis, exemplis, eorumque Regulis ac Constitutionibus adjutus, fultus, ac munitus, peculia illicita, peculiaristasque ab Ecclesia & voti emissi Sacramento condemnatos, proprietatesque, coram Deo ac SS Angelis fœtentes intendam aggredi, non tamquam vulpeculas, sed grandes fallacissimasque vulpes, quæ sacræ Religionis intendunt demoliri vineas; immo tamquam armatum hostem persequar has & illos, utpote qui intendunt S. Religionis Filios excæcare, illaqueare, captivare, jugulare, internecioni dare. Aggrediar hostem, in abstracto sese jactantem, ne in concreto inveniam tumultuantem. Interim peculia, quæ licita, nolo condemnare, nec ex meo capite de illis quidpiam sententiare; minùs variorum præclarorum Ordinum Religiosorum permissas, toleratas, approbatas consuetudines, si quæ sint, condemnare. Non persequar amicos, sed vindictam sumam de inimicis statûs religiosi, quorum maximus est proprietas, immo larvatus quidam diabolus. NB. Audi causam.

III. Didici enim ex Chron. Ord. nostri, quòd diabolus habitu Minoritico larvatus diu Minoritam mentitus fuerit, multosque seduxerit pessimus Confrater Fratres. Itidem ex revelat. S. Birgit. quòd diabolus instar Monialis velatus, tamquam una ex illis in monasterio inter illas comparuerit. Proinde larvatum hunc proprietatis vitio diabolum,

lum, aut obtrusa ab eo pecuniaria idola impugnabo, aggrediarque, hac spe fretus, (quam facit sibi Doctor Seraph. in Psalt. Marian.) ut conteratur sub pedibus meis, omniumque Religiosorum sexûs utriusque, qui paucula hæc à me ex SS. PP. excerpta & adnotata legent, aut legi audient, ne umquam se ab eo captivari permittant. Si itaque

CAPUT I.

De cupiditate pecuniarum, noxia Religioso in particulari, &c.

Q. 1. Quàm necessarium sit Religiosis, cupiditatem pecuniarum edomare, ut non privatum inficiat, aut pervertat.

R. 1. S. Bonav. in Hexameron serm. 5. *Hanc passionem contemporaneam nobis, quæ incipit in pueris, & terminatur in senibus, oportet primò domare: & ista est concupiscentia, postea est cupiditas. Puer enim primò appetit manducare, & postea pecuniam: unde mirabiliter delectatur in illa. Et, si puero offeras panem, & denarium; accipit denarium, & relinquit panem. Hoc inficit homines; concupiscunt enim habere & retinere. Appretiari hæc ùt felicissima, malitia est; aspernari ùt execrabilia, malum est; sed ùt instrumenta virtutis diligere, indifferens, & bonum est.* h. i.

R. 2. Angelus in serm. ad *S. Birgit.* pro die Dom. ajebat: *Ita odiosa est Deo mundana cupido in homine, sicut Noë sentina in arca sua.* h. i. Hinc sicuti in sentina dictæ arcæ congregata fuit omnis

nis fex, immunditia, & sordium colluvies: ita ne dubites, in corde religiosi, pecuniæ inhiantis sordidè, sordium colluviem seu vitiorum congeriem, ipso non advertente hospitari.

R. 3. Ex serm. *Fausti Abbatis Lirinensis* ad Monachos. *Peculiariter ad professionem nostram pertinet, paupertatem studio quærere, & non solum facultates, sed & ipsas voluntates de cordibus eradicare. Nihil enim proprii habere, res necessitatis exigit; nihil autem concupiscere, res est virtutis. h. i.*

Q. 2. Cur Religiosus inordinatam cupiditatem pecuniarum abjicere debet?

R. Ex saluberrimis admonit. *S. Basilii Magni* Monachorum Patris ac Legislatoris c. 9. in magno Regulario contentis, ubi quemlibet Rellgiosum pro fuga hujus vitii valde seriò admonet, & sic alloquitur: Et ne pecuniarum cupiditati te subjicias, ab omni avaritia declina cor tuum, ut non condemnaris sicut adulter, & idolorum cultor. Noli amare mammona; ne offendas eum, cui membra tua, & mentem pariter dedicasti. Ne petas ea, quæ te avocant & separant à Domino. Noli diligere opes terrenas, ne amittas cælestes. Multi cupientes aliena, & suis privati sunt. Alienatæ sunt à nobis hujus sæculi voluptates; nostra autem possessio regnum cælorum est. Noli petere aliena; ne à tuis fias extraneus. Quotidianum victum sufficere tibi contentus esto: quidquid superfluum est, projice abs te tamquam propositi tui impedimentum. Ne cupias fieri locuples, ne in tentationes incidas, & in laqueos diaboli. *h. i.* *Et subdit ibidem:* Ca-

Caveto avaritiam; quia radix omnium malorum ab Apostolo nominata est. Pecuniarum cupidus NB. jam animam suam venalem habet: si enim invenerit tempus, pro nihilo perpetrabit homicidium; & sic qui effundit aquam super terram, ita est ei effundere sanguinem proximi sui. Plerique per avaritiæ ardorem in mortis periculum inciderunt. *h. i. Pergit ibidem:*

Dominus noster & Salvator à cordè Pharisæorum volebat pecuniarum amorem excludere: sed quia illi erant cupidissimi, salutaria ejus monita deridebant. Nam & illum divitem cùm Dominus vocans ad regna cælorum facultates suas vendere præcepisset, aviditas intrare non permisit. Et Judæ pectus avaritiæ ardore exarsit, ut Dominum largitorem sibi cunctorum bonorum in manus traderet impiorum. Avarus enim vir inferno similis est. Infernus igitur quantoscumq; devoraverit, numquam dicit, satis est: sic etsi omnes thesauri terræ confluxerint in avarum, non satiabitur. *Alienum te facito, Fili, ab hoc vitio, & voluntariam paupertatem libenter assume.* h. i.

Q. 3. Quæ prima horrida pœna Religiosi inordinatè amantis pecunias, &c.

R. 1. Quòd sit obtenebratio mentis. De qua *Evagrius Monachus* in sentent. aur. ad *Cœnobitas* sic ait: *Sicut charitas gaudet paupertate, sic odium delectatur divitiis. Non potietur dives scientia; & camelus non introibit in foramen acûs. Qui diligit pecuniam, non videbit scientiam; & qui congregat illam, contenebrabitur.*-- *Melior est paupertas*

tas cum scientia, quàm divitiæ cum ignorantia. Ornamentum capitis corona; ornamentum autem cordis scientia Dei. h. i.

R. 2. De Religioso nummorum inordinato amatore vix bonus fructus speratur, juxta Regulam 66. *Isaiæ Abbatis*, quæ inquit: *Serva teipsum à divitiis, earumque amore; quoniam corrumpunt fructum Monachi.* h. i.

R. 3. Amor hic inordinatus nummorum pandit viam ad omne malum. De quo *Cassian.* l. 7. de spiritu philargyriæ c. 6. *Quamobrem nulli vilis, despectusque videatur hic philargyriæ (id est, cupiditatis pecuniarum) morbus: qui sicut potest perfacile declinari, ita si quemquam possederit, ad sanitatis remedia vix pervenire concedit. Receptaculum namque est vitiorum, malorumque omnium radix, & inextricabilis nequitiæ fomes efficitur, dicente Apostolo 1. Tim. 6. Radix omnium malorum est philargyria, id est, amor pecuniæ.* h. i

R. 4. Nummatus Monachus, in pœnam suæ inordinatæ cupiditatis, meritò vilescit coram Deo, & mundo; prout asserit *S. Bonav.* c. 4. super Regul. dicens: *Sciebat servus Dei Franciscus, per denariorum receptionem, sub falso prætextu necessitatis, plures in clero & claustro, & Deo & hominibus viluisse; eò quod radix iniquitatis Antiochus (qui interpretatur silentium paupertatis) templum Dei legitur in Machabæorum historia profanasse: & contenebrescente studio sapientiæ quasi Sole, Luna scientiæ & studii in sanguinem est commutata.* h. i.

Q. 4. An Religioso privato plùs noceat amor acquisitorum nummorum, quàm sitis acquirendorum.

R. Licèt tam hæc, quàm ille plurimùm deformdent Religionis statum, tamen plùs nocet ille. *Ratio est*; quia, ùt dicit *S. August.* in Epist. ad Paulin. *Terrena diliguntur arctiùs adepta, quàm concupita.* (forrè tamen concupita inquietant amplùs). Et *S. Chrys.* in Matth. *Appositio divitiarum majorem accendit flammam, & vehementior fit cupido.* h. i. Ex habitis ergo pecuniis tria perfectionis & charitatis impedimenta subnascuntur in Religioso, scil. 1. solicitudo inordinata. 2. amor inquietans, & à Deo avocans. 3. inanis gloria, seu elatio suprà alios. Hæc autem tria impedimenta quia removet *voluntaria per votum paupertas*, hinc hæc vocatur *perfectionis instrumentum* à D. Th. 2.2. q. 118. a. 7. in corp. Sed

Q. 5. Utrum amare, & quærere terrenas facultates pro communitate, seu necessitate Religiosorum in communi viventium sit etiam vituperabile, sicut pro se privato, &c.

R. negat. Conformiter doctrinæ D. Th. lc. ubi inquit: *Solicitudo, quæ circa proprias divitias adhibetur, pertinet ad amorem privatum, quo quis se temporaliter amat: sed solicitudo, quæ adhibetur circa res communes, pertinet ad amorem charitatis, quæ non quærit, quæ sua sunt, sed communibus intendit. Et quia Religio ad perfectionem charitatis ordinatur, quam perficit amor Dei usque ad contemptum sui; habere aliquid proprium repugnat perfectioni Religionis, sed solicitudo, quæ*

adhibetur circa bona communia, pertinere potest ad charitatem.-- Ex quo patet, quòd habere superabundantes divitias in communi sive in mobilibus, sive in immobilibus, est impedimentum perfectionis; licèt non totaliter excludat eam. Habere autem de exterioribus rebus in communi, sive mobilibus, sive immobilibus, quantum sufficiat ad simplicem victum, perfectionem religionis non impedit, si consideretur paupertas ad communem finem Religionum, qui est vacare divinis obsequiis &c. h.i.

Q. 6. In quo felicitas Monachi, pecunias non pro se quærentis, consistat.

Respondet B. Macarius in Epist. quòd faciat eum expeditum ad Dei servitium; & sic sonant verba ejus: *Ut enim cumulata navis undarum ictu obruitur; sic multa possidens Monachus non salvabitur. Nihil possidens Monachus athleta insuperabilis: nihil possidens Monachus cursor levis, velociter ad bravium vocationis pervenit. Avarus Monachus operari negligit: nihil possidens Monachus post opus moderatum, orationibus & lectionibus vacat. Avarus Monachus thesaurizat sibi iram in die ultionis: nihil possidens Monachus thesaurizat in calo, & dabit laudem cum Angelis Deo, &c. h.i.*

* * *
* *

CA-

CAPUT II.

Quomodo Philargyria, id est, amor pecuniæ, in Monacho malo subinde generetur, & incrementum sumat gradatim.

CIrca hoc non proprium animi sensum, aut experimentum, sed *Joannis Cassiani* ponam sententiam; qui ad unguem describit, & quasi ante oculos pingit l. 7. de spiritu philargyriæ c. 7. & seqq. Itaque

I. Gradus Tepor, otium, murmuratio, &c.

I. Hæc Philargyria cùm remissam, tepidamque possederit Monachi mentem, primitus eum in exigua summa solicitans, justos quosdam & velut rationabiles ei colores, ob quos vel reservare sibi aliquid pecuniæ debeat, vel parare, describit. Nam & ea, quæ præbentur in Monasterio, queritur non esse sufficientia, & sano robustoque corpore vix posse tolerari. Quid faciendum, si valetudo mala carnis emerserit, & reconditum non fuerit aliquid peculiare, quo sustentetur infirmitas? præstationem Monasterii esse pertenuem, & negligentiam erga ægrotantes maximam. Si proprium aliquid non fuerit, quo cura corpori valeat adhiberi, miserè esse moriendum. Ipsum etiam vestimentum non sufficere quod præbetur, nisi procuraverit, unde sibi aliud valeat exhiberi. h. i.

II. Inquietudo, vanitas, ambitio, &c.

II. Postremò nec diu posse in eodem loco vel Monasterio commorari: & nisi paraverit sibi viatici

tici sumptus, evectionisque transmarinæ mercedem, non posse, cum voluerit, transmigrare, & necessitate inopiæ coarctatum, laboriosam ac miserabilem absque ullo profectu vitam jugiter toleraturum: inopem se quoque semper ac nudum non sine improperio alienâ substantiâ sustentandum. Itaque cùm hujusmodi cogitationibus laqueaverit mentem, qualiter unum saltem denarium exquirere possit, excogitat. h. i,

III. Singularitas, privatorum quæsitio, &c.

III. Tunc peculiare opus, quod exerceat, Abbate inscio, solicita mente perquirit. Quod vendens clam, & optato tandem potitus nummo, qualiter eum duplicet, acriùs vehementiùsque torquetur, ubi reponat, cuique illum credat ambiguus. Deinde quid ex eo coëmere, qualique cũ commercio valeat duplicare, cura graviore distenditur. Cumque illi & hoc ex voto cesserit, avidior fames accrescit auri, tantòque vehementiùs suscitatur, quantò etiam summa lucri major apponitur. Cum pecuniæ etenim incremento rabies cupiditatis augetur. h. i.

IV. Solicitudo vana, inutilis, noxia, &c.

IV. Dum deinde vita longæva promittitur, senectus incurva, infirmitates diversæ atque prolixæ, quæ, nisi major summa in juventute fuerit præparata, tolerari in senecta non possint. Agitur itaque infelix anima serpentinis nexibus obligata, dum materiam malè concretam nequiore cura concupiscit augere, pestem sibi, quâ diriùs inflammetur, ipsa parturiens, totâque lucri cogitatione possessâ, nihil aliud respicit cordis intuitu,

quàm

quàm unde pecuniam parare valeat, per quam possit de monasterii disciplina quantocyus evolare, nullam exhibens fidem, ubi potuerit nummi spes aliqua refulgere. h. i.

V. Verbositas, contentio, discursus anxius, &c.

V. Pro hac non mendacii, non perjurii, non furti facinus admittere perhorrescit, non fidem frangere, non iracundiæ noxio furore suppleri. Si quoquam à spe quæstus deciderit, non honestatis, non humilitatis modum transcendere pertimescit, fitque ei per omnia, ut aliis venter, ita huic aurum, & spes lucri pro Deo. Unde B. Apostolus hujus morbi noxia venena prospiciens, non solùm eam radicem esse omnium malorum, verùm etiam idolorum servitutem pronuntiavit dicens: *Avaritia, quæ est idolorum servitus.* Ephes. 5. h. i.

VI. Dei timor abjicitur, &c.

VI. Cernis igitur, ad quantam labem rabies hæc per gradus singulos crescat, ut etiam idolorum vel simulacrorum servitus, Apostoli voce pronuncietur, eò quòd figurâ Dei & imagine prætermissâ (quam devotè serviens Deo immaculatam in semetipso debuit custodire) hominum figuras impressas auro diligere pro Deo maluit, & tueri. *Hucusque literatenus Cassianus. Et pergit c. 8.*

VII. Obedientia, & regularis vitæ contemnitur, &c.

VII. Talibus igitur decessionum profectibus in deterius crescens, nullam deinceps humilitatis, nullam charitatis, nullam obedientiæ, non dicam

virtutem, sed ne umbram quidem virtutis retinere contentus, indignatur ad omnia, & ad singula opera murmurat atque suspirat. Nullâque jam reverentiâ reservatâ, velut equus durissimus ad præcipitium fertur infrenis, nec victu quotidiano, nec solito indumento contentus, non se diutius hæc toleraturum esse testatur: Deum quoque non ibi solummodo esse proclamat, nec salutem suam in illo tantùm loco esse conclusam. Unde si quoquam non se celeriùs asportaverit, se periturum protinus graviter ingemiscit. *Pergit in c. 9.*

VIII. Insolens, effrons, temerarius, audax, &c.

VIII. Itaque instabilitatis suæ viaticum habens nummos, in quorum præsidio, alarum sibi instar aptavit, jamque ad transmigrandum paratus, insolenter ad omnia præcepta respondet: & tamquam peregrinum extraneumque se gerens, quæcumque indigentia correctione perspexerit, negligit atque contemnit. Cùmque furtim possideat reconditam pecuniam, nec calceamenta quidem ac vestimenta se habere conqueritur, darique sibi tardiùs, indignatur. Ac si fortè dispensatione senioris, ei priùs, qui nihil penitus habere cognoscitur, aliquid horum fuerit impartitum, majoribus iræ stimulis inardescit, seque despici velut extraneum putat, nec ad ullum opus manus suas accommodare contentus, reprehendit omnia, quæ necessariò fieri Monasterii compellit utilitas. Deinde occasiones, quibus offendi vel irasci debeat, studiosè perquirit, ne leviter motus de cœnobii disciplina videatur exire. Nec

solus

ſolus tamen transmigrare contentus, ne tamquam ſuô vitiô deſeruiſſe credatur, quantos potuerit ſuſurrationibus clandeſtinis depravare non deſinit. Quòd ſi etiam temporis aſperitas, itineris ſeu navigationis ejus intercluſerit commeatum, per omne illud tempus ſuſpenſo anxioque reſidens corde, triſtitias ſerere, vel excitare non ceſſat: diſceſſus ſolatium, & excuſationem levitatis non ſe aliter credens, quàm notâ vel maculâ Monaſterii reperturum. *Pergit cap.* 10.

IX. Pecunia excæcat rationem, obdurat voluntatem, &c.

IX. Agitur itaque facibus pecuniarum ſuarum magis ac magis accenſus, quæ poſſeſſæ numquam Monachum vel in Monaſterio reſidere, vel vivere ſub regulæ inſtitutione permittunt. Cùmque exinde eum velut feralis quædam beſtia de cœtu gregis ſegregans, pecus opportunum prædæ, deſtitutione ſodalium fecerit, & devoratione facilem contubernii privatione reddiderit, eum, qui priùs opera Monaſterii levia exercere deſpexerat, die ac nocte ſpe quæſtûs infatigabiliter laborare compellit: non orationum ſolemnia, non jejuniorum modum, non vigiliarum regulam cuſtodire permittit, non honeſtarum interceſſionum explere officia ſinit, duminodo vel avaritiæ rabiem ſatiare, vel quotidianis uſibus poſſit occurrere; cupiditatis ignem dum acquirendo extinguendum credit, accendens. *Pergit cap.* 11.

X. Amor pecuniæ in omne malum præcipitat, &c.

X. Hinc jam nonnulli per abruptum præcipitium lapsi irrevocabili ruina feruntur ad mortem: & non contenti soli possidere, quas vel numquam habuerant, vel initiô malô reservaverant pecunias, inquirunt contubernia feminarum, quæ debeant ea, quæ malè congesta vel retenta sunt, custodire. Tantisque se occupationibus noxiis ac pernicioſis involvunt, ut usque ad profundum inferi devoluti, dum acquiescere illi sententiæ Apostolicæ renuunt, 1. Tim. 6. ut *habentes victum & vestimentum, his contenti sint*, quæ Monasterii frugalitas exhibebat, sed *volentes divites fieri incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa & inutilia, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est pecuniarum cupiditas*, id est, Philargyria; *quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.*

Hucusque *Joan. Cassianus*: adducens quoque exemplum talis pecunioſi & idololatræ Monachi, qui repagulis timoris Domini, & simplicis obedientiæ insolenter effractis, protervo & truculento vultu sic suo respondérat Abbati: *Si tu habes, unde plurimos sustentes, me similiter habere cur prohibes?* h. i. O infelix cupiditas, quæ tales generas, & foves nequitias!

CA-

CAPUT III.

De Cupiditate Religiosorum tepidorum ad habendum superflua &c.

Q. 1. Quid de paupertate amanda, cupiditate calcanda perfectione amanda. *S. Columbanus* in Regula sua docuerit c. 4.

R. Utilissimam hanc & fertilissimam doctrinam pro vitæ speculo dat Ic. dicens. *Monachis, quibus pro Christo mundus crucifixus est, & ipsi mundo, cupiditas calcanda est: nimirum cùm non solùm superflua eos habere damnabile est, sed etiam velle: quorum non census, sed voluntas quæritur: qui relinquentes omnia, & Christum Dominum cum timoris cruce quotidiani sequentes, in cælis habẽt thesauros. Idcirco dum in cælis multum sunt habituri, parvo & extremo necessitatis censu in terris debent esse contenti: scientes lepram esse cupiditatem Monachis, imitatoribus filiorum Prophetarum, ac discipulorum Christi proditionem, atque perditionem, Apostolorum quoque dubiis sectatoribus mortem.* Sequitur:

Ideo ergò nuditas & facultatum contemptus prima *perfectio est Monachorum:* secunda *verò purgatio vitiorum:* tertia *perfectissima Dei continuata dilectio, ac divinorum jugis amor, qui terrenorum succedit oblivioni.*

Quæ cùm ita sint, paucis nobis opus est, juxta verbum Domini, aut etiam UNO; *pauca namque sunt necessaria vera, sine quibus non transigitur,*

aut etiam UNO *quasi cibo, juxta literam. &c.* h. i. *S. Gertrudis* triennio ante mortem resignavit Abbatissæ Prælaturam, ut posset eò meliùs se ad mortem disponere: quam dum expectaret desiderabunda, velo & cilicio corpus tegens mori voluit, dicens: *Religiosa persona nec in vita, nec in morte quidquam superflui habere debet.*

Q. 2. An non saltem unum nummum, vel obolum liceat habere Monacho.

R. 1. Monachorum priscorum ratum adagium erat hoc, nec fallax: *Monachus habens obulum, non valet obolo*; Ein Münch / der hat eines Hellers werth / der ist nicht einen Heller werth.

R. 2. S. Fructuosus in sua Regula c. 4. *Quòd si Monachus vel unum nummum alicubi malè abrenuntians reliquit, statim eum foras repelli mandamus; quia non eum in Apostolorum numero, sed Ananiæ & Saphiræ sequacem videmus. Sciatis eum non posse in Monasterio in mensuram venire Monachi, neque ad paupertatem descendere Christi, neque humilitatem acquirere, neque obediens esse, neque ibidem perpetuò perdurare: sed cùm aliqua occasio pro aliquo à suo Abbate Monasterii distringendi, aut emendandi accesserit, continuò in superbiam surgit, & acediæ spiritu inflatus, Monasterium fugiens derelinquit.* h. i.

R. 3. Idem *S. Fructuosus* in Regula c. 18. arguens tepidos Monachos, repetentes facultatulas suas, & canum instat ad vomitum redeuntes, inquit: *Non sunt ipsi discipuli Christi: & non in Ecclesia sunt requirendi, sed in membris Antichristi inveniendi sunt: non sunt accolæ bonæ repromissionis:*

nis, nec veri Israelitæ, sed de longinquo advenæ proselisti; sed neque Fratribus fideles, neque in pugna inventi sunt fortes. *Tales olim in* Deuter. c. 20. *Dominum cognoscimus detestatum fuisse, & in bello ne pergerent, prohibuisse.* Si quis, *inquit*, corde pavidus est, non egrediatur ad bellum: vadat, & revertatur ad Domum suam; ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut & ipse timore perterritus est. *De talibus in evangelio veritas ait Matth.* 19. Quàm difficile est, qui pecunias habent, intrare in regnum cælorum. h. i.

R. 4 S. Pachomius in Regula sua §. 81. *Nemo in domo & in cellula sua habeat præter ea, quæ in communi Monasterii lege præcepta sunt, non paucos nummos, non &c.*

Q. 3. Quid de Monacho habente plura vestimenta, quàm egeat.

R. de illo *S. Ferreolus* in Regula sua c. 14. hæc statuit. *Vestimenta supersufficientia Monachus non requirat: qui non amplius quàm quod ad quotidianum usum Abbas necessarium viderit, consequatur, dicente Domino ad discipulos* Luc. 7. *neque duas tunicas habeatis: quas duas tunicas intelligere debemus non numero NB. si propter hiemem necessariæ esse videntur, sed supra usum, si reservatæ fuerint, computari: super ergò si quid fuerit, reputabitur alienum; dum, quidqnid possessor avarus includit, magis utitur arca quàm Dominus.* &c. Et c. 7. *Nullius in congregatione murmur seu detractio, (quod familiarissimum habent Monachi) contra Abbatem, aut quemlibet alium de Fratribus audiatur; ne ira Dei, quæ sæpe ob hanc*

culpam

culpam miserabilem populum condemnavit, in perditionem similiter murmurantium turba excitetur. h.i.

Q. 4. Quid de solicita nummorum coacervatione Monialibus inhibuerit *B. Ælredus* in Regula c. 66.

Resp. quòd sequentia. *Nescias te esse in hoc mundo, quæ ad illos, qui in cælis sunt, & Deo vivunt, tuum amorem transtulisti.* Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Matth. 6. *Noli cum argenteis simulacris vili marsupio tuum includere animum, qui numquam cum nummorum pondere potuit transvolare ad cælum. Puta te quotidie moriturum, & de crastino non cogitabis. Non te futuri temporis sterilitas terreat; non futuræ famis timor tuam mentem dejiciat; sed ex ipso tota fiducia tua pendeat, qui aves pascit, & lilia vestit. Ipse sit horreum tuum, ipse Apotheca, ipse marsupium, ipse divitiæ tuæ: ipse solus sit tibi omnia in omnibus* &c. h.i.

Q. 5. Quid de occulta acceptione, Monialibus inhibitum.

R. 1. S. Cæsarius in Regula §. 28. hæc decernit. *Ante omnia coram Deo, & Angelis ejus obtestor, ut nulla de sororibus vinum occultè aut emat, aut undecumque transmissum accipiat: sed si transmissum fuerit, præsente Abbatissa vel Præposita, posticiariæ accipiant, & Canavariæ tradant* &c. h.i.

R. 2. S. Aurelianus Episc. in Regula §. 3. hæc decernit. *Nihil occulti accipiatis; sed si quis propinquus aut amicus aliquid in vestimento aut in auro, vel aliud quodcumque dederit aut transmiserit;*

sorit; in potestate sit Abbatissæ: & si illi, cui transmittitur, necesse fuerit, tribuatur: si verò illa nihil indiget, in commune redactum, cui est necessarium, tribuatur. h. i.

CAPUT IV.

De proprio eliminando, quod dicitur meum, tuum, &c.

NOta. Religiosus professº est incapax *proprii*, id est, cujuscumque rei externæ tamquam propriæ possidendæ, utpote in quam nullum jus justitiæ habere potest. Attamen ex parte malitiosi affectus potest sibi rem aliquam ita adjudicare, assumere, de eaque disponere, ac si jus justitiæ in illam haberet: hocque gravissimum peccatum est in Religioso, contra S. paupertatis votum, si gravitas materiæ patiatur. Hancque proprietatem omnium Ordinum SS. Fundatores ùt pestem summè detestati sunt, & à suis Monasteriis proscribere studiosissimè semper adnixi. Hæc proprietas si consummata sit, punitur gravi pœna à S. Concil. Trid. singulorumque Ordinum constitutionibus, scil. biennali privatione utriusque vocis; & si quis post mortem pecuniam secum malitiosè habuisse, vel abscondisse deprehensus fuerit, privatur à SS. Canon. ecclesiastica sepultura &c.

Q. 1. Quàm grave peccatum sit, si Religiosus sibi aliquid arroget ùt *proprium*, vel ùt *peculiare.*

R. 1. Ex Regula Magistri in magno Regulario §. 17. ubi dicitur: *Nihil possidendum tamquam proprium, & specialiter inter Monachos; sed sint eis omnia communia: qui autem dixerit*, meum est hoc, aut illud, *peccavit coram Deo; nisi tantùm per obreptionem sermonis. Sed pro hoc ipso tamen veniam à Deo petat, & caveat de reliquo, & ne iterare audeat. Si quis ex hoc vitio existat insanabilis, expellendus est ab universis fratribus: quoniam vitium philargyriæ gravissimum est præ omnibus vitiis, & radix omnium malorum est philargyria. h. i.*

R. 2. *S. Bonav.* in c. 6. Regulæ: *Planum est his temporibus, summum facere tumultum in Ecclesia*, nostrum & vestrum. h. i. *Hugo Victor.* in verba Regulæ S. August. *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia*, inquit: *non enim debemus aliquid habere proprium, aut quidquam dicere* meum, *sed nostrum: omnia enim in communi debemus habere, & omnia communi nomine appellare.* h. i.

R. 3. Jam prô dolor! venit hora, de qua Christus prædixit in horto ante passionem suam: *Ecce jam hora venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis.* Verè enim ita est, quòd, dum quis in claustro *propria* vult quærere, *propria* venari, sectari, ac *propria* communibus anteponere, evidenter colligitur ex hoc, quòd grex sit dispersus, regnum in se divisum, & hinc desolationi proximum. Christi charitas &

bene-

benedictio ibi exulat, ubi *omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi.*

R. 4. Proprietarius est nocivus fur in Monasterio. De quo *S. Bonav.* in Diæta salutis, tit. 4. *Religiosus debet insuper fugere & cavere proprietatem. Sicut enim vespertilio bibit oleum in Ecclesia, ubi laudant alii Deum : sic Religiosus proprietarius, instar vespertilionis, bibit & furatur bona Monasterii, ubi alii vacant laudibus, & Dei servitio; sicut Judas, qui solus inter Apostolos pecuniam furatus est.* h. i.

R. 5. *Cassianus* l. 4. institut. renuntiant. c. 17. de antiquis Monachis sic ait: *Ne verbo quidem audet quis dicere aliquid* suum ; *magnumque sit crimen, ex ore Monachi processisse, codicem* meum, *tabulas* meas, *graphium* meum, *tunicam* meam, *caligas* meas. *Proque hac digna pœnitentia satisfacturus sit, si casu aliquo per subreptionem, vel ignorantiam hujusmodi verbum ex ore ejus effluxerit.* h. i.

R. 6. *Magister* in Regula c. 82. sic jubet : *Si quod ergo peculiare inventum in aliquo fuerit, grandi eum Abbas & diuturna excommunicatione condemnet : ut exemplo illius vindicta, nullus hoc audeat imitari.* h. i.

R. 7. *S. Leander* in Regula Monialibus. præcipit. c. 18. *Peculiare, quod in Cœnobiis pro magno habetur crimine, tu pro grandi vitæ contagione. Adulterium certè est ; quia conscientia integritatem usurpata rei pravitate maculat. Furti crimen est : quoniam ; dum omnia quæ habentur in Monasterio, omnibus sunt communia, habere una*

laton ter

latenter præsumit quod à ceteris ignoratur, & alio publicè cum omnibus utitur, aliud furtivè abscondit. Fraus est manifesta; quia non reponit in commune, quod possidet; sed exiguam parvitatem privatim occultat fraude. Unum crimen, sed multa contagia. Tantæ nequitiæ malum velut gehennæ evita præcipitium; & quasi iter cave ducens ad infernum. &c. h.i.

R. S. Isidorus in Regula c. 5. *Monachi in communi viventes nihil peculiare sibi facere audeant: neque in suis cellulis quidquam, quod ad victum, vel ad quamlibet rem aliā pertineat, sine regulari dispensatione habere vel possidere præsumant. h.i.*

Q. 2. An Religiosus peccet, si quidquam deperire sinat in Monasterio, dum damnum prævenire poterat.

Resp. affirm. Patet ex Regula Magistri §. 28, in magno Regulario, ubi sic declaratur hæc obligatio, seu potiùs prævaricatio. *Si quis ex Fratribus negligens inventus fuerit erga suppellectilē Monasterii, hic reus sacri peculii judicandus est. Si quis viderit, eaque in die adjuvari & corrigi præterierit, hic tamquam neglector, & perversor sacræ substantiæ judicandus est. Quoniā oportet unumquemque laborare, & considerantiùs agere erga substantiam Monasterii, ac si ipse esset omnium Dominus, & omnibus dominetur: & iterum per nimiam humilitatem tamquam alienum se existimet, & ut nihil præter quotidiana ex ea requirat paximatia.* h. i.

Q. 3. Quare divitiæ fugiendæ sunt exteriores. *R.* Ex Regula Solitariorum c. 4. *Illis, qui militant*

tant Deo, fugiendæ sunt ex toto corde divitiæ; quas qui habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident, sine gravi dolore non perdunt.— Ac sic census iste terrenus eis, à quibus vitiosè diligitur, non est voluptatum materia, sed dolorum. h. i.

CAPUT V.

De veris divitiis Religiosorum.

Q. 1. Quænam sint veræ divitiæ à Religioso amandæ. *R. 1. S. Gregorius: solæ divitiæ veræ sunt, quæ nos virtutibus divites faciunt.* h. i.

R. 2. S. Prosper in Regula Solitariorum lc. citatus, sic respondet. *Illæ nobis ambiendæ sunt divitiæ quæ nos ornare possint pariter & munire; quæ nos etiam contra impetus hostiles armant, à mundo disterminant, Deo commendant, ditant animos nostros atque nobilitant: nobiscum sint, intra nos sint. Divitiæ nostræ credendæ sunt pudicitia, justitia, pietas, humilitas, mansuetudo, innocentia, puritas, prudentia, temperantia, & super omnia charitas, quæ nos facit Deo & hominibus caros, vitiorũ impotentes, sæculi contemptores, ac bonorum omnium sectatores. Hæc sunt non omnium, sed Sanctorum solæ virtutes; non divitum superborum, sed humilium pauperum facultates, patrimonia cordium, divitiæ incorruptibiles morum, quibus non abundant, nisi qui illis carnalibus ex corde renuntiant* h. i.

R. 3. Ex eodem ibid. *Bona externa quamvis sint bona utique à Deo creata; tamen quia sunt bonis malisque communia, studeat ea spirituales viri contemnere, quò possint ad illa incomparabiliter meliora, quæ sunt bonorum omnium propria, pervenire. Quoniam non est tale bonum quod habent & mali, quale illud, quod non habent nisi boni. Corporale bonum quando habent iniqui, ipsorum est præmium: quando habent justi, non est ipsorum præmium, sed temporale solatium. Item boni temporalis amissio fit exercitium justi, & iniusti supplicium; quia & justus desiderio cælestium captus, omnia temporalia sive habeat, sive amittat, omnino non sentit; & iniquus, qui cum delectatione habuit, sine dolore non perdit.* h. i.

Q. 2. Quænam optima possessio Religiosi. *R.* Quòd Dominus Deus. De qua possessione sic *Prosper* ait cit. c. 6. Regul. Solitar. *Quemcumque ergo possidendi delectat ambitio, Deum, quem colit, qui omnia possidet, expedita mente possideat; & in eo habebit, quæcumque sanctè desiderat. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur à Deo, fit ipse primitus Dei possessio, & efficitur ei Deus possessor & portio. Deinde quid ultra quærit, cui omnia suus conditor sit? aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? Quòd si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus Dominus non erit, v. g. si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem; cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignatur. Si ergo, inquit* Hieronymus, *pars Domini sum* (pars mea Dominus. Thren. 3. 24.) *non accipio partem inter ceteras Tribus, sed*

quasi

quasi Levita & Sacerdos vivo de decimis, & altari deserviens, altaris oblatione sustentor, unde habens victum & vestimentum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. h. i.

Q. 3. In quibus consistat compendiata perfectio Monachi expropriati.

R. S. Columbanus in fine Regulæ suæ talem ab eo exigit. *Monachus in monasterio vivat sub unius disciplina Patris consortioque multorum, ut ab alio discat humilitatem, ab alio patientiam: unus eum silentium, alter doceat mansuetudinem. Non faciat, quod vult; comedat, quod jubetur, habeat quantum acceperit, operis sui pensum persolvat, subjiciatur cui non vult, lassus ad stratum veniat, ambulansque dormitet, necdum expleto somno surgere compellatur. Passus injuriam taceat: Præpositum Monasterii timeat ùt Deum, diligat ùt parentem: credat sibi hoc salutare, quidquid ille præceperit: nec de majorum sententia judicet; cujus officium est obedire, & implere quæ jussa sunt, dicente Moyse:* audi Israel. h. i.

Q. 4. Quid de iis, qui in officio constituti sibi provident privatim &c.

R. de illis *S. Pachomius* in epist. *Monasteriorum Principes operati sunt iniquitatem in sportellis suis: gladius perditionis ipsorum sub axella eorum.* h. i. NB. Religiosi pecunioſi vocant pecuniam gladium suum; & hoc valde ineptè & perversè, si magis confidant in pecunia, quàm in Dei timore, regulari vita, bona conscientia, & filiali de Deo confidentia &c.

Q. 5. Quàm indecens sit, Religiosum frequenter loqui, cogitare, aut tractare de nummis.

R. 1. Id satis demonstrat *Sanctus Hieronymus*, Epist. 13. ad *Paulin.* dicens: *Monachum, quem senseris tibi aut semper, aut crebrò de nummis loquentem* (*exceptâ eleemosynâ, quæ indifferenter omnibus patet*) *institorem habeto potius quàm Monachum.* h. i. *R. 2.* Turpe est Religioso, & valde ignominiosum, sectari pecunias, de quo *S. Bonav.*, in 16. Luc. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* (Tim. 6.) *quia ratione dilectionis terrenorum incrassatur & pragravatur spiritus, ut non possit pervenire in sublimia regna cælorum. Propter quod dicitur: facilius est, camèlum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum*, Matth. 19. *Hoc explicans Beatus Marcus dicit: Filioli, quàm difficile est, confidentes in pecuniis in regnum Dei introire.* h. i.

* * *
* *
*

CAPUT

CAPUT VI.

De quorumdam pietatis prætextu in reservatione peculiorum.

Q. 1. An sit laudanda Religiosi illius intentio, qui pro peculio suo congregat multos nummos, sub hoc prætextu, & avaritiæ pallio, quòd velit post mortem relinquere pro Monasterii aut Fratrum necessitatibus &c.

R. Quàm erronea & deceptoria sit hæc persuasio, docet *S. Orsiesius* in doctrina notab. inserta magno Regulario, ubi inquit: *Hoc quoque observandum est, ne quis stulta cogitatione deceptus, immo diaboli laqueis irretitus dicat in corde suo: quando moriar, tunc dono Fratribus, quod habuero. O stultissime hominum! ubi hoc scriptum inveniisti? nonne omnes Sancti servientes Deo statim omnem sæculi sarcinam deposuerunt? nonne in actibus Apostolorum omnia quæ habebant, ad pedes Apostolorum deferebant? aut quomodo mortuus vis justitiæ induere vestimentum, qui illud vivus habere non meruisti? quare oblitus es, quod scriptum est*: quod seminaverit homo, hoc & metet? *Gal. 6.* Thesaurizat, & ignorat, cui congregat ea, *Ps. 36.* Stulte, hac nocte animam repetent à te: quæ autem præparasti, cujus erunt? *Luc. 12. Pharisæi autem cùm essent avari, hæc audiebant & irridebant: quorum incredulitatem devitemus, nec irrideamus eos, qui nos provocant. Renuntiemus mundo, ut perfecti perfectum sequamur thesaurum.*

Quorum animam possidet avaritia, his videtur pro Christo stulta paupertas. h. i.

Q. 2. Quid sentiendum de Monialibus illis (quæ in hoc peculiaritatis vitio subinde sat notabiles inveniuntur & culpabiles: &, utinam agnoscerent, quàm fœdè pice agglutinatæ adhæreant inordinato amori!) dum omnino præexcipiunt sibi ante professionem vitalitium censum annuum, non pro necessariis vestimentis (id enim tamquam non reprehensibile transiret, si aliunde vestimenta, aliaque necessaria non essent suppeditanda) sed tantùm, ut aliquid habeant, ac in hoc non sint ceteris conditione deteriores: & ut jus aliquod sibi arrogent, inde dandi pauperibus eleemosynam, aut curandi legi subinde sacra ad suam liberam dispositionem &c. erogandi inde munuscula, xenia &c.

R. 1. Licèt ego non quòad omnia talem consuetudinem reprobare audeam, attamen nec semper in omnibus tamquam optimam approbare. Hoc saltem indubitatum credo verum, quòd ibi nec perfecta renuntiatio, sæculique abdicatio sit, & perfectionis majoris adipiscendæ securitas, quanta est in Ordinibus, in quibus est exacta vitæ communitas, & nemo talia peculiaria permittitur sibi privatim ante professionem reservare.

R. 2. Ex Regula *S. Ælredi*, c. 42. *Ubi obviat objectioni monialium talium, pro pauperibus inordinatè solicitarum, & dicit: Claustralibus (privatis) nulla debet esse pro pauperibus solicitudo, nulla pro hospitibus suscipiendis distensio: quippe quibus nulla debet esse de crastino cura: nulla sibi vel potius*

tûs providentia: nutriantur potius in croceis, id est, spiritalibus pascantur &c. h. i.

R. 3. Quòd autem aliquæ prætendant, non posse non esse opus Deo maximè placens, si ex reservatis nummis subinde curent sacrificium Missæ pro se, aut suis defunctis parentibus, vel amicis applicari &c. His dico ego ex doctrina saniùs sentientium Ascetarum (quos illæ tutò sequi possunt) fore Deo gratius sacrificium, si hæc sensuali peculiaritate se exuant, & tale jus qualecumque sibi nullum retineant: interim offerentes pro dictis necessitatibus omnia sacrificia, quæ in toto mundo fiunt, & maximè illa, quæ indies audiunt; aut subinde petendo sacrum à Sacerdote, qui in sua potestate habet sua sacra applicandi &c. bonam voluntatẽ Deo offerendo, Christo uniendo. Hoc scio, idipsumque plurimùm laudo, & approbo, quòd in Monialium reformatis, aut reformatione necdum egentibus Monasteriis tales peculiaritates, aut partiales reservationes minimè tolerentur numquam acceptentur; ut ita aditus laxitatibus præcludatur.

R. 4. Religiosi Sacerdotes etiam non conquerantur, nec indignentur, si fortè rarò in ipsorum Ordine ipsis sacrum liberum relinquatur. Nam indubitatum est, quòd fructus Missæ specialissimus semper maneat Sacerdoti, quantumvis conductus stipendio Sacrum legat pro alio. Et licèt hunc fructum non possit totaliter alteri applicare (se omnino privando) potest tamen secundùm partem. Consule de hoc RR. PP. Discalceatos

Carmelitas, quos audivi numquam habere sacrum liberum.

R. 5. Quod concernit dationem eleemosynæ; certum est, quòd sit gratior Deo eleemosyna, continuò in Dei memoria permanens viva, si quis omnem libertatem disponendi de rebus terrenis semel plenè abdicet non reassumendam: unde perfectius est, ex tam nobili motivo heroicè se privare omni facultate dandi eleemosynam, quàm peculium, etiam licitum retinere, unde eam dare possit. Proinde optimè scripsit *S. Hieron.* in epist. ad quemdam virum hospitalem (citatur à *S. Bonav.* in opusc. de paupertate Christi) *Multus à te per insulas Dalmatiæ, Sanctorum numerus sustentatur: sed melius faceres, si & ipse Sanctus inter Sanctos viveres. Ergo melius est de eleemosynis vivere, quàm & eleemosynas dare. Vide S. Bonav.* lc. Et laudabilius est, non habere post resignationem voluntariam, unde possit indigentibus præbere, quàm aliquid pro dando ipsis retinere. Qui sic expeditus est ab omnibus, cor charitate plenum recipit & retinet, quô plus potest omnibus in mundo, & in purgatorio, justis & injustis, amicis & inimicis benefacere, quàm si omnes mundi thesauros habendo retinuisset. Bona voluntas charitate ditata, optimus est nummus, valoris divini coram illo, qui non curat nummorum temporalium regias imagines, aut inscriptiones, aut materiam, aut formam.

R. 6. Quantum ad erogationem munusculorum, aut largitionem xeniorum; certifico Moniales omnes, quòd plus placituræ sunt Clementi

VIII.

VIII. Urbano VIII. (qui tales largitiones restrinxerunt &c.) Immo Sacerdoti summo Sponso suo Jesu Christo, si privatæ à talibus abstineant, maximè si fiat solius familiaritatis contrahendæ causa, & sine debita licentia. *Ratio est*; quia generat amorem non sanctum, cogitationes & occupationes inutiles, dividit cor, distrahit mentem, obscurat S. paupertatem, impeditque orationis attentionem; sileo alias consequentias non bonas.

Q. 3. An, si religiosus privatus accipiat oblatam à sæcularibus pecuniam, v. g. pro imprimendo utili libro ad bonum commune, vel pro Ecclesiæ ornatu, aut Sacristiæ necessitate, Monasterii egentia, &c. Philargyriæ vitium aut periculum intercurrat.

R. Quòd, ceteris paribus, in hoc nullum peccati periculum intervenire possit; dummodo fiat cum debita licentia, & dependentia à Superioribus suis, & aliunde non sit specialis inhibitio, &c. *Ratio est*; quia hoc est fructificare communi bono, & divino honori; proinde vitium aut nota philargyriæ hìc nullatenus intervenit.

Q. 4. Qualiter, præscindendo à jam dicto casu, pecunia oblata in monasterio sit legitimè distribuenda.

R. De hoc singuli Ordines habent, dubio procul, sua statuta, aut consuetudines pias. *S. Isidorus* in sua Regula c. 18. ponit hanc normam: *Omne, quod in Monasterium in nummo ingreditur, sub testimonio Seniorum accipiendum. Eadem pecunia in tribus partibus dividenda est; quarum*

rum una erit pro infirmis & senibus, & pro aliquo coëmendo in diebus sanctis cultiùs ad victum fraternum: alia pro egenis: tertia pro vestimentis fratrum & puerorum, vel quibusve ad necessitatem monasterii coëmendis. Quas tres partes Custos Sacrarii suscipiat, ac, præcipiente Abbate, sub testimonio Præpositi vel Seniorum de singulis partibus pro suis necessariis causis expendat. h.t.

CAPUT VII.

De pœnis proprietariorum, divinô judiciô illis immissis, &c.

REcensebo hìc, quæ ex certis historiis collegi, exempla sat horrenda; quibus Religiosi proprietarii terreantur; paupertatis verò Deo placitæ amatores in bono proposito solidiùs confirmentur. Proprietarii ponuntur in vili prædicamento ab Authore l. 2. imit. c. 32. §. 1. ubi inquit: *Compediti sunt omnes* proprietarii, *& sui ipsius amatores, cupidi, curiosi, gyrovagi, quærentes semper mollia, non quæ Jesu Christi; sed hoc sæpe fingentes, & componentes, quod non stabit.* h. i.

Primitus morte subitanea à Deo puniti ex primis Christianis *Ananias*, & *Saphiras* ob votum paupertatis violatum, Act. 5. de quo ait S. Scriptura: *Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, & in omnes, qui audierunt hæc.* h.i.

I. Libro 6. revelat *S. Birgittæ* c. 35. Christus ostendit huic dilectæ Sponsæ suæ animam alicu-

jus

jus religiosi ad pœnas inferni damnatam, quam diaboli novem novem juribus possidebant, novemque diversis atrocissimis suppliciis æternaliter cruciandam ob 9. specialia peccata in suam potestatem accipiebant. De qua *sextus Dæmon* scil. *proprietatis*, hæc dicebat: Ipse debuit esse pauper in mundo, & nihil proprium habere; sed ipse è contra quasi formica, quæ habere poterat, congregabat. Cui princeps dæmonum dixit: intra eum, & vexa eum cum amaritudine, & fac eum carere omnibus delectabilibus, quæ desiderabat; & pro eis confusionem inenarrabilem, & damnationem indicibilem, & pudorem perpetuum habebit. --- *Septimus autem dæmon*, scil. *Religionis contemptus*, dicebat: ipsa ex regulari disciplina obligabatur ad servandum in omnibus actibus suis constituta tempora; sed è contra, quia omnia inordinata habuit: bibebat enim, & comedebat, quando volebat, dormiebat, & vigilabat, & loquebatur, quando sibi placebat, & omnia absque regulari disciplina agebat; & ideo mea est. Cui princeps dæmonum: quia omnia tempora sua inordinata habuit, ideo unum tempus adveniet ei, quod numquam terminabitur, in quibus frigus & ardorem patietur sine fine. *h. i.*

II. Hæc novem specialia peccata cum vitio proprietatis in eodem sibi subjecto conjuncta ibidem recensentur, & sunt hæc: I. Superbiendo præfert se ceteris, ostendendo se professorem virtutum, cùm sit vitiis plenus. II. Desiderat illa, quæ videt, necessariis non contentus. III.

In

In his obedit, quæ eum delectant: ea verò, quæ non delectant, aut facit invitus, aut quærit occasionem fugiendi. IV. Delectatur intemperantia, socius illorum, de quibus dicitur: *quorum Deus venter est.* V. Quærit laudari ab omnibus, & non à Deo: ideo prædicat sublimia, cantat altisona, singularia operatur. VI. Gloriatur in superfluis, & habitu peregrino, cujus proprium deberet esse ipsa vera paupertas. VII. Nulla servat tempora; sed regit se secundùm flatum carnis suæ. VIII. Impudicè & frontosè accedit ad altare meum sacrificans, & absolvens alios, ipse vinculo dignus, & reprehensione. IX. Indignè portat signum gloriæ in capite suo, confœderatus hosti meo: fuit Sacerdos, & non ùt Sacerdos vixit; ideo pars mea in ea est, ajebat diabolus. Respondit princeps dæmonum: pro honorifico nomine Sacerdotis mutetur sibi nomen, & vocetur sathan. Pro corona gloriæ, quam contempsit habere, ponatur ibi maledictionis opprobrium, & dejectio sempiterna. *h. i.*

III. De Religiosis proprietariis, deditisque aliis vitiis dicit ibidem Christus ad S. *Birgittam: Ego juro in veritate mea, quòd si non feciſſem propter duo bona: propter quæ sustineo eos, non una domus eorum staret erecta. Primum est Matris meæ oratio, quæ cum Patrono eorum incessanter orat. Secundum est justitia mea; quia quamvis propter malitiam eorum non teneor eis aliquam misericordiam facere; attamen propter dona offerentium, quæ placent mihi, patior eos: ipsi enim sunt quasi instrumenta, quibus alii proficiunt.*

ciunt. Ex eorum nempe prædicatione, & cantu quandoque alii crescunt ad devotionem, & occasionem bene proficiendi; sed se ipsos in profundum dejiciunt; quia serviunt quasi servi ad lucrum non æternitatis. Verè servi sunt, & pauciſſimi inveniuntur alii, & tam pauci, quòd vix unus reperitur in centum. NB. h. i.

IV. *S. Hieron.* epiſt. 23. recenſet judicium Monachorum ſuper Monacho proprietario mortuo in proprietate, his verbis. *Quid ante non plures annos Nitriæ geſtum ſit, referemus. Quidam ex fratribus parcior magis quàm avarior, centum ſolidos, quos lina texendo acquiſiverat, moriens dereliquit. Initum eſt inter Monachos concilium, (nam in eodem loco circiter quinque millia diviſis cellulis habitabant,) quid facto opus eſſet: alii pauperibus diſtribuendos; Macarius verò & Pambo, & Iſidorus, & ceteri, quos Patres vocant, Sancto in eis loquente Spiritu, decreverunt, infodiendos eſſe cum eodem, dicendo:* Pecunia tua tecum ſit in perditionem. h. i. Narratur de *S. Gregorio*, quòd par judicium exercuerit ſupra mortuum Monachum proprietarium. *Horreſce, time & cave.*

NB. Simile horribile exemplum narrat *S. Auguſtin.* de *Januario* Monacho, qui quamvis haberetur ab aliis ſanctus, tamen quia clanculum agros & vineas poſſedit, de iiſque teſtamentum fecit, malèque vixit, & malè obiit, ſepultus eſt, pecuniâ cum ipſo colligatâ, cum hac damnabili cærimonia: *Pecunia tua ſit tecum in perditionem.*

Caſa-

Cæsarius l. 9. dial. c. 64. narrat de quodam Religioso ex Ordine suo lethaliter infirmo, & proprietario, qui sacrum viaticum ore sumptum deglutire nequivit. Apud eum in damnabili proprietate mortuum invenerunt 5. solidos æreos, quos cum ipso in agro sepelierunt, dicentes: *Pecunia tua, quam, clam nobis, contra professionem tuam possedisti, tecum sit in perditionem.*

V. Proprietarius Monachus laceratur à dæmone; De quo in collationibus PP. *Quidam Frater renuntians sæculo, & dans, quæ habebat, pauperibus, retinens autem pauca ad opus suum, venit ad Abbatem Antonium. Quem cum agnovisset Senex, dixit illi: si vis Monachus fieri, vade in illum vicum, & eme carnes, & impone corpori tuo nudo, & sic veni huc. Et cum ille sic fecisset, aves lacerabant carnes & corpus ejus. Cùm autem pervenisset ad Senem, interrrgavit, si fecisset, quæ dixerat ei; ille autem ostendit corpus suum laceratum. Tunc dixit S. Antonius: qui renuntiant sæculo, & volunt habere divitias, ecce ita impugnantur, & à dæmonibus discerpuntur.* h.i.

VI. In collationibus Patrum quidam Monachus, quidquid de labore ad victum supererat, secundùm morem aliorum Monachorum, in eleëmosynam indigentioribus expendebat. At pòst misit satanas in cor ejus, dicens: collige tibi aliquam pecuniam, ne, cùm senueris, aut ægrotare cœperis, aliquo indigeas. Et collegit,

legit, ac implevit unam lagenam nummis. Post hæc infirmatur, & putrescit pes ejus: & totam collectam pecuniam impendit in medicos & chirurgos; at nil juvat eum. Venit expertior medicus dicens, nisi curaveris pedem incidi, totum corpus putrefiet. Resolvit se ad patiendum horribilem pedis incisionem. Illa autem nocte rediens in semetipsum, & pœnitentiam agens de his quæ gessit, ingemuit & flevit dicens: memor esto Domine operum meorum priorum, quæ faciebam, cùm laborarem in horto, ex quo pauperibus ministrabam. Et cum fleret, astitit ei Angelus Domini, & dixit ei: Ubi sunt nummi, quos collegisti? & ubi est spes, de qua tractasti? at ille respondens ait: peccavi Domine, & ignosce mihi; ulterius hoc non faciam. Tunc Angelus tetigit pedem ejus, & statim sanatus est, & surgens manè abiit operari in agro. *En! nimia anxietas, & solicitudo in Monacho pro crastino, pro senio, &c. non tantùm displicet Deo, sed etiam punitur ab ipso tali temporali flagello. Potens est utique Deus etiam sine tuis corrasis nummulis te sanum ac robustum conservare, te infirmum sanare, ab infirmitate etiam præservare, in egentia sustentare, medici, medicamentorumque defectum per ministeria quoque Angelorum, si deessent homines, supplere; dummodo fidem ei servaveris in observantia votorum tuorum.*

VII. In *Chron. Minorum* legitur, quòd Frater quidam laicus, volens contra inhibitionem

Re-

Regulæ ſuæ, literas diſcere, furtivè ſibi proviſerit de Pſalterio: correptus de hoc, noluit extradere, ſed in hac ſua inſolenti ſuperbia, dura cervice, ac horrida proprietate inſorduit uſque ad infelicem mortem; antequam ſeriò admonitus de extradendo Pſalterio, contempſit, & in hac proprietate infelicem animam efflavit. Illa nocte cum horribili fragore & ſpecie fratribus ad matutinas Laudes concurrentibus apparuit, ſuamque damnationem, & ejus cauſam aperuit: à quibus ad inferni pœnas remiſſus, æternalibus pœnis numquam expiabit grande proprietatis hoc piaculum.

VIII. In *Annalibus Cartuſianorum.* Monachus quidam, necdum evoluto tyrocinio, rediens de nocte ex matutinis Laudibus, tædio monaſticæ ſeu ſolitariæ vitæ affectus, parabat exitum per cœmeterium: at (Deo providè revocante) videt omnes inibi ſepultos de ſepulchris reſurgentes, in corpore, ſpecie viſibili ſe ſiſtentes, ac in candido Cartuſienſium habitu ſibi apparentes; qui omnes hac voce alloquebantur eum: quò properas miſer? visne ſanctitatis locum deſerere, arctamque ad cælum viam cum via perditionis commutare? Nos omnes in hoc pœnitentiæ loco beatitudinem æternam lucrati, & conſecuti ſumus, excepto uno Fratre laico (ipſi vocant *Donatos.*) qui propter peccatum proprietatis ad inferni pœnas damnatus eſt. Hoc terribili exemplo concuſſi Cartuſiani, in obſervantia voti paupertatis ſunt punctualiſſimi:

& ad

& ad rigidam tenentur expropriationem faciendam, maximè circa tempus Paschale in cœna Domini, quando Judas primus nequam fur proprietarius de sacro peculio Dominico & Apostolico, Dominum suum & prodidit, & vendidit. Ad quam expropriationem eodem tempore articulatim faciendam quoad singula, obligantur etiam alii Religiosi aliorum Ordinum, quantum novi (nisi fortè essent omnino deformati, vel è contra pauperrimi.)

Ex eodem Ordine refert *Dionys. Cartus.* quòd quidam Religiosus alioquin timoratus vestem suam refecerit frustulo panni ex vestiario sine venia accepti. At, dum is in morbum incidisset, & magnam mentis & vultus hilaritatem ostendisset, hanc inturbavit dæmon, instar simiæ huic frusto insidens, illud lambens, & valde in eo sibi complacens. Ille horrore nimio perterritus, recognoscens, se hoc segmentum sine venia Prioris accepisse, Superiorem ilico advocat, culpam confitetur, cum illo se reconciliat; & statim inde se dæmon subduxit. *Audite proprietarii! Deus non irridetur: reddite vota vestra Deo; nam etiam minimas ejus transgressiones in metuendo suo judicio strictè dijudicat Deus, immo & exactè adnotat diabolus.*

IX. *Gloriosus Franciscus Xaverius* (ut habetur in Theatro R. F. 167.) socium quemdam mulctavit exilio, in quo deprehendit proprietatis umbram. *Narrat Picinell. Idem narrat* alium Monachum proprietarium unguibus vul-

turum, & dentibus canum dilaniatum in pœnam sui peccati.

Alius infortunatus Monachus (ut testis est *D. Hieron.*) hujus culpæ ergo, dæmonum tormentis subditus fuit. *Picinell. qui idem refert*, quòd

Albertus Magnus, ex præscripto sacr. Canon. quemdam ex suis Religiosis, ut vocant, Conversum, hujus delicti convictum rursus exhumatum Ecclesiastica privârit sepultura.

Ex eodem Ordine cùm S. memoriæ *Fr. Reginaldus* Bononiæ Priorem ageret, laicus quidam aliquod panni ejus, quo ipsi utuntur, frustum eleëmosynæ nomine, sine venia Prioris acceperat, ut hôc suam vestem reficeret. Hunc ergo propterea Vir sanctus ad Capitulum vocat, &, coram omnibus Religiosis, in eum ceu furem & proprietarium tam verbis asperis, quàm dura verberatione animadvertit: & pannum illum eo in loco, tum ipso, tum reliquis fratribus inspectantibus, flammæ injecit. En! quàm rigidè puniunt proprietarios, etiam in minutis (ut fortè alicui videri posset) Sancti Zelatores religiosæ paupertatis!

X. Constitutiones Canon. Regular. p. 2. c. 41. præcipiunt, *ut proprietarius tamquam voti transgressor acriter puniatur.* Idem quoque præcipiunt aliorum particularium Ordinum Constitutiones.

XI. Statum periculosum cujusdam Abbatissæ proprietariæ, ac delicioſæ repre hendit Christus, loquens *S. Birgittæ* l. 6. revelat. c. 98. his Verbis:

verbis: *Illa N. Abbatissa est de vaccis pinguibus, vadens in cœno, & cauda sua lutosa aspergit circumstantes: sic ipsa spargit sororibus exemplo suo pravo. Cujus vestimentorum rugæ perhibent testimonium, quòd non est Filia Beati Benedicti mei, nec est sponsa humilis, quia immemor est sponsionis suæ. Nam Regula sua dicit, habere vestem, quæ rudior & vilior invenitur; & illa habet molliorem, pulchriorem, & delectabiliorem. Regula etiam præcipit comedere necessaria cum parcitate, & timore, nihilque habere proprium; sed ista habens proprium, impinguat se sicut vacca diaboli, sequendo propriam voluntatem. Regula etiam dicit, quòd omnia sint in manu Abbatissæ, non attendens intentionem Beati Benedicti mei, qui ideo omnia posuit in manu Abbatis, ut Abbas esset discretus, & exemplum virtutum, & Regulæ præcipuus imitator. Sed ista recipit nomen, & verbum potestatis ad dissolutionem suam, non attendens, quòd de omnibus animabus sororum suarum reddituræ est mihi rationem. NB. Propterea scias, quòd, nisi correxerit mores suos & sororum suarum, vadet cum vaccis pinguibus in infernum, & laniabunt eam corvi inferni, quia noluit cum humilibus & abstinentibus evolare in cælum.* h. i.

XII. Prædicta Abbatissa mortua dirum sustinuit purgatorium; quod narratur lc. in revelat. *S. Birgittæ* his verbis: *Hæc Abbatissa mortua apparuit B. Birgittæ aliquantulùm alba, sed quasi retiferreo circumtecta; cujus lingua videbatur*

ignea, manus & pedes plumbei, oculi ex toto lacrymosi; & dixit: miraris de me, cur sic appareo deformis? hæc est retributio justitiæ Dei. Nam quòd alba videor, id est, quia virginitatem carnis habui. Sed rete ferreum denotat, quòd regulares observantias, & patientiæ bonum non servavi. Sicut enim in reti multæ ansæ combinantur, sic ego pro multis operibus bonis omissis multa pati teneor; quia bona opera, cùm tempus habui, non exercebam.

Quòd verò lingua mea appareat ignea, dignum est, quia ipsa contra professionem meam in multis vanitatibus & scurrilitatibus solvebatur. Manus verò meæ, & pedes apparent plumbei, & meritò, quia opera mea, quæ designantur in manibus, quæ fuisse debuerant fulgentia quasi aurum, fuerunt mollia & dissoluta ùt plumbum. Pedes quoque mei, quibus ad sorores meas bonis exemplis, & conversatione munda ivisse instituebar, lubricaverunt in mundialibus, & desides erant ad omne spiritale bonum. Oculi mei apparent tibi, sicut illius, qui nimium habet fletum; & meritò, quia pepercit eis à fletu, cùm potui diluisse, & debuissem omnes negligentias vitæ meæ. Verumtamen in statu misericordiæ sum, & exspectatione bonæ spei, propter illa, quæ fiunt in Ecclesia Dei, & propter preces Sanctorum, & Sanguinem Christi. h. i.

S. *Canon* (de quo J. Nadasus 28. Martii) S. Basilii discipulus Religiosum quemdam ad mentem revocavit, dum ob pecuniam ab illo congestam,

gestam, vidit dæmonem serpentis instar, illius gutturi circumdatum. *h. i.*

J. Nigronius narrat in Monasterio Gigniacensi Monachum contra paupertatis rigorem, micas ex mensa collectas non curasse, sed siviſſe perire. Cui moribundo astitit dæmon, qui exactè hanc in eo malam consuetudinem notârat, ut eum in desperationem induceret, plenum saccum talibus micis ostendit. Quod obtinuisset, nisi preces vehementes Fratrum obstitissent

S. Odo Cluniac. refert l. 3. collat. c. 21. Monachæ morienti dæmonem apparuisse, illiusque conscientiam nimio terrore constrinxisse, eò quòd acum haberet sine licentia. Illâ ergo in commune delatâ non recedebat dæmon. Illa plùs anxia meminit etiam se adhuc filum sericum ad spondam habere sine licentia: quô in commune relatô, recessit malignus.

Meritò dixit itaque *S. P. N. Franciscus, nolle de nobis diabolum plus, quàm tenuissimum capillum: ex illo enim cogitat chamum ingentem, validumque ad nostras constringendas animas, sibique vindicandas conficere.*

* * *
* *
*

CAPUT VIII.

De Peculiorum reservatione, usu, & abusu.

Quæres, An liceat quibuslibet Regularibus, vi primævæ institutionis suorum Ordinum reservare peculium pro suis particularibus privatis usibus. Ante responsionem

N. 1. Ex *P. Marchant. H. Casal. Bartoluc.* & aliis, quòd *peculium sit qualibet res temporalis, pretio æstimabilis, seorsim à rebus communibus separata, ac privatis usibus deserviens.* Quod si apud communem depositarium Conventûs sit depositum ad conservandum dicto fine, vocatur *Depositum Regulare* (non sumitur hìc depositum in acceptione Juristarum). Unde *peculium*, & *depositum* habent se, sicut termini magis & minùs communes. *H. Casal.* Hoc peculium consistit in re mobili, vel immobili, eleëmosyna certa certis temporibus à cerro accipienda, vel in redditu temporario annuo perpetuo, vel vitalitio percipiendo à monasterio, aut ejus Officialibus levando in subsidium privati Religiosi; vel in pecunia, lana, tritico, pecore &c. vel &c. (nisi id aliunde vetitum sit).

N. 2. Hoc peculium est duplex, *Primum profectitium*, cujus solùm habetur utilitas quoad fructum, vel usum, at dominium est penes alterum, penes patrem, avum, patruum &c. *Aliud adven-*

adventitium, in quod quis habet dominium saltem radicale; licet ususfructus sit penes alterum, v.gr. parentem &c. Peculium quod Religioso competere potest, non est nisi profectitium, ut patet ex terminis. Estque hæc generalis Regula ex *H. Casal*, quòd in Religioso particulari nequeat reperiri peculium, quod teneatur titulô dominii, possessionis juridicæ, usus-fructus, administrationis independentis, vel usus-juris; quia omnia ista concludunt quamdam proprietatem. Hinc peculium Religiosorum (si tamen illis licitum sit,) nequit haberi, nisi titulô simplicis administrationis, & à nutu Superioris continuò dependentis, si is fuerit Officialis; vel titulô usus-facti solius, si privatus alius Religiosus sit. *NB.* (*loquor de solemniter professis.*)

N. 3. Ex cit. AA. & aliis, quòd triplex possit distingui Religiosorum *Peculium*. *Primum*, si quis apud se, vel apud alios quidpiam eo animo detineret, aut sibi reservaret (licèt ad solum usum determinatum vel non determinatum) ut plena auctoritate, & independenter à Superioris licentia de eo disponat. Vel cum sic occultat, ut liberæ Superioris dispositioni illud subducat, aut, si id manifestet, ei tamen renuntiare non sit paratus. Et hoc continet gravem proprietatem, ideoque numquam licebit. Et ita sumitur subinde in SS. Canon. per quos Monachus relinquens post mortem peculium, sacra sepultura privatur.

Secundum genus peculii, quando quis Religiosus ex licentia Prælati pecuniam vel aliam rem

habet sepositam à massa communi, ut ad usus quoslibet indeterminatos pro re nata applicet. Vel quando generalem habet licentiam aliquid sibi licitè comparandi, unde suis necessitatibus provideat: aut ut usum-fructum, usum, vel administrationem alicujus rei mobilis (non autem immobilis) in usus licitos habeat, quatenus de ea re pro libitu suo disponat, usque ad revocationem totalem vel partialem Superioris. De hoc ait *Bartoluc. noster*, quòd, licèt non contrarietur essentiæ voti paupertatis, cùm nullum dicat jus; tamen, quia Concil. Trid id prohibet, & Clemens VIII. illicitum declaravit eò, *quia novo decreto prohibitum*, tum quantum ad culpam, tum etiam quantum ad pœnam; etiam tale peculium paupertati regulari repugnare videatur: & ideo (*nisi per Summum Pontificem id Regulari concedatur*,) semper illicitè & cum scrupulo ab eodem detineatur, ut ait *cit. Bartoluc.* NB. Hæc ultima parenthesis potest favere illis Religionibus, in quibus ab altis Summis Pontificibus indultum est, ut formam perfectam ærarii cum tribus clavibus &c. prout in Decreto S. Congreg. Visitat. Apost. inserto Constit. Urbanis plenius exprimitur, habere queant, cui pecunia Conventus, non tantum communis administrationibus, sed etiam particularium Fratrum eleëmosynarum inferatur, pro sublevandis eorum particularibus quibuscumque necessitatibus, cum speciali prævia adnotatione in libro deputato, *quis, quid, quantum, quando &c.* sive dum imponitur, sive dum extrahitur, &c.

Ter-

Tertium genus peculii est, quando aliqua pecuniæ summa seperatim detinetur, ut exinde suis determinatis particularibus necessitatibus provideatur. v. g. ad comparandam tunicam, libros coëmendos, vel alia necessaria simpliciter, aut secundùm quid, quæ à Monasterio non suppeditantur: vel certè quando Religiosus habet usum alicujus rei determinatæ ad talem vel talem particularem effectum (extra communem consuetam distributionem) Statui regulari non repugnantem. Hoc peculium, si vestiatur quibusdam conditionibus (ultra Superioris licentiam requisitam, & præsuppositum interpretativè consensum Summi Pontificis) in certis casibus certorum Monasteriorum Religiosis poterit permitti; prout infra. Sed

N. 4. Nomine peculii hoc tertio modo sumti non veniunt illa, quæ propter quotidianam & continuò durantem necessitatem Religiosis singulis indiscriminatim ex communi penu, cellario, & vestiario conceduntur. v. g. tunica, pileus, calcei, panis, vinum usuale, calami, atramentum, charta, conservæ vel præservativæ in initio jejunii ab Abbate singulis Religiosis ad aliqualem confortationem, & recreationem datæ, & in cellis conservandæ permissæ &c. Nam hæc minimè debent vocari peculium, cùm spectent ad communem massam, ex qua extractæ quidem, & applicatæ, neutiquam tamen abstractæ, nec peculiaritatis nomine intitulandæ.

N. 5. Ex *Dionys. Carthus.* l. de reform. claustral. a. 8, quòd Religiosi votis solennibus, vel

quasi solennibus adstricti sint triplicis differentiæ. Nam *primi* sunt de stricta observantia, qui peculium nec habent, nec volunt habere, sciunt quippe se licenter non posse habere; neq; eis ullo modo permittitur à Superiore, nec à Regula, nec ab Ordinis particularibus constitutionibus. *Secundi* sunt penitus deformati, lapsi, & obtenebrati, qui de proprietate conscientiam sibi non faciunt, sed propria habent, aut arrogant, vel malitiosè sibi appropriant (licèt interim proprietatis habendæ capaces non sint) habere plus cupiunt, & licitè se habere confingunt, quia oppositum scire & audire contemnunt, aut certè non curant. *Tertii* mediô modô se habere videntur; qui habentes peculium, de proprietatis vitio se excusant, dicentes, se habere non propria, sed appropriata, utpote quia de licentia justa & rationabili Superioris talia se habere, atque ad resignandum, juxta ejusdem legitimum mandatum se paratos asserunt. Hos tertios dicta legitima licentia, & bona conscientia, & justa necessitas excusat; prout infrà, quamvis nec de his, minùs de aliis, intrepidè id indefinitè asserere audeat *Dionys. Carthus.* dicens generatim lc. *Quod habere peculium sit Religiosis illicitum & sanctæ Religioni vehementer contrarium, immo Religiosi statûs atque monasticæ vitæ lamentabiliter destructivum, & contra sanctissimorum PP. qui Ordines instituerunt, intentionem, doctrinam, & prohibitionem.* Hæc ille quidem, cui tamen per omnia non assentior; licèt hoc experientia convincat, quòd peculium non debitis conditionibus circumvallatum sit vitæ religiosæ pede-

pedetentim relaxativum. Utinam hoc verum non esset ! Interim *secundùm tempora, & mores sunt sæpe temperandi rigores.*

N. 6. Bene intelligenda esse hæc duo ; scil. 1. quòd aliquid *per se* non liceat , 2. quòd aliquid *per accidens* licitum fiat. E. G. *per se*, & supposita rerum legitima divisione, non licet mihi tollere rem proximi usu consumptibilem v.g. panem &c. eumque consumere. Nec *per se* licitum est clericis, ac Monachis , seu Religiosis , propter varias SS. Canonum inhibitiones , hæc & illa facere ; quæ tamen *per accidens* , scil. ob maximam necessitatem vel inopiam licent ; in qua & mihi licet panem ,invito Domino accipere , & consumere, quo ipso, rem alienam, jure poli facio mihi propriam per actualem usum in sucurrendo maximæ vel extremæ meæ necessitati. *Hi duo distinctivi termini servient materiæ præsenti.*

N 7. Vivere in communi (Ad quod conatur modernus SSmus D. N. Innocentius XII. ex generali & speciali cura erga oves sibi creditas, indefesso studio , paterna solicitudine, ingentique labore, ac vehementi conatu in-& adducere omnes Religiosos, ex causa multiplici) contingit variis modis ; inter quos unus altero nobilior, excellentior, melior. v. g. 1. *Aliqua communitates* Religiosorum habent in communi solùm commune claustrum , sepulchrum , dormitorium, &c. at pro privatis necessitatibus tam quoad cibum, potum, vestitum, medicinam, debent æquè aut magis esse soliciti, quàm sæculares. Fateor hæc est valde exilis sicut communitas, sic fortè

tè & charitas, religioſæque vitæ regularitas. Quæ neceſſariò poſt ſe trahit plurimas non bonas conſequentias: nam *ex abſurdo uno ſequuntur multa. Secunda aliquantulum melior*, in qua inſuper victus, ex parte etiam veſtitus ex communibus ſuppeditantur ſingulis; & hoc cum multiplici adhuc differentia, prout fert monaſteriorum mos, aut poſſibilitas &c. *Tertia perfectior*, in qua omnia neceſſaria qualiacumque tam pro infirmitate, quàm pro neceſſitate perſonæ ſuppeditantur; attamen peculium ex conniventia & cauſa juſta, in modica quantitate indulgetur ad particulares caſus, ob peculiaria motiva, v. g. ad conficiendum iter non neceſſarium pro Monaſterio, ad viſitandum amicos, ad excipiendum ſingulariter hoſpitem præ aliis gratiorem, & hoc intuitu meritorum talis perſonæ, vel utilitatis præſentis, aut futuræ &c. *Alia tandem perfectiſſima*, in qua nihil conceditur peculiare privatis perſonis particularibus; proinde ab illis nullus quid exſpectare poterit, qui proinde Religioſi ob hoc ſunt feliciores, quòd in nullo, pro nullo teneantur eſſe temporaliter ſoliciti, ſed ſancta & immaculata ipſorum Religio ſit ipſis & Pater, & Mater, & tutor, & procurator, & obſes, & præſes, paſcens, & protegens corpus, & animam, utrumque imbuens regulari diſciplina, & perfectione (*reſpectivè*) religioſa. His ita neceſſariò prænotatis, erit facilior reſolutio quæſtionis propoſitæ ab initio Capitis. Quæ tamen ad placitum ſingulorum difficulter dari poterit. Scio, quid faciam, ut neminem exaſperem, omnes conciliem; mediâ viâ ibo, nimis rigoro-

goroſas inter, & nimis laxas ſententias; ſimul & in generalibus concluſionibus ſiſtendo (ex aliorum DD. placitis citandis) *particulareſque laudabilium Religionum laudabiles conſuetudines, ſi quæ ſint, intactas relinquendo*; ut hoc modo conſulam ſacræ communitati, ſimul & communi charitati.

CAP. IX.

Continet reſponſionem ad quæſtionem prioris Capitis, an liceat reſervare peculium particulari Religioſo.

R. Non licet quibuſvis indiſcriminatim Regularibus, vi primævæ inſtitutionis ſuarum Religionum, reſervare peculium (*etiamſi ùt diſtinctum contra proprium*) ſuis peculiaribus uſibus. Senſuſque hujus reſponſionis eſt, quòd *per ſe* non liceat; nec *quibuſvis*; nam *aliquibus*, quibus Monaſterium pro nunc in nullo ſuffragari poteſt, procul dubio licebit, jure naturæ licentiam hanc deferente; cui etiam nullus jure contrariari poteſt. Deinde *pro nunc & ex accidenti* licet; quia Monaſterium devaſtatum per bella, aut per prodigalitatem officialium, Monachorumve intemperatum vivendi modum, aut aliunde ad nimiam pauperiem redactum. Dicitur etiam in parentheſi, *etiamſi, ùt diſtinctum contra propriũ*: nam, ſi ſumeretur, ut eſt idem, quod *proprium*, res eſt nimis manifeſta, quòd ſic non liceat, nec unquam licuerit: & ſic in antiquis Canonibus, &

Mona-

Monachorum Regulis nonnumquam sumebatur hæc vox *peculium* pro eo scil. quod quis sibi peculiariter à massa communi, clam, Abbate inscio, & hinc omnino invito, tamquam *proprium* arrogabat. Et

Probatur responsio quoad hanc partem ex c. Cùm ad Monasterium, de statu Monachorum, ubi Innocentius III. (sub quo incepit *S. P. N. Franciscus* Ordinem suum) ita inquit : *Prohibemus districtè in virtute obedientiæ, sub obtestatione divini judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat. Et si quis habuerit proprium aliquid, in continenti resignet. Si verò post hæc proprietatem aliquam quis habere fuerit deprehensus, regulari monitione præmissa de Monasterio expellatur, neque ulterius recipiatur, nisi pœniteat secundùm monasticam disciplinam. Quòd si proprietas apud quemquam fuerit inventa in morte, cum eo in signum perditionis extra cœmeterium in sterquilinio subterretur, sicut B. Gregorius in Dialogo se narrat fecisse. Unde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati seu Priori, vel Cellario assignetur. Nec æstimet Abbas, quòd super habendo proprio possit cum aliquo dispensare : quoniam abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa Regulæ monachali, ut contra eam etiam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* h. i.

Mem. *S. Gregorius* Papa ita in epist. scribit *Augustino* Anglorum Episcopo : *Tua Fraternitas--in Ecclesia Anglorum hanc debet instituere conversationem, quæ in initio fuit in patribus nostris,*

stris, in quibus nullus propria habuit, sed erant illis cuncta communia. Quidquid verò necessitatibus supereſt, in causis piis & religiosis erogandum est, Christo dicente: quod supereſt, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. h. i. Idem in Regiſtro: *Si peculiaritas à Monachis habetur, neque concordia, neque charitas in congregatione eadem poterit permanere.* Ibidem: *Quid est habitus Monachi, nisi despectus mundi? quomodo ergo mundum despiciunt, qui in Monachi habitu positi aurum quærunt?* Idem l. 3. dial. c. 14. *Monachus qui in terra possessionem quærit, Monachus non est.* Idem epiſt. 22. ſcribens Joanni Subdiacono Ravennæ, inter alia eidem præcipit ut Mariano Epiſcopo dicere ſtudeat; *ut peculiaritatem* à 4. aut 5. Monaſterii Monachis, in quibus corrigi hactenus minimè potuit, *ſtudioſiſsimè compeſcat; & hoc ipſum Monaſterium à tali peſte mundare feſtinaret.* h. i.

Præterea Clemens Papa Sanctiſſimus in epiſt. IV. & habetur in Decreto, cauſa 12. ait: *Communis vita omnibus, ſcil. clericis neceſſaria eſt, & maximè his, qui Deo irreprehenſibiliter militare cupiunt, & vitam Apoſtolorum & diſcipulorum eorum imitari volunt.* h. i. Per has & alias auctoritates, per quas in lib 1. adſtruitur neceſſitas vitæ communis, ſimul etiam *peculium*, ut eſt idem quod *proprium*, eliminatur. Unde hoc verbum *peculium* nominatim in Regulis ſuis prohibuêre Sanctiſſimi PP. *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Benedictus*, qui illud Monachis nec conceſſerunt, nec conceſſiſſent, quamvis petiiſſent.

Princi-

Principalis autem responsio probatur etiam ex Dionys. Carthus. lc. a. 13. quia Monachi tenentur ad paupertatem eo modo, & sensu, quo SS. Patres, qui Ordines instituerunt, Monachos ad paupertatem obligare intenderunt: propterea non est communibus regulis, legibus, & præceptis contradicendum. *Præterea*, cùm prima Mater dispensationis sit urgens necessitas, deinde vera, evidensque utilitas; attendat, qui Monachis præest, quid eum cogat ad dandum peculium Monachis suis, & quæ eis utilitas inde proveniat. Immo si diligenter pensaverit, videbit, *quòd multiplex inutilitas ac ruina Monachis ex peculio generetur*, & quòd sibi non sit necesse illud concedere: sed ex negligentia, consuetudine prava, & aliis causis non bonis introductum est peculiũ Monachorum. *Hæc cit. Dionys. Carthus. Pergitque*

Religiosi seu Monachi non solùm tenentur ad viam meliorem, sed etiam securiorem: Cùm ergo securius sit Monacho carere peculio, tenetur illo carere. Iterum secundùm *Augustinum*, qui se committit discrimini, peccat mortaliter: Cùm ergo Doctores devotiores, & viri religiosiores communiter reprobent peculium Monachorum (quamvis aliqui illud aliquo modo excusent) videntur se ad minus discrimini committere Monachi habentes peculium. *Rursus*, quamvis Monachi non teneantur esse perfecti, tenentur tamẽ quotidie ad perfectionem tendere & conari: *Sed videmus ad oculum, quòd Religiosi habentes peculium non solùm non proficiunt, immo de die in diem magis*

magis at magis declinant & ruunt. h. i. *subdit ibid.*

Præterea secundùm *Hieron. Cassian.* & alios, immo, sicut experientia quotidie docet, nisi amor habendi fuerit de cordibus Monachorum funditus eradicatus, frequenter magis crescit, & inflammatur in eis circa parva & minima, quàm in multis sæcularibus circa majora & plura: *periculosissimum ergo est Monachis habere peculium*, etiamsi aliunde non esset eis prohibitum. *Amplius*; ut in Genesi c. 8. habetur, sensus & cogitatio cordis humani proni sunt in malum ab adolescentia sua: non ergo expedit circa peculium Monachorum loqui remissè, illudque colorare, & quodammodo excusare: quia ex hoc *Religiosi ad peculium proni capiunt occasionem magnæ ruinæ*, audaciamque se excusandi, etiam multò plùs, quàm ab aliquo Doctore notabili excusentur. *Hucusque valde conscientiosè Doctor extaticus Dionys. Carthus.* Qui hæc sua dicta vult intelligi non solùm de proprietate civili, sed etiam de proprietate peculiari, id est de peculio. *Addit ibid.*

Mihi objici potest, quia tam districtè contra peculium Monachorum scribendo, quasi innumerabiles diversarum Religionum personas in statu damnationis constituo. Fateor; consideratio ista aliquos terruit, & ad scribendum de ista materia nimis remissè induxit: Quid igitur respondebo? utique pro præsenti aliud pro responsione non occurrit, nisi quòd *zelô Dei, & S. Religionis hæc scribo, atque in genere loquor*. & viam securiorem ostendo. *h. i.* Hæc doctrina utique ùt

ſecurior eligenda, ubi non eſt manifeſta neceſſitas tolerandorum peculiorum.

CAPUT X.

Oſtenditur ulteriùs, quòd peculium primitùs per ſe non fuerit licitum Religioſis.

I.]Dipſum oſtendit cit. *Dionyſ. Cartuſ.* lc. a. 14. ex Regulis *S. Baſilii*, *S. Auguſtini*, *S. Hieronymi*, *S. Benedicti*. Hic in Regula ſua ſanctum ſuum Patrem appellat *S. Baſilium*: Qui in Regula ſua ita dicit: *Huic, quod eſt habere aliquod proprium, contrarium eſt, quod in actibus Apoſtolorum habetur: erant illis omnia communia -- ſi quis inter Fratres aliquid ſuum eſſe dicit, abſque dubio alienum ſe facit ab electis Dei, & charitate Chriſti.* h. i.

II. *S. Hieron.* in Regula ſua: *Ædificat fatuus ille in Zabulo, quia in vita apoſtolica, & religionis propoſito temporales appetit divitias. Hic attendite diligenter: hic periculum omne eſt, hic interitus, hic mors æterna.* h. i.

III. *S. Auguſtinus* ſæpiſſime in Regula nominat & elim nat *proprium*, quòd autem per hoc *peculium* velit excludere (ſicuti & mens fuit priorum) conſtat ex his, quæ in ſerm. ad Samnianum diſſeruit, dicens: *Rem peculiarem omnino fuge. Vide, quanti, & quales de hoc peſtifero morbo peculiaritatis perierunt. De peculiaritatis namque radice oriuntur hæc vitia, ſuperbia, inobedientia, avaritia, vana gloria, voracitas, mendacium, loquaci-*

loquacitas, atque luxuria. - Illum morbum habendi peculium voco morbum pestiferum & illecebrosum, quem te oportet relinquere, si non vis beatitudinem sempiternam amittere. Va vobis Monachis, qui divites esse cupitis in pecuniis, & per hoc regnum calorum amittitis: qui sponte vovistis Deo observare normam Patrum Sanctorum, quorum exemplo radicaremini in regno calorum, modò per cupiditatem, & sæcularibus negotiis dediti intrabitis ignem æternum. h. i.

Idem *S. August.* l. 12. de civit. c. 25. *Perversi volunt frui nummo, uti autem Deo: quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt.* h. i.

Navarrus etiam Canonicus Regularis in Monasterio de *Ronca valle* nequaquam putabat se esse securum in illo loco, ubi, quamvis cum licentia Superiorum, peculium tenebatur. Proinde licet in commentariis suis omnes rationes conquisierit, quæ pro peculio licitè retinendo facere poterant, attamen scrupulis se expedire non valebat, hinc vocat illum *Statum periculosissimum. vide H. Casal. de eo.*

Nimis anxios peculiaristas pro futuro arguit hic idem, dicens: Religiosi magno quandoque numero cum paucis ac penè nullis redditibus commodiùs vivunt, justô Dei judiciô, quàm peculiaristæ illi in magna rerum abundantia. Inveniunt enim qui sumptuosas illis Ecclesias, commodas domus, honorabiles Sacristias, copiosas bibliothecas, & alia munifica manu ædificent, fidem illorum Deo sic remunerante; cujus providentia

dentiâ non minùs liberaliter ſuorum neceſſitatibus proſpicit, quàm ſi quiſpiam ex peculio eas ſubminiſtraret. *h. i.*

IV. *S. Benedictus* præcipuus legislator, Pater & inſtitutor Monachorum ſic ait in ſua Regula: *Præcipuè hoc vitium proprietatis radicitus de Monaſterio amputetur.* Sæpe inibidem facit mentionem proprii eliminandi, ſub quo & peculium ſe comprehendiſſe ſatis inſinuat, dum mandat ſuppellectilia Monachorum (*frequenter ab Abbate ſcrutanda, propter opus peculiare, ne inveniantur---. Ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ neceſſaria ſunt &c.* h. i.

V. *S. Hieron.* in Regl. cit. ſic ulteriùs inquit; *Si licet habere aliqua temporalia ad victum & tegumentum (quæ duo ſufficiunt Chriſtiano) nihil horum alicujus ſit veſtrum, ſed commune ſit omne etiam minimum-- Itaque obteſtor vos omnes & ſingulos coram Deo & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt omnes, ut aurum, & argentum, & pecuniacito pertranſiens nullâ ratione cor veſtrum ſeducat, retinendo apud ſe quantumcumque minimum temporale ultra ea, quæ ex neceſſitate portantur: nec tamen hæc, niſi ex licentiâ Superioris. Nudus Jeſus nudos quærit ſectatores. Quòd ſi ipſum ſequi, temporale aliquid appetendo, volueris, oneratus gravedine nudum ſequi non poteris. Hinc dicuntur beati pauperes ſpiritu; ut ſciatur, quòd non ſufficit cuncta temporalia in mundo relinquendo, ad claſtrũ accedere, ſi mens miſerrima appetit, quæ reliquit.-- Propter quod volo, hortor, & moneo vos, chariſſimi,*

mi, ut hæc perpetua in vestro Monasterio observatio maneat, quòd nullus omnino tangere, aut aliqualiter retinere audeat per horam, censum, aut obolum, sed aliud quodcumque minimum, quamquam à Sorore, aut Matre mittatur. h.i.

VI. Rursus idem ait *S. Hier.* lc. *Sic Sponsum Jesum astringite mentibus mundis à terrenorum contagione: quoniam secum in habitatione nihil permittit esse terrenum: sic sic projicite peras, ut neque marsupia ex latere pendeant, neque opus sit clavibus, ut jam ex ipsis monstretur exteriorum indiciis, quòd nihil habetur extrinsecum præter Jesum: quòd nihil est clausum, quod est deditum usibus hominum,* h.i.

VII. Probatur nunc etiam ratione, & flebili experientia, ex *Theodorico de Monasterio*, universitatis Colon. Cancellario illa ætate, qua Coloniæ studuit *Dionys. Cartus.* qui & asserit illum fuisse Doctorem, & virum clarum vita, scientia, atque facundia, sed & præcipuè mitem & pium. Is in tract. suo de proprietate & peculiaritate Monachorum, vel Religiosorum c. 4. sic discurrit, prout citatur à dicto *Dionys. Cartus.* lc a. 16.

Si scire delectat, quare proprietas sive peculium tam rigorosè prohibetur, attendite vitia, quæ inde sequũtur, quæ prudentiss. expertiss. ac devotissimi viri, qui Religiones instituerunt, consideraverunt, & per experientiã etiam didicerunt. Consideraverunt enim, quòd *ex proprietate seu peculio tamquam ex venenosa radice multa peccata proveniant*, ut puta, contumacia, superbia, contentio, partialitas, avaritia, vana gloria, invidia, mendacium,

dacium, luxuria, occupatio, infructuosa cura, superflua multiplex dissolutio, varia mentis distractio, acedia, negligensque divini officii persolutio, atque similia. Quoniam *abundantes in peculio, ad resistendum suis Superioribus fiunt audaces, nec disciplinam & correptionem patienter suscipiunt, partialitates efficiunt, & interdum comessationibus & ebrietatibus vacant.* Ex quibus ad vitia carnis labuntur, & votum suum de castitate servanda sceleratissimè frangunt; sicque ad divina fiunt pigri, & acedioſi, opusque Dei negligenter persolvunt, atq; in innumerabiles defectuositates damnabiliter incidunt, non observantes silentium, & sæpe neque jejunium: nec ad commune refectorium veniunt; sicque quotidie magis excæcantur, & obdurantur *h i Pergit*;

VIII. Contingit quoque frequenter, quòd habentium peculium unus multò plus habet, quàm alius: quod non videtur consonare justitiæ; cùm bona Monasterii extent communia; tamen secundùm justitiam, unicuique secundùm indigentiam suam est tribuendum. *Cùm ergo tot vitiorum peculium sit origo, justissimum, valdeque necessarium est, ut Religiosis* secundùm Decreta Conciliorum, Decretales Summorum Pontificum, Sanctorumque Patrum Regulas *penitus auferatur.* Et si Religiosi libenter permitterent se à corporali; urgari veneno; incomparabiliter libentiùs debent habere, ut ab hoc speciali veneno, æternam damnationem inducente purgentur. *h. i.*

IX. Insuper probat hic Doctor, quòd magis nocet Religioso, habere usum peculii sine proprieta-

prietate civili, quàm habere proprietatem sine usu (*Patet in Religiosis Soc. Jesu, post vota biennii retinentibus suorum bonorum dominium radicale seu proprietatem, at sine usu libero, id est, dispositione independente à Superioris licentia.*) Ejus exemplum est ; quòd puero vel furioso non noceret proprium habere cultellum, dummodo non haberet libertatem, & facultatẽ utendi illo cultello: sed habere libertatẽ ad placitũ utendi communi cultello, esset furioso seu puero valde periculosum. Quemadmodum ergo stultum, & derisibile esset, si quis pater-familias prohiberet filio suo habere proprium cultellum, ne se læderet; nihilominus daret ei licentiam utendi ad plũacit communi cultello domus; sic stultum videtur, & derisibile, si Pater spiritualis Filio suo spirituali prohibeat possidere aliquod proprium ; & nihilominus assignat ei aliquam portionem de communibus bonis Conventus, conceditque ei usum illius portionis. *Quia libertas illa utendi illa portione est ei magis periculosa, quàm esset ei proprietas ejusdem portionis sine utendi licentia.* Quoniam usus, propter quem vitandum SS. Patres prohibuerunt proprietatem, est propinquior libertati utendi, quàm proprietati possidendi. Immo, quantum ad progressum de malo in malum, parum aut nihil refert, an habeatur usus sine proprietate, vel cum proprietate. Hoc ipsum ex illo adducit *Rodericius* p. 3 tr. 3. c 15.

Præterea quod amplius est, facile est considerare, quòd *Monachi habentes peculium sæpe immoderatiùs illo utuntur quàm sæculares & conjugati propriis rebus* : Conjugati quippe ob curam sta-

tui suo annexam, rebus suis frequenter satis moderatè multùmque parcè utuntur : Monachi verò habentes peculium, quia hujusmodi cura & onere non gravantur, nec, quod restat eis, in hereditatem suis relinquere possunt, rebus sibi concessis valde multoties immoderatè utuntur. *Hucusque cit. auctor à Dionys. Cartus.*

X. Idem in cit. Tr. c. 11. piè scribens de religiosa communitate, & malè sentiens de peculiaritate sic reverenter scribit de religiosiss. Ordine Cartus. ad aliorum Ordinum ædificationem, & imitationem, dum inquit: *Insuper attendite, quòd religiosiss. Ordo Cartus. ab exordio suo usque in hunc finem inconcussè servavit modum habendi omnia in communi: & per illum modum profecit in spiritualibus, & in temporalibus. Alia verò Religiones quoad Conventus, innumerabiles per peculia defecerũt & quotidie magis decrescunt in spiritualibus, & temporalibus; ut flebilis experientia docet.* Addit ib.

Sæpe accidit, quòd aliqui Conventus Ordinis Cartusiensis per sterilitates aut bella, aut alia infortunia depauperantur; non tamen modum vivendi de communi dimittunt, sed ipsum firmiter tenent, quacumque paupertate non obstante *Concludit.* Nemo ægrè ferat, quòd specialem facio mentionem de Ordine Cartusiensium: nam hoc ideo facio, quoniam propter regularem vitam & disciplinam in eo vigentes, ipse est rectè Regula & mensura aliarum Religionum. *h. i.*

Supposito ergo nunc, quòd *per se, & ex prima-va institutione Ordinum* non liceat habere peculium; quæritur in Capit. seq. an saltem *per accidens* liceat &c.

CAPUT

CAPUT XI.

De Reservatione applicativa & usuali alicujus peculis ante professionem, Religiosorum possidentium in communi, &c.

QUæres, *An possit dari interdum justa causa indirecta, ex qua possit professurus in Religionibus possidentibus reservare sibi peculium vel pensionem, de voluntate Superioris in usus licitos applicandam, si illud non excessivum, sed moderatum sit intra terminos religiosæ honestatis.*

R.1. Cum *P. Marchant.* in tribun. Tr. 2. tit. 1. q. 4. dub. 2. resol. 1. Tom. 3. Si accipiatur ly *Sibi* possessivè, sive ut possessionem indicat; nullus potest Novitius sibi ullum reservare peculium, reservatione possessiva; nec ad hoc illi ulla causa potest suffragari.

Ratio est; quia talis reservatio includit in se meram proprietatem, sive spectetur in dominio rei, sive in usu-fructu, sive in usu-juris. Monasterium autem potest in communi possidere; sed tunc non dicitur peculium. Si in communi non possit possidere, v. g. Fr. Minor. strictioris observantiæ, & Capucinorum; quid ab illis, & pro illis in legando, vel reservando possit, vel non possit fieri, vide resolutum exactè à dicto *Marchant.* lc. Qui & notat tres potissimum requiri conditiones, ut in ordinibus possidentibus professurus sibi aliqua reservare possit. 1. Causa justa & rationabilis. 2. Licentia & dependentia

realis, & non ficta à voluntate Superioris. 3. Voluntas Superiorum certa, & legitima.

R. 2. *affirm.* Ad totum quæsitum principale, cum cit. *March. Ludov. Miranda, Eligio Basseo Capuc.* &c. quibus etiam alii bonæ notæ Authores conscientiosi & docti hujus temporis adstipulantur; & praxis timoratorum Religiosorum, etiam Superiorum id permittentium, immo approbantium positivè. Interim, cùm quæstionis termini, & responsionis non sonent universalissimè, sed restrictè; oportebit eos singulatim expendere cum cit. *March.* Dicitur ergo 1. *Interdum*; non enim omni tempore, neque in omni circumstantia loci vel conditionis personarum hoc licet, ut dicatur justa causa; sed vg. vel ratione belli, aut caritatis annonæ, vini, frumenti, lanæ; item inter hæreticos vel infideles; si persona sit senex, vel debilis, & tamen Monasterio futura valde proficua &c. In his enim vel similibus circumstantiis, non tantùm jure poli, sed etiam jure humano leges interpretante, oritur justa causa reservandæ pensionis, & peculii usualis, quæ alio tempore, circumstantiâ, vel conditione personæ, non subsisteret.

Dicitur 2. *Justa causa*; quæ scil. juri divino & humano conformatur, & quæ ex æquitate, & principiis justis deducitur. De qua infra.

Dicit quidem *Navarrus*, posse tolerari peculium, ob grande bonum; sed *H. Casal* dicit non posse tale bonum prævalere bono communitatis religiosæ. Unde hic titulus solus non videtur

rur generaliter justificare concessionem peculiorum.

Dicitur 3. Indirecta; quia non ex directa exigentia naturæ status religiosi, sed ex obliqua, & velut accidentali circumstantia justificatur, vg. vel inopiæ monasterii, vel exordii adhuc pauperis, ideoque defectu communitatis perfectæ ibi necdum introductæ. In tali itaque casu, jure divino naturali permittente, immo jubente per media naturalia conservationem vitæ, similiter jure humano permittente pro conservatione honestatis statûs, licebit pensionem annuam super hereditate reservare, ne talis exponatur incertitudini honestæ alimentationis, & vestitionis. Quæ causa, ut palam est, non est *per se* annexa statui religioso, *hic enim potius exigeret, in quantum cœnobiticus est, ut communis vita communibus bonis, communi laboritio & corporali, & spiritali, communibusque velut stipendiis servetur, & traducatur.*

Dicitur 4. De voluntate Superioris; quæ debet esse *libera, prudens, discreta, charitativa*; ut sic indigentiæ subjecti prospiciat, quatenus tamen terminos honestatis religiosæ & sufficientiæ non excedat.

Dicitur 5. In usus licitos; ut abstrahatur hic à quæstione Theologica, quæ ventilat, an Superior etiam ad usus illicitos, inhonestos licentiam validè dare possit, tollendo scil. impedimentum in tali re usuali, quæ est *dissensus Superioris*, ratione cujus nequit validè à solemniter professo unquam expendi, seu alienari. Sufficit

autem

autem licentia Superioris (*per se loquendo*) imimplicita, præsumpta, interpretativa; de qua vide Casuistas, (nisi tamen Constitutiones Ordinis in casu aliud statuant,).

De peculio sic ritè circumstantionato ita inquit *H. Casal* p. 3. c. 13. *Conditiones & circumstantia, cum quibus in monasteriis peculium Ecclesia permittit, ultra hoc, quòd illud ita limitent, ut vix peculii nomen mereatur, etiam ad vitam communem proximè disponunt, & ad eam paulatim deducunt. Unde tali casu non modò peculium efficitur bonum & licitum, sed etiam in eo potest quis sanctè vivere, si velit.* h. i. Idem p. 4. c. 9. depositum ait permitti à Trid. & ab Ecclesia, dummodo vestiatur omnibus conditionibus: sed, utinam has omnes adjicerent, tunc non tam multa inordinata inde orirentur! Illi Religiosi virtuosè utuntur depositò, seu peculio, qui parati sunt, quantum est ex se, ut, si quid supersit post necessitates suas sublevatas, statim pro communi necessitate, aut alterius Fratris indigentia sublevanda impendatur.

NB. His stantibus ita; cùm peculia solùm liceat reservare *ex accidenti, & in casu*; hinc maximè providendum, & attendendum est tam Prælatis, quàm subditis, ne ex eorum usu fiat abusus; cujus periculum vix ab illo separari potest hoc tempore, maximè in ingeniis non multùm regulatis, ideoque pronis ad vitæ licentiam subinde exorbitantem. O! utinam hæc vera non essent! *Præstaret*, secundùm dictum *S. Bonav.* suprà citatum, *tales Religiosos ibi non esse, ubi*

ubi vel non volunt, vel non possunt vivere ut Religiosi; ne non solùm ipsi pereant, sed & mundani scandalizentur ab ipsis, & pervertantur.

Cum quo manet (hoc pace omnium dixerim) quòd illæ Religiones minus periculi habeant, plusque laudis coram Deo, & hominibus, qui peculia non admittunt, ne Religio scissuram, aut notam patiatur, aut sensim ad laxitatem dilabatur.

Non tamen quicumque ineptè colligere audebit ex suprà data responsione, quòd, dum ex tali justa causa permittitur peculium intra terminos religiosæ honestatis, etiam eo ipso talibus religiosis desuper concedatur absolutum jus expendendi in qualescumque usus, aut sine dependentia à Superioris licentia, contra laudabiles Ordinum consuetudines. *Nec hoc ipso* datur facultas thesauros coacervandi, & sine termino quasi divitias sibi privatim corradendi, quovis modo, &c. Hæc enim omnia præexclusa sunt; ne mentiatur ulli iniquitas, dum solùm patrocinari debet vera, & non palliata necessitas.

* * *

CA-

CAPUT XII.

De concessione peculii usualis, an licita Religioso post ejus professionem.

N. Peculium vocatur usuale, eò, quòd non nisi merum usum facti circa illud habeat particularis Religiosus. Est autem hic usus vel *actus transeuntis*; vg. pro certa itineratione, pro tractatione amicorum, &c. vel insuper *actus* aliquo modo *permanentis*, vel redeuntis, seu iterabilis, vg. pro sustentatione in studiis extra monasterium, pro equitatione toties, quoties; pro exceptione amicorum, quoties venerint, &c. Si loquamur de peculio concesso ad actum merè transeuntem, etiam concedi potest in Ordinibus, in quibus est perfecta communitas. vg. Amicus petit præsentiam sui cognati in monasterio habitantis multùm dissito: offert se ad dandum ei sufficiens viaticum pro itinere trium dierum conficiendo: In quo casu P. Prior talis Patris licitè ei talem pecuniam tamquam usuale peculium pro actu sic transeunte indulget; quia nil potest obstare. Quæstio ergo difficilior est de usu ad actum permanentem, durantem, seu redeuntem; ita ut interim illa peculii pecunia quietè conservetur, aliquo modo distincta à communi pecunia conventûs, pro tali fine; vg. toties, quoties in sua debilitate in naturæ confortationem, seu medicinam, vel alia singulariter necessaria conquirat, & extrahat.

In priore cap. quæsitum & resolutum fuit, an possit Religiosus, antequam profiteatur, dum de suis bonis, duobus mensibus ante professionem, juxta præscriptum S. Concilii Trid. facit dispositionem, tunc simul sibi præexcipere, & sibi reservare aliquod annuum peculium pro necessitatibus suis post professionem obventuris sublevandis. In hoc autem cap. quæritur aliquid aliud, scil.

Q. 1. *An interdum licitè possit Superior Regularis, etiam post Concil. Trid. concedere suis Regularibus usum-simplicem facti, peculii in re aliqua mobili vel immobili, ad Conventum pertinente.*

R. affirm. cum *P. March.* lc. *Bassæo* & aliis; attamen servatis VII. conditionibus. I. Ut sit causa necessaria, & justa. II. Ut res, quæ conceditur ad usum, & modus utendi, respectu personæ, cui conceditur, moderantiam & modestiam status religiosi non excedant. III. Ut usus sit verè revocabilis ad nutum Superioris, & omnino ab ejus voluntate dependens (salvis tamen particularibus singulorum Ordinum Constitutionibus). IV. Ut sit Conventui aliquo modo incorporata. V. Ut in usus non nisi licitos insumi possit. VI. Ut apud Conventûs depositarium reservetur, ab eoque administretur. VII. Ut per Conventûs Officiales exponatur, & non per ipsosmet Religiosos indigentes, pro eorum necessitatibus sublevandis; sitque ad usus certos ac determinatos. *Bassæus rigidior poscit 10. conditiones.* In his consistit totus cardo peculiorum,

quæ

quæ sive ex corruptela, sive ex necessitate, & justa causa conceduntur. Si enim vel modicùm ab his VII. conditionibus recedatur, tamquam terminis securitatis, non sine peccato conceduntur, tam ex parte conditionis, quàm eorum, quibus conceduntur. Si verò intra terminos illos concedantur, & eorum usus non declinet; tam concedens, quàm is, qui utitur, in conscientia à transgressione liberi sunt. h. i. (*NB. Responsio non habet locum in illis Ordinibus, in quibus est exacta vita communis, simulque specialis inhibitio talis peculii concedendi; quæ laudabilissima est*). De ulteriùs requisitis, ut licitè habeatur peculium seu depositum, vide infrà c. 19. q. 3. R. 3.

Quòd autem peculium hoc usuale, seu ad simplicem usum-facti concessum, in nullo adversetur S. paupertatis voto, nec paupertatis statui, nec antiquis Canonibus, nec S. Concilio Trident. *Probat* I. *cit. March.* quia 1. nullam proprietatem inducit, nec juris possessionem, nec aliquam retentionem extra Superioris manus, nec aliquid quod sit extra corpus Conventûs (nam necessariò debet vel priùs esse incorporatum, vel pro tunc incorporari Conventui, ut vult Concil. Trid. alioquin esset extra limites facultatis Superioris); ideoque dicit tantùm simplicem facti-usum ad nutũ Superioris illius, cum omni dependentia vera, non autem solâ verbali, aut fictitiâ; ut supponitur.

II. Quia, qui tali peculio utitur, propriè non habet rei administrationem (veritam non officialibus

libus à S. Concil. Trid.) ut de ea disponere possit, sed censetur simpliciter uti re sibi per Superiorem ad usum intra terminos paupertatis religiosæ concessâ, vel etiam per Officiales administranda, & pro eo ab ipsis expendenda.

III. Quia talis peculii usus non excedit modũ à Tridentino citando concessum; supponitur autem ob justam causam & necessariam, & modo omnino congruenti permissus; prout magis explicabitur in sequentibus.

Probatur 2. principalis responsio; quia de facto (permittente Summo Pontifice) in Ordinibus, in quibus non viget vita exactè communis, permittitur perfecta forma ærarii, seu arcæ trium clavium, cui Religiosi singuli privatas eleëmosynas, acceptas vel occasione concionum (prout in Italia) vel laboritii spiritalis, seu corporalis, alteriusve tituli, justo & licito modo obvenientes, cum debita licentia Superioris, religioso quoque moderamine quoad quantitatem pecuniæ inferendæ, &c. *Supposito itidem*, quòd privatæ singulorum eleëmosynæ debeant incorporari, & confundi, dum hoc Religionis Constitutiones præcipiunt (de quo in Decreto S. C. visitat. Apostol. in Constit. Urban.) servatisque aliis conditionibus à constitutionibus Ordinis præscriptis, inferre debent, ad finem subveniendi inde suis privatis religiosis necessitatibus. NB. Hæc forma ærarii quidem permittitur nunc, & permissa fuit à Summis Pontificibus; attamen abusus semper cum pia cautela fuerunt odibiles, proscripti, & ùt damnabiles inhibiti ab illis. Utinam

tinam possent quoque omnes inordinationes præcaveri, quæ inde indirectè oriuntur, maximè in illis Religionibus, ubi pauci habent provisiones tales, aut eleëmosynas particulares, quas dicto ærario inferant; proinde valde miseri sunt, si Conventus eis suppeditare nequeat. De quo sat actum supra in primo libro. Summi Pontifices quidem (prout suprà dictum) permiserunt dictum ærarium, tamquam dispositionem præviam ad *vitam perfectè communem*, tamquam *terminum ad quem*: sed; durabitne perpetuò hæc dispositio? an terminus ad quem numquam introducetur? Dubio procul ex intentione Summorum Pontificum hoc eruitur, quòd *dispositio* hæc toleretur ideo, ut in nobis *dispositio* animi, & seria resolutio excitetur, contendendi ad terminum principalem; (tam diu desideratum, tam anxiè à multis quæsitum, tam solicitè concupitum, sed, eheu! necdum plenè ab omnibus inventum;) alioquin non permitteretur ùt *dispositio*. Si ipsi religiosi non connitantur cum hac dispositione, certè ipsa *dispositio* se ipsam non perficiet, nec perducet ad terminum principalem.

* * *

* *

CA-

CAPUT XIII.

De Decretis S. Concilii Trident. ac S. Congregationis DD. Eminentiss. Cardinalium circa usum, vel abusum peculiorum usualium apud Religiosos.

I. S. Concil. Trid. sess. 25. de Regularibus c. 1. *Hoc decreto præcipit, ut omnes Regulares tam viri, quàm mulieres, ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant: atque in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, ùt obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum respectivè essentiam, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent.* h. i.

II. Idem S. Concil. Trid. c. 2. proprietatem eliminat, de usu mobilium ordinat &c. *Nemini igitur Regularium, tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventûs possidere vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.*

Nec deinceps liceat Superioribus, bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut

commendam. Administratio autem bonorum Monasterii, seu Conventuum ad solos Officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amovibiles pertineat.

Mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat; nihilque superflui in ea sit: nihil etiam, quod necessarium, eis denegetur. Quòd si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activa & passiva voce privatus sit, atque etiam juxta suæ Regulæ, & Ordinis Constitutiones puniatur. h. i. Circa quod Concilii Trid. decretum

III. *N.* ex cit. *Marchant.* Contra aliquos, quos ipse citat, quòd Tridentinum in hoc ultimo cit. decreto non constituerit novum jus, id est, præcepta nova; sed jus antiquum, & præcepta antiqua, in essentia voti paupertatis, & substantia, ac concomitantibus statum religiosum ex natura sua contenta *innovasse, & contra abusus, qui irrepserant, denuò declarasse ait*; & propter hos abolendos utitur his verbis, *Nec deinceps liceat*, &c. Non enim potuerunt Superiores ante Concil. Trid. peculium (de quo in præced. cap.) concedere, nisi eodem modo, & iisdem conditionibus, quibus modò possunt, & quas ibi recensui. Quia talis concessio aliter facta (ut dictat rectæ rationis congruentia) omnino repugnat vel voto paupertatis, vel ei annexis virtutibus, vel statui religioso; ut ex supradictis colligi satis potest. Unde cit. Author ponit etiam hanc

Regu-

Regulam Generalem. Quòd Religioſus profeſſus, quicumquè notabiliter modum excedit in uſu rerum ſibi conceſſarum, in abundantia, ſive ſuperfluitate, curioſitate, pretioſitate, peccet mortaliter; ſicut & Superior, qui ſciens & volens id permittit. Hanc ſuam Regulam ipſe quidem non ſufficienter probat; attamen non obſcurè deducere quis poteſt ex textu Concil. cit. *Interim arbitror ego*, quòd fortè pauci circa talem abuſum faciant ſibi magnum ſcrupulum. Nam in opulentis Monaſteriis talia non multum æſtimantur (dum non eſt caritas annonæ &c.) in Conventibus autem tenuibus talia non niſi cum ſufficientia religioſa & parcitate erogantur; ut locus non detur abuſui *ſaltem communiter*; quod addo: nam neutiquam dubito, quin ſubinde exceſſus, & prodigalitas ab aliquibus committatur in abuſu temporalium ſubſidiorum, *quæ, cùm Deus conceſſerit homini in ſubſidium vitæ, ipſi inſumunt in pabulum culpæ*; dum nocent proprio corpori & animæ, abbreviant dies vitæ, impediunt operationes & functiones naturæ ordinatæ, propriæ obſunt famæ, corpus ſuum ſubtrahunt Religionis bono, variis tandem infirmitatibus in ſenecta ſubjiciendum.

IV. Circa legitimam intelligentiam prædicti decreti, aût explicationem, ſeu declarationem, neutiquam privati cujuslibet judicium præſumptuosè admitti poteſt: at Declarationes Eminentiſſ. DD. Cardinalium omnino admitti debent, quarũ unam refert in Summa Bullarum.

V. *Casus reservati*, *Stephanus Quaranta* (ex quo citant *Bartoluc.* & *Marchant.* aliique) in qua septem quæstiones septem responsionibus à S. Congregatione, subsignante *Em. Cardinale Hier. Matthæo*, & sigillo suo eas confirmante, resolvuntur sequenti modo.

Prima. *An ex dispensatione inferiorum sub Summo Pontifice, liceat Regularibus possidere, vel tenere agros, annuos redditus, aliaque bona immobilia videlicet & superflua, non obstante decreto Concilii Trid. sess. 25. de Regular. c. 2.* R. ad primum. *Congregatio Concilii respondit non licere.*

Secunda. *An propter talem dispensationem, seu scientiam Superiorum, possidentes vel tenentes immobilia, vel mobilia superflua, à culpa vel pœna excusentur.* R. ad secundum, *non excusari neque à culpa, neque à pœna ipso facto incurrenda.*

Tertia. *An Superioribus asseverantibus, hujusmodi licentias se posse concedere, fides adhibenda sit.* R. ad tertium, *minimè adhibendam.*

Quarta. *An Superiorum arbitrio, & præfinitioni stare debeant Regulares quoad mobilium superfluitatem, & convenientiam.* Responsum, *nisi de excessu arbitrii constiterit, utique stare debere, habitâ videlicet ratione personæ, officii, & Regulæ, statûsque paupertatis, quam professi sunt, ceterarumque itidem qualitatum.*

Quinta. *An Superiore quantumvis requisito, necessaria suis Regularibus negante, vel subtrahente, liceat ipsis clam, vel eô invitô, illa sibi*

sibi comparare, vel retinere. Responsum, *non licere.*

Sexta. *Et quatenus liceat. An itidem liceat, cùm necessaria ideo negantur, vel subtrahuntur, quia Monasterii facultates non suppetunt.* Responsum, *licere, si præcisa necessitas sit ad individui sustentationem. Cæterùm communem pecuniam ab omnibus præcipiendam usque adeo, ut, si quid privatum alicui delatum, vel ab ipso partum fuerit, id omne ad Superiorem rectè deferri oporteat, qui ex eo primùm succurrat ejus necessitati, cujus intuitu illud obvenerit, si peculiari aliqua necessitate ultra communem prematur, reliquum verò Conventui incorporetur, & in communem cedat utilitatem.*

Septima. *An dicti Superiores Regulares dictum caput secundum declarare, & interpretari possint.* Responsum, *non posse.*

Ex his infert cit. Marchant. I. Quòd Superior se accommodare teneatur intentioni benefactoris, offerentis aliquid pro subsidio privati Religiosi (si tamen honesta sit, & bene circumstantionata) Religioso illi primò providendo, pro cujus necessitate sublevanda res est concessa; nisi aliud justa ratio suadeat, quæ in fideli epikeia contineatur.

II. Circa paupertatis votum sæpe multos abusus committi, procurante fallacia humanæ imaginationis; dum Regulares procurant subdolis modis sibi dari, concedi, legari nonnulla sub conditionibus illegitimis, quasi independenter, & excluſa voluntate, ac libera dispositione Su-

periorum, illis ad placitum uti possent: quæstiones & lites movent: amicos & benefactores ad illicita vel illegitima concitant, ut sua libertate utentes, in proprietatis barathrum se præcipitent.

III. Qui abusus specialiùs Moniales contingunt in dotibus, pensionibus, munusculis, & aliis similibus: nec desunt aliquando in falsis Fratribus, & Religiosis. Hinc usum simplicem facti in usum-juris, & usum-fructum convertunt, dum depositum sibi tamquam debitum exigunt, ad nutum suum expendi volunt, & in usus quoscumque, etiam extra terminos frugalitatis religiosæ distrahunt: aliquid in istis immutari à Superioribus non sustinent, administratione Officialium contenti non sunt: quin & ad ultimum usque denarium sibi velut computum reddi inverecundè cupiunt: fundationes Missarum sibi vel parentibus ex iis pecuniis ad multos annos fieri procurant, & Monasteria sua gravant, & signa ac incentiva proprietatum ceteris post mortem relinquunt.

IV. Quibus abusibus, Superiores condescendunt, sive ex nimia indulgentia, aut obligationis suæ ignorantia, sive pusillanimitate; quia eorum molestias pati nolunt. Grave quidem jugum Superioribus, qui & oves sibi concreditas in peccatis relinquunt, & difformationi Religionum viam aperiunt, eamque prætextu necessitatum fovent. *Hucusque*

P. Marchant.

CA-

CAPUT XIV.

De aliis Declarationibus Eminentiſſ. DD. Cardinalium circa uſum vel abuſum peculiorum, licitum vel illicitum Religioſis.

NB. In Concilio Trid. poſt c. 2. ſeſſ. 25. de Regularibus habentur hæ Declarationes partialium textuum præfati Capitis.

I. *Nemini igitur Regularium &c.* Regulares tam feminæ, quàm maſculi non poſſunt tenere propria, ſed omnia dare debent ſuis Superioribus; per quos provideatur primò, ut ſubveniatur neceſſitatibus earum, vel eorum, quibus munera deſtinata fuerunt.

II. *Poſſidere, vel tenere &c.* Moniales tamquam proprium poſſidere nihil poſſunt etiam de eo, quod ſuis manibus laborando acquirunt, vel eis à parentibus donatur; etiam hoc poſitô, quòd Monaſterium eſſet nuperrimum.

III. *Superiori tradantur* &c. Moniales & Regulares ceteri res etiam parvi momenti ſibi donatas, aut aliàs acquiſitas, uti proprias retinere non poſſunt; ſed Superiori reſiguandæ ſunt.

IV. *Conventui incorporentur.* Quidquid ſingulæ Moniales quocumque titulo acquiſierint, totum ad Abbatiſſæ manus deferri oportet: quæ in primis ex hujuſmodi acquiſitionibus ſubveniat arbitrio ſuo neceſſitatibus illius Monialis, cujus operâ, vel contemplatione fuerunt datæ: quod verò reliquum erit, *Convertat in communem u-*

ſum totius Monaſterii. Curabit, ut victus Monialium quotidianus *communis* ſit & in coctura, & in uſu.

V. *Nec deinceps liceat Superioribus &c.* Ex diſpoſitione inferiorum Summi Pontificis, non licet Regularibus poſſidere vel tenere agros, annuos redditus, aliaque bona immobilia ſuperflua, obſtante hoc Decreto.

VI. *Nihilque ſuperflui in ea ſit.* Superiorum arbitrio & præfinitioni ſtare debent Regulares quoad mobilium ſuperfluitatem vel convenientiam, niſi de exceſſu arbitrii conſtiterit, habita videlicet ratione perſonæ, officii, & regularis ſtatus, paupertatiſque, quam profeſſi ſunt, & ceterarum itidem qualitatum.

VII. *Nihil etiam quod ſit neceſſarium, eis denegetur.* Superiore quantumvis requiſito, neceſſaria ſuis Regularibus negante, vel ſubtrahente, licet ipſis clam, vel eo invito, illa ſibi comparare, ſeu retinere, etiamſi ideo neceſſaria negentur, quia Monaſterii facultates non ſuppetunt, ſi præfata neceſſitas ſit ad individui ſuſtentationem.

NB. *Superiores hoc caput declarare, & interpretari non poſſunt* h. i.

VIII. *Biennio activa & paſſiva voce privatus ſit.* In omnibus actibus Capitularibus, non tamen in electionibus hoc intelligitur.

IX. Circa abuſum peculiorum, idem *Stephanus Quaranta* citat quaſdam S. Congregationis reſponſiones præter ſupra citatas, his verbis.

In aliquibus Monaſteriis Monialium reperiuntur nonnullæ Moniales, quæ cenſus, & annuos quoſdam reddi-

redditus, proventus, seu fructus percipiunt sub diversis contractuum speciebus. Nam 1. aliquæ in ipsarum persona emerunt certos redditus à personis Laicis. 2. Aliquæ ab aliis Monialibus 3. Aliquæ ab ipsis Monasteriis. 4. Aliæ verò dederunt pecuniam Monasterio, ut ex earum pecuniis fieret emptio nomine Monasterii ad rationem septem, vel octo pro centenario, & Abbatissæ dabant dictis Monialibus illos redditus, quos ex dictis emptionibus exigebant singulis annis. 5. Aliquæ Monasteriis seu eorum Superioribus certas pecuniarum summas manualiter, pro monasterii indigentiis dederunt; pacto adjecto, vel etiam tacita conventione adhibibita, ut Monasterium seu Abbatissa certos redditus ad rationem tot pro centenario, earum vita durante, concedat.

Quæritur, *An in hujusmodi casibus liceat Monialibus dictos redditus, fructus & proventus percipere, absque incursu proprietatis, vel potius tamquam proprietariæ incurrant pœnas per Concil. Trid. sess. 25. c. 2. de Regular. proprietariis inflictas, etiamsi de licentia Abbatissæ, & ad Abbatissæ nutum, vel Conventus seu Monasterii nomine percipiant.*

Congregatio Concilii censuit, *in nullo prædictorum casuum licere Monialibus dictos fructus seu redditus percipere, & si perceperint, incidere in pœnas; positas Decreto d. c. 2 sess 25. de Reg. Neque ab hujusmodi pœnis excusari ob licentiã Abbatissæ, quæ etiam dicti Concilii Decreto in supra dictis casibus concedere quidem prohibetur; sed debet pro suo munere, ex Monasterii redditibus & eleemosynis*

Monia-

Monialium necessitatibus indies subvenire. Signatum erat, *Hieronymus Cardin. Matthæus*, sigillo adjuncto.

CAPUT XV.

De causa, seu occasione introductionis peculiorum apud Religiosos &c.

COnstat ex suprà dictis, quòd status Religiosus vi primævæ institutionis suæ, & intentionis suorum Fundatorum, potius habeat annexam vitæ communitatem, quàm peculiaritatem. Unde hæc ergo venerunt zizania, quæ sementem virtutum religiosarum, immo & bonæ voluntatis modicum superstes granulum in agro S. Religionis frequenter ita suffocent? Respondeo meritò: *inimicus homo hoc fecit*, dum hac via (quæ primitus quidem videbatur recta) omne malum latenter & pedetentim in Religiosos aliquos Ordines irrepsit. Fateor quidem verissimum dixisse *Laurent. de Peyrinis* Tom. 1. de subdito q. 2. c. 2. §. 1. coll. 3. dum sic inquit: *Ex negligentia Prælatorum oritur Religionum dissipatio, & Religiosorum perditio.* h. i. At negligentia illorum ideo culpanda est, quoniam irrepens malum non conantur ab initio præfocare, & vulpeculas, quæ demoliri sensim attentant vineas Religionum, capere, dum adhuc vulpeculæ sunt, & eas facilè allidere ad petram rectæ rationis, & præscriptæ Regulæ possent. De his.

Quæres, quænam obstent specialiter religiosæ pauper-

paupertati, fecerintque ac faciant adhuc aditum ad periculosa peculia. Præter alias jam tum suprà relatas, v. g. inopiam Monasteriorum, recens exordium, infortunia per bella, grandinem, furta, infortunia &c. quæ sunt quasi causæ, seu occasiones extrinsecæ, sunt aliæ quasi intrinsecæ, id est, ex vitio Religiosorum ortum trahentes. De quibus

R. 1. Quòd sequentia potissimum. *Primum* est congenita nobis corrupta seu inordinata cupiditas, quâ homo appetit habere plura, peculiaria, superflua, quibus non indiget; quam & ideo comitatur innata superbia, qua quærit aliis non minor esse, eminere, dominari, apud eos honorificum sibi nomen conciliare, inordinatè placere: & quia hoc Monachus non sinitur, sed prohibetur facere ex communibus, hinc quærit privata seu peculiaria.

R. 2. Alia recenset *Peyrinis* cit. & est II. Religiosorum multitudo; quibus dum non potest ex communibus provideri sufficienter, quærunt peculiaria. Et inter multos multi imperfecti inveniuntur, vel fiunt, naturâ semper ad inferiora tendente, dum multi nequeunt tam ritè gubernari, quàm pauci.

III. Desiderium domos ædificandi, & ampliandi, Prælatos solicitans: cui ut satisfaciant, subditis necessaria denegant. Dolus hic diaboli est enitentis, ut minora majoribus præponantur, & levia incõmoda graviſſimis malis curentur. Leve enim incommodum est, si domus non sit plenè ædificata; magnum verò malum, si paupertas non vigeat, & chari-

charitas, ac paterna providentia, ædificiorum causâ, deficiat. *Hugo de Clauſtr.* l. 2. c. 4. ædificia Fratrum non ſuperflua ſint, ſed humilia, non voluptuoſa ſed honeſta. Utilis eſt lapis in ſtructura; ſed quid prodeſt celatura?

IV. Nimia cura in ſacris templi vaſis & ornamentis, ac aliis paramentis emendis. Sacra templa fulgeant; at ita, ut pauperes Chriſti non algeant. Præceptum præponitur conſilio.

V. Quorumdam Prælatorum ingenium durum & immiſericors, qui cùm ipſi robuſti ſint, omnes ſua duritie metiuntur: neſciunt infirmis compati, nec delicatorum miſereri. His nihil aliud eſt dicendum, niſi quòd Prælati eſſe diſcant, & ſe Patres aliorum cognoſcant, & divina judicia formident; nam ſolet Deus duris duros Prælatos mittere, qui eos tempore ſenectutis & neceſſitatis immiſericorditer tractent, & in ſuis ægritudinibus tribulent. *S. Bonav.* de 6. Alis Seraphim c. 14. *Bonus Prælatus agnoſcit ſe Fratrum ſuorum Patrem non Dominum: exhibet ſe eis medicum, non tyrannum: nec reputat eos ùt jumenta ſua, vel ſervos emptionis, ſed ùt filios hereditatis ſuperna conſortes: facit eis, ſicut vellet ſibi fieri, ſi ſimiliter indigeret. Sed fortes, & ſani non ſentiunt, quæ ſentit æger; ideo neſciunt ei compati, ſcient autem poſtea, cum dolebunt.* h. i.

VI. Avidiſſima cupiditas nova Monaſteria ædificandi. Acutiſſimus aſtus diaboli! Ajunt enim Prælati, ſe hoc facere ad Religionem ampliandam, ad quod ex officio tenentur; & ut tranſeuntibus Fratribus hoſpitium ſit in qualibet civi-

tate

tate & pago. Sed latet anguis in herba. Cùm enim in quamplurimis pagulis, in quib° isti Conventus sumuntur, vigeat in octavo gradu paupertas, & ita, ut vix sibi ipsis coloni diu noctuque laborantes sufficiant, nequaquam possunt commodè Religiosos ibi commorantes sustentare. Unde coguntur ii in tam parvo numero habitare, ut, moraliter loquendo, sit impossibile, ut vitam & disciplinam regularem observent. Vel coguntur ita ostiatim mendicare, ut potiùs continui cursores, & eleemosynarum quæstores sint nuncupandi, quàm Religiosi: & potiùs videantur ibi stare ad victũ sibi quærendũ, quàm ad Deo serviendum: inde Religiosorum vilipendium. NB. h. i.

Unde *S. Bonav.* in epist. ad Provinciales sui Ordinis, *Frequentia discursus*, ait, *& importunitas quæstus, viles nos efficiunt, & graves.* Et in exposit. Regl. c. 6. *Quando nimis urgemus homines ad dandum, perdunt devotionem priùs ad nos habitam; quòd nec de prædicatione, neque exemplis, nec aliis quæ facimus, ædificantur. Unde cùm vident nos accedere, terrentur, & timent, quòd aliquid velimus ab eis expetere, quod grave sit eis dare, & erubescunt negare: &, si dederint non libenter, minus merentur, & sic rebus, & devotionibus privantur. h. i.* Inde sibi quisque quærit peculium, ut possit suis necessitatibus subvenire, si quando contigerit, eum ad talia loca inhabitanda mitti.

VII. Ad illud autem, quod dicunt, se hos Conventus sumere pro hospitiis; Dico, quod incidit in scyllam, qui vult vitare charybdim. Et

quod

quod ex duobus malis id quod est minus, semper est eligendum. Et ego puto minus malum, per unam noctem pernoctare in caupona, seu etiam in alia devotorum domo, quàm permittere, ut duo vel tres, aut quatuor fratres habitent in istis tuguriis absque disciplina, absque timore, absque obedientia. Ubi enim sunt tantùm duo vel tres, unusquisque facit, quæ sibi placita sunt. Inde scandala, relaxationes paupertatis, & aliorum votorum. Et taliter assueti si deinde reducantur ad Conventus, in quibus vigeat regularis disciplina, jam fractô jugô, ruptis vinculis, eis subjici ampliùs non possunt. Quod malum si considerarent, & ponderarent Prælati, equidem tot tuguria vel relinquerent, vel non susciperent. *h. i.*

VIII. *Inquiunt etiam*; isti Conventus erunt aliquando boni, licèt nunc non ita.

R. Erunt boni, quando Religio erit mala & relaxata. *Replicant*: Sumimus, ut proximos adjuvemus. *R.* At nescio, quæ charitas, proximum adjuvare cum propriæ salutis dispendio? Reddite, inquiet Dominus in illa die, rationem villicationis vestræ, non proximi vestri. Adjuvare tenemur proximũ post nos ipsos, non ante nos. *h. i.*

Quare sanctissimum fuit illud Decretum SS. D. N. Papæ Clem. VIII. Pauli V. & Gregorii XV. quòd non reciperent Conventus, in quibus commodè XII. Fratres sustentari non possent. Et utinam fuisset additum, ut illa Monasteria jam recepta, in quibus dictus numerus non potest sustentari, vel non est saltem probabilissima spes, quòd de brevi poterit, dimitterentur! h. i. *Interim*

rim de his vide Const. Urban. in quibus sit exceptio.

R. 3. Subinde etiam hæ causæ præstant occasionem peculiorum, videl. I. Superiorum deliciositas, dum paucis, & communibus nolunt esse contenti; quapropter justam subditorum contra se suscitant indignationem ac murmurationem; qui dum onera Monasterii in choro & claustro sustinent, miserè reficiuntur, ita, ut Superior uno die plus sine causa sufficiente insumat, quàm illi omnes collectim tribus diebus. Quapropter sibi provident de privatis & peculiis, & refectiunculis.

II. Subditorum deliciositas, qui nolunt esse modicis contenti; hinc &c.

III. Superiorum, æquè ac subditorum fastus; ex quo fiunt sibi præ aliis plus quid arrogantes; hinc peculiaria sibi quæritantes, & reservantes: Et quando ex eorum sumptuositate Monasterium fit egenum, jam ampliorem sibi vendicant causam peculia coacervandi.

IV. Nimia conversatio cum sæcularibus, & cupiditas placendi eis. Quocirca quærunt dare munuscula in & extra Monasterium; quæ ut habeant, vident ubi accipiant, vel à Monasterio auferentes, vel à sæcularibus quæritantes, vel alia arte expracticantes.

V. Otium. Cui dediti quærunt occasionem ludendi, bibendi, jocandi, fabulis, nugis, & compotationibus tempus impendendi &c. Ad quem finem provident sibi de peculio, cùm ad illum communitas non sit parata suffragari, nec utique debeat; nisi furto velint ab ea surripere.

VI. Ante omnia tepor in Religione pandit viâ ad omne malum. Hoc abducti, non satagunt facere in Religione id, ob quod venerunt ad illam; sed, sicuti cor sæculare numquam ex toto deposuerunt, ita sæcularibus desideriis,& sæculari conversatione se in omnibus conantur sæcularibus conformare, non curantes, immo nec intelligentes S. paupertatis votum, obligationemque ejus. Prô dolor! subinde nimis verum est tritum adagium: *Quidquid agit mundus monachus vult esse secundo*: Væ autem monacho, si velit esse *Primus*.

CAP. XVI.

De triplici vitioso genere peculiaristarum.

I. DE peculiaristis in conscientia sua securis (de quibus suprà) hic non agam. Accidit autem, quòd actus peculiaristæ sit vitiosus ex triplici capite disjunctivè sumendo: vel enim actus ejus (alioquin ex se bonus, aut saltem indifferens, & excusabilis.) 1. Inficitur ab objecto, utpote incongruo, superfluo, prohibito; vel 2. ab intentione, quia nim. proprietario animo sibi peculium reservavit; vel 3. à modo, quo utitur peculio, nimio affectu inhærendo, propugnando, expendĕdo, augendo, amissionem timendo &c De quibus *P. à S. Audomaro* in orat. contra proprietarios, ait: *Nonne passim videmus eos sementes, & vendentes, ac in sympositis è suis crumenulis pecunias proferentes? ad instar sæcularium bursas nummis turgentes ostentantes, sese ridiculè de sacculis & loculis jactitãtes!*

tis? &c. Subdit, quòd quidam Priorum feratur dixisse: *Tot Fratres perdidi, quot ad moniales misi.* Horrendum dictu, & auditu! *tot, quot!* volebat dicere: libertas, quæ confessariis Monialium major favet, ipsos à paupertate subinde alienos efficit, in pecuniæ abusu, religiosæ sufficientiæ neglectu, ementito nitoris fastu, & incongruo corporis cultu. At de Confessariis timoratis hoc minimè præsumendum.

II. Exim. *P. Christianus Lupus* lc. à *Zegnero* cit. sic discurrit. *Joannes Cassianus* 7. l. monast. institut. tres distinguit proprietariorum classes. Triplex est hujus invaletudinis morbus, qui ab universis patribus æquali detestatione damnatur. *Unus hic*, qui deinceps miserabiles quosque, ea, quæ ne antea quidem cùm in sæculo degerent, possidebant, *congregare* persuadet. *Alius*, qui hæc, quæ in primordiis suæ renuntiationis abjecerant, postea resumere, ac rursum desiderare compellit. Tertius, qui initio malo, vitioso que contractu, & ab imperfectione incipiens, eos, quos semel hoc tepore mentis infecerit, paupertatis, ac diffidentiæ timore perterritos, spoliare se cunctis mundi facultatibus non sinit, eosque pecunias, vel substantias, quas utique renuntiantes abjicere debuerant, reservantes, ad evangelicam perfectionem numquam pervenire concedit.

III. *Tertia itaque classis* sunt illi, qui omnia quidē sua Monasterio dant, aut pauperibus, sed sibi aliquam reservant vitalitiam pensionem aut censū. Ipsorum exordium est animo vitiosum. Monastica quippe professio non est aliud, quàm omnium

temporalium abrenuntiatio. Atque ita adversum illos rectè dixit in 3tia collatione *Abbas Pafnutius*: necdum evangelicum implet mandatum, qui animo sibi adhuc ex suis facultatibus aliquid reservat, sicut nonnulli tepidorum faciunt: utroq; enim pede claudicant; *nec Monachum induunt, nec sæcularem deponunt.* Unde adversus Syncleticum ex Senatore Monachum ejusmodi scripsit *Magnus Basilius*: *& Senatorem perdidisti, & Monachum non fecisti.* Quod dictum prædicat, & ejus causam nobiscum laudat *Cassianus*, dicens: quædam sibi de propriis facultatibus Syncleticus reservârat: rectè asserit, illos ad evangelicam perfectionem numquam pervenire; captivi enim manent sub Philargyria omnium vitiorum matre ac nutrice, *quam quidam appetentes etiam à fide erraverunt.* l. 1. subdit.

IV. Ex ipsa pauperes Fratres despiciunt, cum plena humilitate non subjacent Præpositis, divina officia fastidiunt, operari nolunt, ad licentiosum alicujus privilegii aut præeminentiæ in Monasterio locum quavis arte adspirant, ac se intrudunt; communi alimentorum ac vestium sorte contenti non sunt; atque ita Cœnobia sua pedetentim transvertunt in illam *Coludensis apud Anglos Monasterii* miserabilem formam, quam in Anglicana *Venerabilis Bedæ* historia describit Religiosus *Presbyter Adamandus*, sic inquiens: *Domunculæ, quæ ad orandum vel legendum factæ erant, nunc in comessationum, potationum, fabulationum, & ceterarum sunt illecebrarum cubilia conversæ.* Quomodo speluncam hanc immissus

immissus ab irato Deo ignis eradicaverit, pluribus narrat laudatus *V. Beda*. Factū asserit ob excessus præsertim illorum, qui majores esse videbantur. Et concludit: hæc ideo nostræ historiæ inserenda credidimus, ut admoneremus lectorem operum Domini, quàm terribilis sit in consiliis super filios hominum; ne fortè nos tepore aliquo carnis illecebris servientes, minusque Dei judicium formidantes repentina ira ejus corripiat, & vel temporalibus damnis justè sæviens affligat, vel ad perpetuam damnationem districtiùs examinans tollat. *h. i.*

V. *Subdit P. Lupus*, grandem apud suos Monachum, ob similes vanitates fuisse visibiliter deportatum ad inferos, & Cayphæ, ac aliis Domini occisoribus adjunctum, narrat in eadem historia. Et denuo concludit: Factum est hoc nuper in Provincia Bernicorum, ac longè latèque diffamatum, multos ad agendum, & non differendum pœnitentiam provocavit. Quod utinam ex hinc etiam nostrarū lectione literarūfiat. *h. i.* Sed

Quær. quid judicii ferendum de nimis formidolosis Religiosis, qui ob defectum in senio, quem metuunt, aut exemplo aliorum sibi jam imaginantur, & prævident, in ætate robusta undequaque peculium sibi coacervant, pro baculo senectutis, & fomento.

R. 1. Si ipsi alios senes in necessitatibus reliquerint inconsolatos, justè venit hæc ultio Dei super illos, ut & ipsi derelinquantur; & tunc fortè hoc peculium non proderit; non enim est ratio, nec consilium contra Altissimum. Interim benigni-

tas Dei recipit pœnitentes, & consolatur eos.

R. 2. Talibus pensionatis ac peculiatis Monachis, plùs in pecuniæ, quàm Dei providentia confidentibus, & hinc Deo displicentibus propter suam exilem confidentiam, his, inquam, *Joan. Cassianus*, meritò applicat illud Deuteron statutum: *Quis est homo formidolosus, & corde pavido? non egrediatur ad bellum: vadat, & revertatur in domum suam; ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut & ipse timore perterritus est.* (cap. 20.) Ipsos ad monasticam militiam affirmat ineptos: semetipsos enim præcipitant in Monasteriis, & alios secum, licèt non in lapsum, tamen in titubationem. *l. i.*

CAPUT XVII.

De peculiorum seu depositorum usualium incorporatione, & confusione, tam apud Moniales, quàm Monachos, seu Religiosos.

Q. 1. An ad hoc ut peculia seu deposita usualia particularia Religiosis particularibus licita sint in casibus suprà allegatis, requiratur, ut *Conventui incorporentur, & confundantur*, prout dicitur in Decreto S. C. visit. Apost. inserto Constit. Urbanis. Ante responsionem.

N. 1. Ex *H. Casal* p. 4. c. 11. quòd duplex *incorporatio* possit considerari: *Una quoad solum dominium*; quâ scil. privata peculia dominio Conventus subsunt, ab eoque jure dominii possidentur, ita, ut nullus alius sit peculiaris istius substantiæ dominus, quàm solus Conventus (nam pri-

privati solennes professores sunt dominii incapaces, ut supponitur) licèt interim quo ad actualem usum ac utilitatē, pro particularibus particulariū Fratrum necessitatibus sublevandis deposita hæc peculiaris substantia conservetur. *Secunda incorporatio est totalis*; de qua dicit cit. *Casal. Docet etiā Clemens VIII. ut pecunia incorporetur, ita debere communi misceri, ut inter pecuniam sororis Luciæ, & sororis Ursulinæ, nulla appareat distinctio.* Bartolus l. si vacantia, *dicit per Abbatem, vel Priorem curandum esse, ut eæ pecuniæ describantur in libro aliarum possessionum, aut declaretur effectas esse de mensa, & incorporatas; vel certè ad minus promiscuè & indifferenter in omni necessitate iis uti debere.* h. i.

N. 2 Ex eodem, dum fit solùm *incorporatio quoad dominium*, peculia illa conservantur separata v.g. apud communem depositariam, ita tamen, ut quælibet Soror (vel Frater) habeat privatam bursam, seu pixidem clausam, appresso suo nomine, seu alio signo discretivo; inferatque, & extrahat pro necessitate sua sublevanda: & unaquæque pro se est solicita; quælibet ad pixidem, & marsupium suum, ut necessitatibus suis prospiciat, diligenter recurrit, & quomodo conservet & augeat hunc suum reservatum casum (ut ajunt) satagit. *At, ubi est perfecta & totalis incorporatio*, ad solos Prælatos & Officiales pertinet, de mensa aut massa communi singulorum necessitatibus providere: nec audet quispiam pecuniam tenere *separatim*, sed neque computum eorum exigere, quæ dono aut alio

quovis titulo acquisisset; sed extemplo omnia debent Superiori exhiberi, vel Officiali, & per eum Conventui *incorporari*. In depositio autem, (dum non fit perfecta incorporatio totalis) illa pro particularium necessitatibus *separatim* asservantur; & quilibet (ut sic loquar) suum novit. *h. i.*

N. 3. Ex supradictis c. 13. §. *septima*, quòd Superiores Regulares (multò minùs privati quique, id est, subditi) caput secundum sess. 25. de Regularibus declarare, & interpretari nequeant (in quo cap. statuit & decernit S. Concilium de *incorporatione*, bonorum Conventûs administratione, suppellectilium concessione, &c.) Quam interpretationem sic explicat *H. Casal*, quòd *nullus audeat aut præsumat mentem Concilii interpretari, relaxando id, NB. quod tanto zelo stabiliendum desiderat. Negotium illud non ad quemlibet de grege, sed ad Summum Pontificem, & S. Congregationem spectat; immo aliis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ id prohibitum est; ut apparet ex Bulla Pii IV. quæ incipit*, Benedictus Deus &c. *data Romæ 7. Calend. Febr. 1563.* h. i. Jam

R. In Religionibus illis, in quibus per particulares Ordinis Constitutiones, aut Decretum S. Congreg. Eminentiss. DD. Cardinalium præscribitur, quòd *pecuniæ omnes tam certæ quàm incertæ, aliæque res quæcumque fratrum, etiam ex eleëmosynis, concionibus, aliove labore, aut consanguineorum, seu aliorum largitione, etiam intuitu personæ datæ, aut aliàs quovis modo ab*

eis

eis acquisitæ, vel acquirendæ, vel aliàs quomodolibet Conventui obvenientes, debeant statim, id est, infra viginti quatuor horas, Superiori tradi, Conventuique incorporari, & confundi: ubi præterea præscribitur, quòd *pecuniæ omnes, & res quæcumque Conventui quoquo modo obvenientes debeant communi ærario, & depósito inferri, & in eo conservari*: Itidem, *quòd per Dispensatorem Conventûs debeat Superiori, Fratribus, totique Conventui de singulis necessariis (mandante Superiore) provideri*: Insuper, *quòd Superiores quidquid deposcit Fratrum necessitas, per Officiales Conventûs, in propria tamen specie, non verò in pecuniis, Fratribus ipsis benignè, paternèque debeant subministrare, &c.* In illis, inquam, Religionibus requiritur *Incorporatio* perfectior, & non sufficit incorporatio quoad solum dominiũ. *Patet* ex præmissis; quia, *si de singulis necessariis, omnibusque Fratribus, etiam unicuique eorum familiæ minimo, ex pecunia communis ærarii sub tribus clavibus custodita; in quo & Fratrum eleemosynæ conservantur particulares, sed non separatim*, & illator illarum vocatur tantùm *exhibitor*; fiat provisio, & sic debeat fieri; tunc non possunt ibi permitti licitè *privata* peculia, *separatim* conservanda, sub speciali ad singula clave, particulari marsupio, aut cistula, sed debent pro necessitatibus particularibus Fratrum, ita (ut præmissum est, & supponitur) *incorporata, & confusa* conservari. Et tunc etiam nulli in particulari habent causam, ob quam indigerent *particulare peculium, seu depositum* habere; Cujus

concedendi tunc nulla causa sufficiens existet: nec Fratres necesse habebunt, ut pro se in particulari sint soliciti, aut pro ulla necessitate sublevanda satagant, &c. Patet hæc veritas sufficienter.

Qui autem aliter interpretatus fuerit, videat, ne vim faciat verbis, ne lædat animam suam, ita detorquendo Decretum S. Concilii Trid. & S. Congregationis in sensum tam violentum, *illud relaxando*. Qualiter verba illa sint in *naturali sensu*, (*non ita violento*) intelligenda, id satis patet ex contextu antecedente, & consequente, dummodo quis impartiali animo legere voluerit, & construere. *Verba legis non sunt otiosa; & illius est legem interpretari authenticè, cujus est condere.* Hæc vox *incorporare* numquam apud doctos habuit aliam intelligentiam, aut explicationem. Quocirca nimis dura & grossa esset intelligentia & incorporatio, si intellectus ejus posset in hoc salvari, quòd una cistula poneretur super aliam, una crumena prope aliam, &c. *Præterea* in illa Religione *non approbantur privata peculia, seu depositа*, in qua jubentur omnes particulares quasque eleëmosynas communi ærario præsentare, & inferre, inibi incorporandas, & confundendas ita, ut Provinciale Capitulum, vel Capitularis Congregatio singulis annis habenda possit de iis absolutè, *& quidquid in Domino videbitur, quoquo modo disponere.*

Insuper esset ridiculum dictu, si Superiores tenerentur subditis de omnibus necessariis providere; & hi possent interim pro libito depositi peculium habere, augere, extrahere, exponere

&c.

&c. O! quanta inde mala oriuntur, & exorta sunt !. *Immo* potiùs ùt verum approbo, quod docet *Peyrinis*, quòd Abbas non teneatur vestire, nec alimentare Monachum habentem pingue, & sufficientissimum pro utroque peculium, & hoc resignare nolentem. *Cujus ratio est*; quia (*per se loquendo*) qui privata sectando & quærendo, segregat se à communibus, indignum se facit, ut pascatur, & vestiatur ex communibus. *Ubi regnant privatæ bursæ, ibi rarò vivitur pacificè.* Hic terminus, *privatæ*, odibilis est in S. communitatis lege.

Q. 2. Quid S. Congregatio Eminentiss. DD. Cardinalium decreverit circa privata peculia incorporanda, nominatim in Conventibus monialium.

Respondet Zegerus in dissert. Canon. p. 1. c. 1. §. 14. his formalibus. *Fagnanus refert decretum S. Congreg. datum Archi-Episcopo Urbinii. Hic enim cùm retulisset S. Congregationi, se non potuisse adducere Moniales cujusdam monasterii ad suscipiendam* exactam vitam communem; *ideoque illis proposuisse, ut fieret communis arca, cujus clavis penes Abbatissam existeret, & intus eam aptarentur tot scriniola, quot essent Moniales, ita ut unaquæque haberet claviculam scrinioli sui, & in eo asservaret pecuniam ex laboritio vel aliunde partam, quæ in ipsius tantùm, & non in alterius necessitates erogari deberet arbitrio Abbatissæ. S. Congregatio hoc temperamentum ludicrum existimavit, ac repugnans decreto Concilii Trid. ac S. Congregationis Apost. Visitat. quod jubet, ut omnia*

nia Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. *Ideoque mandavit Archi-Episcopo, ut, quamdiu Moniales* communem vitam *non susciperent, interdiceret ipsis receptione puellarum ad habitum, & professionem* h. i.

Deinde subjungit idem Fagnanus. Et generaliter tam S. Congregatio Concilii, quàm S. Congregatio Episcoporum ac Regularium hanc receptionem prohibuit in pluribus Monasteriis Monialium, in quibus ex relatione Episcoporum intellexit communem vitam *non observari. Immo cùm in specie id prohibuisset in quodam Monasterio Lycensi, & puella, quæ in eo habitum Novitiarum susceperat ante prohibitionem S. Congregationis, iterum ac tertiò petiisset se ad Professionem admitti, offerens se* communem vitam exactè *observaturam; S. Congregatio semper abnuit, periculosum existimans profiteri in Monasterio, in quo Moniales omnes erant proprietaria.* (*De quo Dionys. Carthus. in tr. de reformat. Monialium*). Hæc ille.

CAPUT XVIII.

De vetita peculiaritate & proprietate aliquarum Monialium.

1. FIdelis & prudens Dei servus *Hieronymus*, cùm centum esset annorum, scripsit Regulam Monialibus Ordinis sui, in qua tangit, qualis communiter sit naturalis dispositio mulierum, & ait: (cit. à *Dionys Carthus.* l. de reformat.

mat. Monial. a. 3.) Debilis est nimiùm sexus, quem geritis, fragilis, ac mobilis, si suo relinquatur arbitrio: & quamvis virtuosus sit animus mulieris, tamen nisi regatur, nisi dirigatur continuè, citò dejicitur à sancto proposito, &c *Pergit cit. Author lc. a. 4.*

II. Proprietas feminarum communiter est, appetere prohibita & negata. Idcirco cùm fuerint pravis consuetudinibus infectæ & deformatæ, valde difficilè reformantur: nec informationibus rationabilibus faciliter acquiescunt, sed reclamant, plorant; & suis carnalibus conqueruntur amicis. Verumtamen quia omnipotenti Deo facile est, corda ipsarum illuminare, compungere, emollire, convertere; in primis orandum est pro eis fervidè & instanter: deinde admonendæ & instruendæ sunt piè & seriosè &c Si autem non acquieverint exhortationibus piis, compellendæ sunt à Superioribus suis per viam rigoris &c Propinqui quoque & fautores earum informandi sunt seorsim prudenter de periculositate status Monialium. *h. i. Pergit Dionys. Carthus. a. 8.*

III. Si malæ feminæ istæ, videl. Moniales proprietariæ, & irregulariter conversantes scirent, aut credere vellent, quàm quietam, dulcem, pacificam, & jucundam habeant vitam Moniales veræ, devotæ, regulariterque viventes, nequaquam diutiùs in sua irregulari, & periculosissima vita manerent, neque quiescerent, quousque existerent reformatæ. Quid enim

enim jucundius, ſuaviusque pace pectoris, tranquillitate mentis in Deo, ſecuritate conſcientiæ bonæ, omni ſolicitudine tempotalium rerum carere, abſque propria occupatione ſufficientiam victûs & veſtitûs habere, charitativè atque pacificè converſari, & à Sponſo cæleſti deſuper viſitari, illuminari, accendi, ac conſolari, meditationibus ſanctis & contemplationi Dei ſincerè vacare, in ſtudiis lectionum, & orationibus, & pſalmodiis ex charitatis fervore aſſiduè occupari? Hæc autem Monialibus ſacris verè devotis, in communi caſtè & obedienter viventibus inſunt, & competunt. Quæ etiam in refectoriis ſuis meliùs habent, quàm aliæ, & clauſtra earum in temporalibus, ac ſpiritualibus proſperantur, dum univerſæ & ſingulæ quærunt bonum commune, & ea quæ Jeſu Chriſti ſunt, non commodum proprium & privatum. *h. i.*

Quæ ille hìc docet, experientia vera eſſe confirmat, ſcil. quòd duplex benedictio præveniat & ſequatur Moniales in communi pacificè viventes, uti &, quòd ad reformationem acceptandam etiam in minoribus rebus Moniales aliquæ duræ ſint cervicis, obſtinatæ voluntatis, & ab aſſuetis æquè difficulter abſtrahantur, ac aves adultæ à naturali cantu ſilveſtri. Repetunt enim ſemper ſuum idem antiquum canticum, aſſueta non dimittunt, rationem non admittunt; eò, quòd libertatem amantes, detrectent arctiori jugo ſubjici, quamvis neceſſitas ejus, & ſumma utilitas illis evidenter demonſtretur. *Porro*,

prin-

principalis doctrina hujus 3tii §. etiam Monachis nondum reformatis adaptari potest.

Q. 1. Quæ mala sequantur ex proprietate, vel peculiaritate Monialium.

1. *Respondet Dionys. Carthus.* lc. a. 8. his verbis. Moniales proprietariæ, & irregulariter conversantes habent varias tentationes, inquietudines, curas, suspiciones, contentiones, murmurationes contra se invicem, & contra suos Superiores: & molestum est eis, durare in clausto, surgere ad matutinas, occupari in divinis officiis. Hæc omnia experientia docet. *h. i.*

Respondet 2. *idem ibidem.* Moniales tales parum aut nihil curant de obedientia observanda; & pronæ sunt ad indignationes, elationes, rebelliones, partialitates, comessationes, potationes, fabulationes, & ludos. Sunt etiam acediosæ, duræ, audaces, mundanis affectionibus, curiositatibus, ac variis mentis distractionibus plenæ. Rarò quoque carent ira, invidia, & concupiscentiis pravis; & divinum officium negligenter, curiosè, & corruptè persolvunt. Unum peccatum trahit ad aliud: &, quantò quis spiritalior, ac virtuosior esse tenetur, tantò ad enormiora & abominabiliora crimina labitur, dum ea, ad quæ obligatur, adimplere non nititur. *h. i.*

Respondet idem 3. a. 10. O! quàm periculosa, ac damnabilis est vita Monialium, suam professionem non adimplentium; quæ & suæ reformationi pertinaciter obviant & resistunt, aut certè

certè resisterent, si eis proponeretur. Quemadmodum ex sua professione tenentur esse multò meliores, & virtuosiores sæcularibus feminis, ita ex sua perversitate, inobedientia, pertinacia sunt multò deteriores & obstinatiores, quàm fœminæ sæculares. *h. i.*

Q. 2. Cum cit. *Dionys. Carth.* Habetne Abbatissa authoritatem dandi licentiam Monialibus, ut habeant pecunias aliquas, & quædam similia ad proprium usum, ex quibus provideant sibi.

Respondet idem sibi 1. Nec Pontifex Summus potest Monialibus dare licentiam talem, ut habeant propria, seu talia sic eis appropriata, sicut multæ Moniales nunc habent. Nec fuit intentio Patrum SS. talem proprietatem, aut appropriationem, & provisionem sui ipsius admittere, sicut jam passim admittitur; nec umquam aliquis Patrum sanctorum talia admisit, aut modo aliquo admisisset. Cùm igitur præcepta Superiorum accipienda sint, & servanda secundùm formalem intentionem ipsorum, constat, quòd nec Abbas, nec Abbatissa, nec alius possit talem dispensationem peragere, aut talem licentiam dare contra ea, quæ SS. Patres in Regulis suis, & aliis libris apertissimè, & districtè prohibuerunt. *h. i. Subdit a. 11.* Cur peculium vestrum præfertis bono immenso, & potiùs vultis habere pecuniam modicam, ac proprium temporale, quàm divitias divinæ gratiæ, dona S. Spiritûs, spiritalemque profectum in omni virtute? *h. i.*

R. 2. H. Casal. adducit Decretum S. Congregationis p. 4. c. 11. in quo ipsa num. 45. *Confessarios* plurimùm *hortatur, ut sedulò moneant Moniales, quatenus NB. peculium deferentes, praedictum vitæ communis institutum (tutam Deo serviendi viam) sequantur.* h. i. Quod Monialibus suadetur ùt consultum, id magis viris religiosis est consulendum, eò, quòd plures apud hos, quàm apud illas sequantur inordinationes nonnumquam ex peculiorum abusu.

Q. 3. Quæ sint tres latè patentes portæ, quibus Religiosis peculiaristis, seu proprietariis in infernum latus patet ingressus, dum votum suum paupertatis contemnunt.

Respondet H. Casal. quòd sint hæ tres. I. Dare, & accipere sine licentia. II. Recipere, & apud se retinere rem perniciosam, quæ vel in pravum finem data sit, vel quæ in habente, vel eam vidente inordinatos affectus causare possit; vel quæ Regulæ sit contraria, aut denique eam habenti superflua. III. Retinere rem aliquam proprietatis affectu, & quam ad usum communem promptè resignare paratus non sit. *O terque quaterque infelices, & verè abominabiles portæ, per quam tam NB. multi hodie Religiosi ingrediuntur, & eunt in perditionem!* O abyssus detestabilis, cujus gratiâ infernus dilatavit os suum absque ullo termino! *h. i.*

* * *
* *

CAPUT XIX.

De peculiari Depoſito Religioſorum.

Q. 1. Quid ſit depoſitum Religioſorum. *R.* 1. *Depoſitum legale eſt id, quod fidei alicujus depoſitarii committitur, manente penes depoſitorem rei depoſitæ proprietate, ita ut ſemper ei integrum ſit, quandocumque voluerit, eam repetere. De hac non quærimus hìc. Hinc*

R. 2. cum *Navarro, H. Caſal.* & aliis. *Depoſitum nihil eſt aliud, quàm peculium, quod Officiali Conventus creditur, ut illud in ærario, id eſt, ciſta communi conſervet pro depoſitoris neceſſitatibus, cujus clavis ſit in poteſtate Superioris, & prædicti Officialis, ſive depoſitarii, ſeu unius, ſeu duorum.*

Ex quo colligit *H. Caſal.* quòd depoſitum in nullo differat à peculio, niſi *ſolô connotatô*, ſcil, quòd depoſitum in capſa communi, ſeu ærario clavibus munito, ſub cura alicujus Officialis, vel Officialium deponatur, & hinc cum majori ſecuritate liceat, quàm peculium, quod poterat à Religioſo in cubiculo aſſervari. Excepta hac conditione, quæ eſt jam odioſiſſima, omnes conditiones, quæ requiruntur ad licitè habendum, etiam huc transferendæ ſunt. Inter quas tamen neutiquam computari debet illa, quam adducit *Lopes*, ut ſcilicet beneficio ejus Conventus liberetur ab onere tam multis providendi; ut notat

Caſal.

Casal. Qui insuper advertit, non posse Superiorem quantumvis valde occupatum onus illud provisionis à se excutere, & in alterius privati subditi humeros rejicere, volendo, ut subditus sit sui ipsius dispensator, ac procurator, dicendo vg. Tu *Fr. Morice* sis tui ipsius dispensator, ac procurator: constituo te loco meo: permitto tibi vices meas: ipsemet tibi eme vestes, vinum, panem, cupedias, lignum, &c. *Ratio est*; quia Tridentinum jubet hæc peragi per Officiales publicos, & non per ipsosmet Fratres, aut Patres.

Q. 2. An depositum possit auferri per Superiorem.

R. Per se loquendo, posse, (nisi aliud decernant Constitutiones Ordinis) si tamen subdito velit indubitata fide & certitudine de necessariis providere. *Ratio est*; quia sine dependentia à voluntate Superioris, potentis sic vel aliter disponere, non licet habere depositum subdito. Hinc etiam subditi debent voluntate seria, & non sola fictitia, aut complementitia esse resignati ad depositum subjiciendum dispositioni Superioris, sive consistat in pecunia, sive in veste, sive in libris, &c. Nec debent clavem, aut cistam abscondere ab oculis ejus; quod si faciant, illicitè peculium habent. Et, quia credo, quòd sæpe subditi in hoc non sint resignati ritè, hinc etiam non sint sine omni scrupulo peccati. De depositio autem sic loquitur *S. Bonav.* super Regul. c. 4. ad 4. *Ista Apostolica perfectio non est solùm in itinere, sed domi etiam*

observanda, ut nullum depositum pecuniæ habeatur ab his, qui perfectionis regulam imitantur. h.i.

Q. 3. An Superior possit depositum concedere subdito pro tota ejus vita.

Respondet Casal, Non posse licitè; quia talis concessio est valde proprietati similis. Sicut &, si concederetur (quod fieri nequit, nec debet) ad usum quemlibet indefinitè, prout placuerit. Idem *Casal* sine dubitatione asserit, peculium aut depositum non posse justè teneri, quando Superior aut Monasterium vult, & potest in omnibus etiam minutis necessitatibus providere.

R. 2. Casal. Ex parte habentium depositum requiri, ut parati sint omni deposito se abdicare, & quælibet alia à parentibus vel aliunde accepta in communem usum conferre, quando collapsam vitæ regularis observantiam volet Superior instaurare, & reformationem introducere, aut certè iis alio modo uti. *Rationem dat*; quia Doctores communiter tradunt, Religiosum, qui ad hoc non esset dispositus (multò magis, qui Superiori resisteret) Ecclesiastica sepultura oportere privari, & in sterquilinium detrudi. *Hæc ille quidem, sed fortè non omnes credunt hæc ultima dicta.*

R. 3. P. Nigronius scribit, quòd Patres Societ. Jesu nulli permittant usum particularem alicujus rei, excedentis valorem nummi aurei.

R. 4. ex *Navarro* & *Valerio*. Inter alias causas justas depositi concedendi est necessitas librorum

rum pro studio & concionibus, & aliud quodlibet necessarium, ut quisque talento suo ritè utatur, ac officium suum debitè administret.

Q. 4. An Depositor habeat præ aliis aliquale jus in depositum. De hoc fuit jam tum superiùs actum. Insuper ex *H. Casal.*

R. 1. Quòd quidem non habeat jus proprietatis ullum; nihilominus tamen ipse potest indifferenter in qualibet necessitate pro his depositis ad effectus à Superiore determinatos expendendis (& non aliter) depositarium accedere, & ab eo illa omnia, quibus suis necessitatibus fiat satis, exigere. Et licèt inscribatur rebus depositis nomen illius Religiosi, qui eas deposuit: tamen eô non obstante, semper est Superiori liberum, alteri, si voluerit, erogare; cùm ille Religiosus non habeat jus utendi, aut administrandi peculium illud; quamvis æquum omnino sit, ut, ubi est æqualis necessitas, Superior prudens & discretus curet in illius necessitates primò impendi, qui labore aut industria sua illud acquisivit, potiùs, quàm in alterius ignavi & negligentis, ubi ex Monasterii redditibus æqualiter omnibus provideri non potest. *h. i.*

R. 2. ex *Bassæo Capuc.* v. *Paupertas Religiosa.* Cùm depositum Religiosi, ut licitum sit, sit in potestate publici Officialis, vel Procuratoris, hinc in Superioris potestate esse dicitur, nam Officialis locum habet Superioris: adeoque, si quando Monasterium eget in communi, ex illis depositi pecuniis Monasterii necessitatibus provideri potest. Quod certè Superiores non rarò

tentare deberent, ut discerent subditi non proprietatem, sed usum, & eum ad nutum Superioris se habere. Proinde Religiosus, qui tenet peculium apud depositarium tamquam rem propriam, & computat minutatim, quidquid per ipsum depositarium expenditur, nec patitur, ut Prælatus possit de eo ad libitum disponere, mortale peccatum committit contra votum paupertatis. *Hæc ille.*

R. 3. ex eodem. Ut licitè habeatur depositum, requiritur quoque, ut subditus, quando ex deposito necessaria ab Officiali petit, exponat in particulari necessitates suas; nam aliàs esset ille tantum Officialis materialiter, & potiùs subditus esset dispensator, disponendo & ordinando, quid, & quantum, quando, pro quo vellet accipere, & expendere; quod tamen est contra mentem S. Concil. Trid. jubentis, ut dispensatio mobilium ad solos Officiales spectet, & neutiquam hæc committatur privatis subditis; ne inde quis sibi arroget quid amplius, quàm solum usum-facti pro sibi necessariis. Ex quo etiam deducitur, quod solius subditi non sit, dijudicare & taxare, quid hic & nunc necessarium sibi sit, ut pro illo possit absolutè ex deposito velle habere tantum & tantum, quasi dicendo & determinando: *hoc debeo habere, hoc volo habere,* &c. Nam hæc esset potius auctoritativa administratoris dispositio, quæ privato subdito neutiquam competere potest, nec debet; maximè cum ille aliquando privato amore excæcatus judicet

dicet neceſſaria, quæ potiùs ſunt ſuperflua, & magis ſerviunt ad delicias, quàm ut ſublevetur neceſsitas.

R. 4. ex eodem citante Bartol. à S. Fauſto. in Theſauro relig. l. 8. q. 30. Nec obſtat dicere (ut fortè indulgentiùs ſibi perſuadent peculiariſtæ religioſi ſeu depoſitores) mentem Romani Pontificis eſſe, ut prædictum depoſitum remaneat depoſitatûm, ac deſignatum pro ejus indigentiis, ac proinde Prælatum non poſſe de eo abſque ipſius conſenſu diſponere. Non obſtat, inquam, quia depoſitum ad hoc inventum eſt, ut auferatur à Religioſis uſus-fructus, & adminiſtratio peculii, & incorporetur ſaltem quoad proprietatem & uſum-fructum cum bonis Monaſterii; licèt quoad ſimplicem uſum-facti remaneat deſignatum ad ſublevandas eorum indigentias; adminiſtratio verò ejus reſideat penes prædictum depoſitarium, & hoc de licentia Superioris, & amovibiliter, & non ut præfati Regulares habeant ejus proprietatem aut uſum irrevocabiliter, quaſi Prælatus non poſſet de eo ad libitum diſponere (ſi Conſtitutiones Ordinis nil ſpeciale deſuper diſponant) &c.

Hæc ille. Vide ſuprà in hoc 3. lib. c. 12. q. 1.

* * *
* *

CAPUT XX.

De particularibus casibus, in quibus sit abusus peculii seu depositi apud Religiosos, &c.

PLurimos recenset *Bartoluc.* quorum plures jam adducti sunt cum resolutione, in præmissis: præter quos aliquos singulares hic adducam.

I. Peccare mortaliter Religiosum, ait *Bartoluc.* citans *Navarr.* & alios, qui in emendo, acquirendo, recipiendo, & hujusmodi non intendit actualiter vel virtualiter suo Ordini vel Monasterio acquirere; quia proprietarius est, intendens sibi, non Monasterio acquirere.

II. *Palestrellus* in respons. casuum conscientiæ ait, quòd qui peculio fruitur, ut animo non sit paratus illud ad nutum Superiorum relinquere, delinquat mortaliter contra paupertatis votum; & tenetur illud à se abdicare (ceteris paribus.).

III. Idem ait peccare contra idem votum, qui licèt paratus sit dimittere peculium ad jussum Superioris, ita tamen obmurmurat, ac querelas fundit, ut non audeat Prælatus bona illa amovere, aut licentiam denegare. *Ratio est;* quia talis licentia non est simpliciter libera, sed quasi coacta, potestque dici permissio, sicut alia mala permittuntur, ut majora evitentur.

IV. *Bar-*

IV. *Bartoluc.* l. 1. §. 28. inquit : Ex iis omnibus collige, quàm arcta sit via paupertatis, per quam ex vi suæ conditionis tenentur incedere Regulares, & in quo salutis dispendio sint constituti iidemmet Regulares, quibus numquam satisfacit hujusmodi usus rerum simplex, sufficiens, & pauper ; sed è converso instar illorum, qui sunt sui juris, ac dominiorum capaces, quærunt continuò proprietatem, usum-juris, ac usum-fructum in omni eo, quod habent, acquirunt, vel quavis via eis obvenit ; non permittentes ullo modo, ut de iis omnibus Superiores disponere valeant pro libito suæ voluntatis : quinimo volunt tamquam locupletes hujus sæculi abundare in omnibus cum annexu omnium deliciarum, vanitatum, ac superfluitatum, non curantes tot sacrorum Canonum prohibitiones. *h. i.*

V. *Cajetan.* & *Navar.* citati à *Bartoluc.* dicunt esse in statu peccati mortalis & consequenter damnationis Regulares illos, qui non curant plus quam boni Clerici, vel Sæculares tendere ad perfectionem. Addit *Bartoluc.* qui anhelat ad salutem suam, tenetur esse singularis ; nam sacra Scriptura dicit Psalm. 13. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Et arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui ambulent per eam.* Matth. 7.

VI. Abutentes peculio fortè pro sua defensione allegant, se talem vivendi modum in Or-

dine inveniſſe, unde & in profeſſione non intendiſſe ſe aliter obligare. His reſpondet *Bartoluc.* quòd, licèt votum non obliget niſi ſecundùm intentionem voventis, quando in eorum eſt poteſtate vovere ſic, vel ſic; ſed quando ipſi non habent liberam poteſtatem in vovendo, ſed eſt eis præſcripta forma vovendi, prout fit in profeſſione ſolenni, id minimè verum eſt: proinde forma ab eis per intentionem contrariam adulterari nequit; quia alioquin committerent fraudem in legem, quæ nulli patrocinari debet. *Deinde* profitentes ſe obligare intendunt ad obſervantiam non abuſuum, ſed Regulæ, & Conſtitutionum, prout ſunt à legislatore &c. & prout continent viam ad perfectionem. Et in hanc obſervantiam illi habuerunt intentionem ſaltem implicitam, in quantum qui vult antecedens, ſcilicet Statum regularem, vult etiam conſequens ſcil. obligationem ad obſervantiam illius, prout decet &c.

VII. Abutentes peculiis, ſive ex parte objecti, puta ſuperabundantis, ſive ex parte modi conſervandi, nequeunt ſe excuſare, proponendo antiquitatis conſuetudinem. Nam (ut refellit *Bartolac.*) Poſſeſſor malæ fidei numquam præſcribit, & abuſus eſt antiquus ille vivendi modus potiùs quàm uſus, corruptela magis quàm conſuetudo, aggravans magis quàm allevians, & irrationabilis prorſus, obvians Canonicis inſtitutis, & voto paupertatis, *h. i.*

VIII. Nec

VIII. Nec excusantur ob promptitudinem resignationis, ac traditionem clavis Superiori, quia ejusmodi promptitudo, ac clavis traditio illusoria, & fictitia est; quia verbo-tenus sola est, & non in executione, cùm intus servetur affectus possessionis. Et non illuditur sapientia Dei, cujus oculi sunt Sole clariores. *Hac Bartoluc.*

IX. *P. Gratianus Carmelita* in sua disciplina regulari tit. de voto paupertatis, cit. à *Bartoluc.* sic inquit: hæc sunt patentia ostia, per quæ innumerabiles ferè demerguntur in profundum inferni; hac sola persuasione delusi: Non mihi Monasterium subministrat necessaria, igitur mihi licet, quod volo facere; & sic deponentes omnem scrupulum conscientiæ, non verentur postea recipere, ac retinere omnia, & quæcumque bona tam mobilia, quàm immobilia, tam sibi convenientia, quàm non convenientia, tam sciente ac consentiente Superiore, quàm inscio, ac dissentiente. Hæc sit salutaris monitio iis, qui in Religione vivunt, extra observantiam vitæ communis, ne propter dicta inconvenientia periclitetur eorum salus. *h. i.*

X. *Bartoluc.* citans *Navar.* hæc quoque de abusu peculiorum contra peculiaristas docet. Non potest Regularis adhuc vivens disponere de suis bonis ad pias causas, vel ad cultum divinum absque Superioris consensu, vel permissu. Nam hoc facere nil aliud est, quàm defrau-

defraudare Monasterium, ut quis consulat animæ suæ; quod omnino inordinatum est: non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona: Hinc clarè colligitur, quàm graviter errent, qui, prætextu melioris boni, de sibi concesso peculio vario modo disponunt. Sunt enim alii, qui legant suo Monasterio, vel alteri Ecclesiæ extra Ordinem aliquam pecuniarum quantitatem, hac obligatione, ut pro eorum salute fiant tot anniversaria. Alii verò in vita sua contra, vel præter voluntatem suorum Prælatorum emunt planetas, pluvialia, paramenta, vel hujusmodi pro ornamento Altarium, vel Ecclesiæ, & alii alias dispositiones faciunt pro suo quisque arbitratu: qui omnes graviter offendunt votum paupertatis; &, quod ex eorum opinione videtur causa & occasio salutis, prô dolor, & miseria! fit illis in scandalum, & ruinam, ac perditionem animarum. *h. i.*

XI. Notat idem ex *Roder.* & *Navar.* Qui adhuc vivens condit aliquod memoriale, vel morti proximus declarat esse suæ voluntatis, ut post ejus obitum talis Religiosus habeat vel possideat suum peculium, vel talem ac talem rem, quâ ipse in vita possidebat, si id faciat ex testamento, vel ex donatione mortis causâ (nisi hoc habeat ex speciali privilegio Summi Pontificis) peccat peccato proprietatis, & debet ùt talis, secundùm dispositionem sacrorum Canonum, sepeliri in sterquilinio. Si autem non ùt testamentarius,

mentarius, vel donator causâ mortis, sed solùm ùt simplex enunciator suæ mentis, rogando humiliter suum Prælatum, vel Conventum, ut pro sua libera voluntate illud aut istud pietatis opus illi vel isti faciant (cùm hoc non sit disponere, neque donare, sed tantùm ad piè disponendum verbo piè rogare & exhortari) id licitè ac misericorditer facit, & consequenter justè ac sanctè. *h. i.*

CAPUT XXI.

De potioribus actibus Proprietatis.

NOt. De his quidem suprà nonnihil tactum in fine libri secundi de paupertate. At hic uberiùs & specialiùs assignabuntur ab *Alvaro Pelagio* l. 2. de planctu Ecclesiæ cap. 67. ex quo *Bartoluc.* & *P. Marchant.* alios annotarunt. Sunt autem sequentes.

I. Emere, vendere, donare, permutare, locare, compensare, conducere, emphiteuticare, hypothecare rem immobilem, impignorare rem mobilẽ, obligari, dissipare, qualitercumq; rem destruere, distrahere, sibi vel alteri appropriare, extraneo rem præstare, vero domino datori, cùm petierit, non statim restituere, pro re aliqua habenda vel recuperanda querimoniam in judicio proponere, pecuniam mutuari, vel mutuare, testamenta exequi, pecuniam vel denarios deponere, vel deponi facere, capsulam cum pecunia, vel ejus

jus clavem ferre, pecuniam pro se accipere, vel accipi facere, pecuniam expendere, vel qualiter expendatur, ordinare.

II. In quacumque hereditate succedere, legatum accipere, annuos redditus, vel census, vel tributa: vel alios proventus habere, vel recipere: remittere refutationes, vel quietationes facere: cum scriptoribus vel aliis pacisci de dando tantum pretium: conventionem, vel obligationem, promissionemve alicui facere, recipere, reconvenire, transigere, solicitare, stipulari, acceptilare, homagium recipere, pro re commodata pignus accipere, partem in hereditate paterna, vel consanguineorum tamquam jure exigere.

III. Tunicam *meam*, pecuniam *meam*, librum *meum* etiam solo ore dicere (nisi ly *meum* significet solum usum) claves cellarum Prælato non assignare; claves capsarum, scriniorum, armariorum, vel qualiumcumque repositariorum, eundo extra loca, Prælato non consignare. Librum, aut rem aliã, cujus Fratres communẽ usum habere debent, dum re illa non utitur, nec proximè utetur, Fratribus petentibus non præstare. De cella ablata per Prælatũ, vel quacumq; alia re corã Superiore querimoniam proponere: voluntate propria, & importunitate in loco, vel cella manere, vel eorum causâ appellare, rem in usum unum concessam in aliam commutare: superfluarum rerum usum recipere, infeudare, vel in feudum recipere: testari, codicillari, aut ultimam voluntatem de re quapiam facere: præscribere, pretium pro opere aliquo, vel labore, nomine proprio recipere:

re : sine licentia Prælati rem aliquam recipere, dare, contrahere, usum-fructum habere, debitum contrahere, fidejubere: Possessiones, fundos, hortos, viridaria habere, superfluas officinas habere: in lacubus & fluminibus ad piscandum partem habere.

IV. Rem ad usum, cujus non est certus Dominus, habere: usum rei generalem seu communem in specialem convertere sine licentia Prælati: quamcumque societatem lucri cum aliquo habere: eleëmosynam sibi primò assignatam pro aliis futuris necessitatibus reservare: jure vel consuetudine à Monasterio aliquid recipere, non exstante necessitate: habentes eleëmosynas vel necessaria extra Ordinem, velle à Monasterio eadem iterum recipere; Quamcumque rem Prælato celare, vel eo jubente statim eam non resignare: libros duplicatos ejusdem tenoris, & duo Breviaria, vel duo Biblia habere sine causa excusante, rem deputatam ad solum usum quocumque titulo alienare: re non uti, sed in thesauro reponere: à damnum inferentibus in rebus suo usui deputatis satisfactionem in judicio petere.

V. In manibus sæcularium rem aliquam habere sine licentia, vel deponere: in sanitate vel infirmitate clavem cellæ vel armarii Prælato extradere cum ea conditione, aut tacita intentione, ut nihil de cella auferat, in loco nativo velle habitare, & procurare, ne ibi extranei habitent (nisi tamen constitutiones aliter faverent) pro usu alicujus rei coram Prælato suo in judicio vel extra coram alio Fratre contendere, vel suum jus allegare; conve-

nire

nire ante mortem cum alio Fratre, cum vel sine licentia Prælati, quòd in morte succedat alius in peculio. Non manifestare Prælato, quæ quis habet in Ordine, vel extra. In morte non curare, ut res commodato accepta restituatur Domino. Expropriare se in morte, cum intentione, ut accipiat peculium, si convaluerit.

VI. Facere legata de peculio, vel curare Missas fieri pro anima sua ex pecunia depositi: facere fieri pitantiam Fratribus post mortem. Relinquere aliqua fabricæ Ecclesiæ, vel Sacristiæ, vel necessitatibus Fratrum: dare aliquid in infirmitate in Ordine vel extra sine licentia Prælati: eligere intra loca Fratrum aliquam sepulturam particularem: mori cum deliberata magna displicentia mortis, impatientia, & murmuratione. *Hæc omnia superiora vitium proprietatis sapiunt secundũ præfatum Alvarum. NB. Potest autem quis in his à peccato excusari ob ignorantiam, eò quòd malitiam non agnoscat in aliquibus.* Plures resolutiones in casibus, de quibus dubitatur, an sit, vel non sit aliquid peccatum contra votum paupertatis, vide resolutos apud *Antonium de Spiritu S.* & *P. Marchant.* in Tribun. Sacram. alioſque Authores regulares, qui ex proposito de hac materia scribunt.

VII. Notant communiter Doctores, ad moralem æstimationem gravitatis peccati proprietatis multum facit voluntas Superioris, & ejus contrarietas; ut nimirum contra seriam, absolutam voluntatem ejus censeatur res accipi, consumi, alienari &c.

VIII. No-

VIII. Notat *P. Marchant.* posse fieri, ut quis tria peccata reservata unico actu committat. v. g. si quis furetur in quantitate notabili aliquid de Monasterii bonis, illud detineat, & adjuratus mandato Superioris, inobedientiâ contumaci resistat. Est enim 1. Furtum notabile de rebus Monasterii, 2. Proprietas reservata, 3. Inobedientia contumax, qui casus seorsim in dicto Decreto ponuntur.

IX. De duplici pœna proprietariorum Notat cum aliis DD. *P. Marchant.* quod non incurrantur, nisi per sententiam declaratæ sint; & maximè posterior, scil. privatio ecclesiasticæ sepulturæ, si quis in proprietate mortuus fuerit, & ante mortem non pœnituerit. Ad hanc enim requiritur, ut juridicè & apertè constet de detentione proprietaria rei permanentis post mortem, sive Regulari jam defuncto. Nemo enim hac pœna plectitur ob usum tantùm simplicem quamvis proprietarium; neque si aliquod dubium de ejus voluntate, vel de detentione voluntaria rei appareat; neque si in morte, vel antè patefecerit, & suum peccatum fassus fuerit. *Ratio est*; quia pœnæ juris sunt restringendæ, non ampliandæ. Unde qui post mortem inventus esset aliqua bona Monasterii alienasse, aut proprietariè absumpsisse, etsi in proprietatis peccato sit mortuus, pœnâ privationis sepulturæ plecti non potest; quia jura tantùm loquuntur de eo, apud quem pecunia, vel res aliqua permanens proprietariè retenta, vel apud

alium depoſita eſt inventa. *Hæc P. Marchant.*

X. Similiter dicendum, quòd non ſit quis in ſterquilinio ſepeliendus cum ſolennitate projectionis pecuniæ ſuper eum, dicendo, *pecunia tua ſit tecum in perditionem* (ſi conſtitutiones hoc jubeant.) niſi in proprietaria habitione pecuniæ impœnitens mortuus, & convictus ſit. &c.

CAPUT XXII.

De donationibus, licitis in particulari privatis Religioſis reſpectu Sæcularium, aut aliorum Regularium.

NOtat *P. Marchant.* in Tribun. quòd quilibet Religioſus poſſit dare intra & extra Ordinem levia munuſcula, quæ pietatis, & honeſtæ gratitudinis intuitu communiter in Monaſteriis bene diſciplinatis dari conſueverunt, de implicito conſenſu Superioris. De quibus pro Fratribus Minorib⁹ ſpeciale Decretum edidit *Nicolaus III.* in Extravag. *Exiit, qui ſeminat*, §. de largitione vilium &c. ubi ſic inquit: *De vilibus autem mobilibus, vel parum valentibus, liceat ex præſenti noſtra conſtitutione, Fratribus, pietatis ſeu devotionis intuitu, & (obtentâ ſuper hoc priùs Superiorum licentiâ) juxta quod inter Fratres in Generali, vel in Provincialibus Capitulis tam de ipſis rebus vilibus, ſeu parum valentibus, & earum valore, quàm præfata licentia,*

dia, scil. à quibus, & qualiter sit habenda, exstiterit ordinatum, intra & extra Ordinem aliis elargiri. h. i. ubi autem hæc licentia, & vilitas materiæ non taxata est in Capitulis, ea taxanda erit à timorata conscientia, & præsumptione licentiæ Superioris &c. vel statutis particularibus, aut mandato restrictivo Superioris localis.

Adnectendæ hic sunt Declarationes *Urbani VIII.* super rigidiore Bulla *Clem. VIII.* de largitione munerum, quam mitigavit sua declaratione. Et

I. Quidem declarat Pontifex licere Superioribus Regularibus, & ipsis subditis cum licentia Superiorum largiri munera causâ gratitudinis, remunerationis, conciliationis, aut conservationis benevolentiæ erga Conventum, aut Religionem, aut quavis de causa respiciente de sui natura actum virtutis, modestè tamen & discretè.

II. Licentiam requiri non tamen in scriptis, sed vocalem, nisi concurrat ambitionis, aut alicujus inordinatæ actionis suspicio, quâ munera donarentur, ad ambitiosè obtinenda officia, beneficia, dignitates.

III. Comessationes, & convivia in excipiendis lautè benefactoribus &c. eatenus tantùm prohiberi, quatenus decentiæ status religiosi adversarentur.

IV. Causam, & modum largitionum relinquit determinationi Capitulorum Generalium, & consequenter Provincialium, ubi generalia

lia desunt, vel etiam Superiorum declarationi.

V. Quantitatem largitionum, & alias circumstantias non specificavit. Mihi certum est, quòd in illis debet attendi causa necessitatis, vel finis, ob quem donationes fiunt: personarum, quibus largitio permittitur: & earum, quibus munera dantur, status, & qualitas: Monasteriorum, & Conventuum constitutio; Regulæ rigor, & austeritas &c. Cùm enim finis Bullæ fuerit, providere, ne bona Monasteriorum dissiparentur, aut ne Regulares munusculis & largitionibus sibi favores ad officia, & promotiones conciliarent, aut etiam ne muneribus ad proprietates & actus indecentes, & Religioni incongruos abuterentur; ideo in his maximè causa donandi, facultates Monasteriorum, personarum officia & munia, utilitas Monasterio ex donationibus proveniens, consideranda veniunt; & licentiæ Superiorum juxta supra-dicta restringendæ, moderandæ, aut etiam ampliandæ sunt, Et quamvis constet de licentia implicita, actus tamen ab omni excessûs immoderantia sunt conservandi; nec umquam præsumendum est de licentia Superioris extra terminos religiosæ observantiæ, & honestatis, ac charitatis. *h. i.*

Tractatum hunc de *Proprietate*, *Peculio* &c. doctrinali exhortatione Reverendissimi Domini Abbatis *Picinelli*

CON-

Concludo.

Nos pestilentem hanc proprietatis luem pro virili abominemur, & satagamus, ut, vivendo in communi, nec aliud desiderando præter unicam Dei fruitionem, accenseri mereamur Beatis illis, qui nihil habentes proprii in hoc sæculo, erunt omnia possidentes in regno æterno. Amen.







Primum vivens Ultimum moriens

Erat fIDeLIbVs VnIVersIs ab InIt Io
Cor VnVM et SpIrItVs VnVs.
Act. 4. 32.

Si modo Cor unum fuerit, si Spiritus unus,
Tum Deus in nobis Trinus et Unus erit
Abbas Westenh.

✠

Vobis, ô SS. PP. FRANCISCE SERAPHICE, Ac ANTONI PATAVINE,

SAcer est hic Tractatus, immo non incongruè totus hic Liber, cum omni totius vitæ meæ studio, & virium conatu. Siquidem vestris sanctis meritis, & piis intercessionibus refero in acceptis, quidquid in hac Seraphica Religione (quæ mihi ab annis 33. usque nunc per Dei gratiam pia Mater est) umquam eniti potui. Vos itaq; in Patronos immo potius patres *Curæ communitatis*, per vos in hac Religione stabiliendæ, eligo, adopto, filiariterque imploro. Votis his clientelaribus aspirate, *curam curâ* potentiori adjuvate & fulcite; Religio enim vestra est, fetus laboris ac sudoris vestri est, propago orationum vestrarum est; ut & ipsa nova sit occasio novi gaudii vestri, vos efficitote precibus vestris paternis ac singularibus.

Piè mihi imaginor in ingressu hujus anni nonagesimi noni (post millesimum sexcentesimum) quem heri auspicati sumus, quòd Salvator noster piissimus Jesus Christus cordibus omnium, qui sunt de grege vestro, inclamet salvifica verba illa, quibus olim excitavit & recreavit dilectam sponsam suam *S. Gertrudem*, pro se suisque sodalibus, calendis Januarii ab eodem Divino

Sponso spiritale xenium humiliter petentem: 1. *Renovamini*, ajebat, *Spiritu mentis vestræ*: 2. *Regulam vestram attentè legite, exactè servate*: 3. *Et ero Magister vester*: 4. *Ac de splendore cordis mei lumen vobis abundans suppeditabo*. Pariformibus verbis idem Magister noster Summus Christus per vos pulsat ad aures nostras mentales: cui ut reverenter & obedienter aperiamus, vos lumen gratiæ abundantius ab illo nobis efflagitate, robur spiritus exposcite, Magistrosque simul & Patres hujus nostræ & vestræ Religionis vos ostendite; ut, quæ vestra intercessione plurimùm nititur, ejusdem efficacia delectetur & glorietur.

Tu *Pater Seraphice*, quamvis olim in subditis Fratribus *curam solicitam* pro seipsis abominareris in temporalibus, attamen Ministris & Custodibus, id est, Superioribus districtè jussisti in Regula, ut pro Fratribus induendis, ac infirmis reficiendis *solicitam curam* gererent. Fac nunc ipse prece & affectu Magister, quod per te jubetur facere Minister. Fac nos, tuis precibus, primùm quærere regnum cælorum, & justitiam ejus, cogitatumque nostrum in Dominum jactare (juxta monitum tuum) quoniam ipsi cura est de nobis, qui proinde nos enutriet, & necessaria quæque, si digni fuerimus, adjiciet. Tu in vita tua sanctè gloriatus fuisti olim, & aliis admirantibus oeconomiæ tuæ singularitatem, divinamque circa gregem pauperum providentiam, fassus es, dans gloriam Deo, *quòd tota œconomia tua consisteret in pio religiosæ vitæ studio, & spe de Deo firmissima.* Hanc œconomiam tam singulariter

sine

sine singularitate singularem doce quoque nos omnes; & in *cura sine cura* sat contenti & bene securi erimus.

Tu etiam *S. Antoni Patavine*, quia commùnis es omnium Patronus, Adjutor, Procurator, & Advocatus, quidni & Fratrum tuorum eris? quorum gaudia sicut indies renovas & auges tui S. Corporis pignore, (utpote in Basilica Patavina apud nos requiescente) ita &, intercessione tua, renova testimoniô internæ lætitiæ; ut, qui nos esse possessores gloriamur tui corporis, coheredes nos esse lætemur & Spiritûs, simul & in multiplicata fratrum familia experiamur lætitiam spiritalem diffusam uberiùs.

Nobis in posterum cura erit amplior, industria solicitior, qualiter vos veneremur, & propositum nobis vitæ vestræ SSmum exemplar pro viribus imitemur: sperantes, quòd vobis viciſſim major cura erit de nobis, si nos ipsos exuerimus nobis cum anno novo novum hominem induentes, & spiritum mentis nostræ stabili fide renovantes. ✝ *Hic Tractatus sit devotionis meæ ad vos tessera, & Xenium: vestra Bene✝dictio erit meum, & nostrum.*

* * *

* *

LIBER IV.

De Cura Superiorum circa S. Regularem Communitatem introducendam, & conservandam, &c.

1. *Notabit hic pius Lector*, propositum meum non esse, velle taxare Prælatorum aliorumque Superiorum Regularium aut Officialium dicta, facta suggillare, iisve legem præscribere, docere, arguere, corrigere, despicere, confundere, damnare &c. Absit; potiùs omnes in gradu suo pro merito suo amo, honoro, & revereor; immo potius abunoquoque ipsorum legem libenter audio, reverer accepto, obedienterque complebo, favente Summo Numine, nam *Angelus Domini exercituum est*. Malach. 2. 7. Solùm ad consolationem Fratrum meorum, & ad erectionem animorum pusillanimium (quorum sanguis exquiretur de manibus meis; pro quibus proinde vi juramenti, quô ipsis & Deo devinctus sum, rationem strictissimam reddere cogar ante tribunal metuendum Domini N. Jesu Christi) ex libris sacris, &

Do-

Doctoribus piis collegi, quæ sparsa inveni, per quæ cum ipsis & pro ipsis convinci & erudiri potui, non esse adeo difficile in *communitate perfecta vivere*, dummodo Superiores cum subditis seria adhibentes invicem adminicula velint ex charitate collaborare, securim ad radicem ponere, corruptelas tollere, abusus eliminare, consuetudinem consuetudine meliore vincere, & divini Nominis gloriam quærere in omnibus propagare, &c. *Ad quod faciendum* ipsi præ subditis eò amplius obligantur, quò pro suis, eorumque animabus, insuper & pro Regulæ neglectu, ac Ordinis contemptu, in die ultionis multiplicem rationem reddere cogentur. Dum ergo ad Superiores sermonem dirigo, tunc vel verba Scripturæ S. vel SS. PP. prout jacent, sine crimine falsi adduco; quæ sine verecundia, sine personarum differentia perstringunt aures, sed corda fortiùs quatiunt; aut dum meis memetipsum verbis aggredior, nullus jure irascetur super Capitulo, quod quilibet Religiosus, juxta monitum *S. Bern.* secum-metipso quotidie celebrare teneretur. Ergo, ne charitas offendatur, charitas præoccupare conatur.

II. Metuendum onus Prælatorum grave sensit, qui bene sensit, *S. Bern.* serm. 3. de Adventu, dum inquit: *Longè graviori, & periculosiori debito tenentur adstricti, qui pro multis animabus reddituri sunt rationem. Quid ego infelix? quò me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligentiùs custo-*

custodire? Si stillantem in Cruce Domini Sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod & portare sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? & certè id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens (ipsa ntique sapientia) sanguinem illum dedit. Sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multò plura, quàm vitreis imminere pericula videantur. Accedit sanè ad solicitudinis cumulum, & pondus timoris, quòd cùm & meam, & proximi conscientiam servare necesse sit, neutra mihi satis est nota. Utraque abyssus est imperscrutabilis, utraque mihi nox est, & nihilominus exigitur à me utriusque custodia, & clamatur: Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? Non est mihi dicere cum Cain: Numquid Custos fratris mei sum ego? sed est fateri humiliter cum Propheta: Quia nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. In eo tamen excusabilis ego videor, si, ut prædixi, debitam exhibeo custodiam pariter, & disciplinam. h. i. Utinam hæc dicta quisque animarum Rector cordi sumeret! quæ cor faciunt tremere, & somnum fugere ab oculis ejus; extinguunt ambitionem, impediunt recreationem. *O potestas dura Prælatorum, cor mordens, crucians, & affligens! O honor amarus, gravis, & vix portabilis!* De quibus idem *S. Bern.* ad suos serm 12. cant. *Fratres revereamur Episcopos* (adde, & Prælatos) *sed vereamur labores eorum. Si pensamus labores, non affectamus honores: nec observemus*

eos;

eos, sed honoremus. h. i. Et serm. de S. Nicolao: *Quis in Prælatura sine pressura?*

CAPUT I.

De Potestate, & triplici Cura Prælatorum Regularium erga subditos Regulares.

Q. 1. Quotuplex sit potestas in Prælato Regulari.

R. 1. ex *Suarez* de Relig. Tom. 3. l. 2. c. 18. n. 6. & aliis DD. quòd sit duplex, una est *Dominativa, seu oeconomica*, vi cujus Prælati habent jus, acquisitum Religioni, & sibi, ad imperandum Religiosis, eorumque operibus utendum, prout conveniens judicaverint. Radix hujus juris inde oritur, quòd quis eò ipso, dum in aliqua Religione approbata solennem professionem emittit (aut vota substantialia edit) privat se per obedientiæ votum dominio dicto in seipsum, & transfert illud in Religionem, id est, in Prælatos pro tempore existentes: unde oritur in eis potestas dominativa respectu singulorum Religiosorum ita se tradentium, quæ est distincta à potestate jurisdictionis, & ab ea separata de facto in Superioribus illis utriusque sexus, qui quia clerici non sunt, potestatis jurisdictionis incapaces sunt. Tales & olim fuerunt plurimi Monachi in communitate viventes, qui tamen non solùm non Presbyteri, sed ne quidem Clerici fuerunt. Hanc & distinctionem facit, immo supponit *S. Augustinus* in Regula, dum Presbyterum

rerum distinguit à præposito, & huic minorem, quàm illi, potestatem adscribit, & in eo supponit. De hac potestate *dominativa* loquitur *S P. N. Franciscus* in testamento dicens: *Volo firmiter obedire illi Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare: & ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire vel facere ultra obedientiam, & voluntatem ipsius, quia Dominus meus est.* h. i.

Secunda est potestas jurisdictionis, per quam intelligitur potestas spiritalium clavium Ecclesiæ, derivata à Christo in Summum Pontificem, & ab eo in reliquos hac jurisdictione pollentes, mediatè vel immediatè communicata, seu conservata. Hæc est ad ligandum & solvendum vinculo spiritali, corpori Religionis aggregandum per professionem solennem; quæ hinc etiam quamvis fieret in manus Abbatissæ, non præsente Prælato Regulari, aut ejus delegato, esset nulla; *Vi hujus* etiam, ut notat *Marchant*, intimius & altius competit jus Prælatis tali pollentibus, præcipiendi suis in virtute S. obedientiæ, vel S. Spiritûs, &c. In hac duplici potestate fundatur multiplex obligatio & cura Prælatorum erga subditos. De qua

Q. 2. Ad quotuplicem curam erga subditos regulares obligetur Prælatus regularis.

R. Ex *S. Bonav.* l. de luminaribus Ecclesiæ, quòd ad triplicem (*per se loquendo*) scil. *1 pro anima, 2. pro corpore, 3. pro fama* suorum subditorum. *Prima cura & principalis obligatio* est pro anima subditi. De qua *S. Benedictus* in Regula c. *2. meminisse debet semper Abbas, quod est: memi-*

nisse

nisse debet, quod dicitur: & scire, cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Sciatque, quàm difficilem & arduam rem suscepit, regere animas, & multorum servire moribus. Et subdit ibidem. *Ante omnia ne dissimulans, aut parvipendens salutem animarum sibi commissarum, non plùs gerat solicitudinem de rebus transitoriis, & terrenis atque caducis: sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est. Et ne causetur de minori fortè substantia, meminerit scriptum: primùm quærite regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Et iterum, nihil deest timentibus eum. Sciatque, quia suscepit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura sua, Fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die judicii ipsarum omnium animarum redditurus est Domino rationem, sine dubio, addita & suæ animæ.* h. i. Quæ doctrina omnibus aliis Superioribus, seu animarum Rectoribus adaptari debet. Quam latiùs prosequitur, & more suo, candidè & seriò hujus curæ obligationem iis inculcat *S. Bonav.* in Tr. de sex alis Seraphim.

Potrò ex hac cura multiplex alia cura enascitur. Tenetur enim vi hujus *primò* potiùs bonum & utile spiritale subditorum principaliter quærere, neglectô etiam, si aliter fieri non possit, proprio lucro minori temporali: *Sciatque* proinde (ait *S. Bened.* lc.) *culpæ pastoris incumbere, quidquid in ovibus Pater-familias utilitatis minus potuerit invenire.* h. i.

Secundò

Secundò tenetur eos in via perfectionis religiosæ per se suosque dirigere, instruere, provehere verbo pariter & exemplo. De qua cura *S. Bened.* lc. sic inquit: *Cùm aliquis suscipit nomen Abbatis* (vel, cujuslibet Superioris) *duplici debet doctrina suis præesse discipulis: id est, omnia bona & sancta factis amplius quàm verbis ostendere: ut capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat; duris verò corde, & simplicioribus, factis suis divina præcepta demonstret. Omnia verò, quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda; ne aliis prædicans ipse reprobus inveniatur.* h. i.

Tertiò curare debet (pro hac animarum cura & cultura, & Dei gloria) ut officium divinum debito modo, ordine, loco, & tempore, exactè ac devotè persolvatur in choro. Hujus enim justa persolutio aratrum est Religiosorum; ut dicebat unus ex antiquis Monachis *in Vitis Patrum.* Et *S. Bonav.* in explic. primæ alæ Seraphim ait: *In omni Religione ubi devotionis fervor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere, & propinquare ruinæ.* h. i. Pro divini officii accuratiore persolutione, sanctè ordinatum est in statutis Cartusiensium, quòd nullus error in choro debeat permitti transire incorrectus & impunitus.

Quartò curare debet per se, suosque, & zelare disciplinam regularem in claustro, refectorio, dormitorio, aliisque Religiosorum officinis, & cellis. Cujus rationem dat cit. *S. Bonav.* lc. *Quia disciplinæ exterioris desertio signum*

est

est neglecta conscientiæ, & interioris levitatis. h. i.

Quintò debet suas oves custodire, quantùm potest, ab occasione scandalorum, id est, ruinæ spiritalis aliunde, aut forinsecùs incurrendæ. Nam, ut ait *S. Gregor. in Pastorali, non potest esse excusatio culpæ pastoris, si lupus ovem rapiat, & pastor nesciat.*

Sextò curare debet, ut sui arceantur à nimia frequentia sæcularium (ut notat *S. Bonav.* in qq. super Regulam *S. Francisci*) eò quòd per frequentiam cum sæcularibus sæculares mores & rumores sensim animæ irrepant, qui triplex nocumentum animæ inferunt, dum scil. 1. animæ nitorem maculant, 2. oculum mentis obscurant, 3. pondus maturitatis religiosæ enervant. *S. Bonav.* cit.

Secunda cura Superioris debet esse pro corpore subditi alimentando, vestiendo, fovendo, curando, conservando, *secundùm loca, & tempora, & frigidas regiones* (ut dicit Regula nostra) aliasque circumstantias; prout singularum Religionum Regulæ, Constitutiones, ac consuetudines salutares præscripserint pariter ac præceperint. De his ex proposito in sequentibus.

Tertia cura est pro fama Religiosorum conservanda; at non nisi indirectè ad hanc obligatur Superior curandam, manu-tenendam vi officii sui (ut notat *Lessius*) in quantum nimirum Religioso post amissionem famæ impendet via ulterioris & majoris spiritalis ruinæ; dum scil. Religiosus videns se famæ jacturam incurrisse, fit efferatior, non curans modica, sensim &

spernens majora : cogitat enim, quid juvat jam bona vita, cùm fama sit neglecta; & ita indomitô modô præceps & effrons ruit in omne malum, etiam sanctam obedientiam flocci-faciens, &c.

Q. 3. Quotuplex cura in subdito respondeat huic triplici curæ in Prælato.

R. Ex *S. Bern.* & *S. Bonav.* quòd triplex. Debet enim 1. subditus Superiori suo amorem; quia Pater ejus est, proque eo angitur die ac nocte. 2. Debet reverentiam, amore & timore mixtam; quia Dominus ejus est. 3. Debet obedientiam, quia Dei Vicarius est; ut ait *D. Bern.* De his hic agere, non est mei propositi.

Q 4. Quàm solicitè dictam triplicem curam cordi debeat sumere quicumque Superior Regularis.

R. Quòd ita, ut præ omnibus aliis illa maximè curet, quæ suæ curæ magis commissa sunt. De quo *S. Bern.* serm. 49. cant. *Utinam in me Dominus JESUS tantillum ordinet charitatis, quod dedit, ut sic mihi curæ sint universa, quæ sunt ipsius, ut tamen, quod mei potissimum propositi, seu officii esse constiterit, ante omnia curem.* h. i. Et *S. Chrysost.* homil. 87. in Joan. alloquens nomine Christi Prælatum Ecclesiæ, inquit: *Opus suscepisti, id considera: perfice, labora, & te certaminibus expone: quid ad te* (si aliter circa alios ordinem, aliis jubeam) *tu officium tuum cura, & exequere.* h. i.

Hanc

Hanc curam quoque inculcat seriò conformiter Regulæ *S. Bonav.* in c. 4. Regulæ ad 4. dum inquit : *Hìc autem nomine Custodum etiam Guardiani intelliguntur , qui habent immediatè custodire , & intendere pastorali curæ. Istis ergo cura , & solicitudo tantùm imponitur , & hoc propter duo , ut nullus sine ipsis sit solicitus ; &, quia dispensatio est necessaria secundùm varios status , de qua Regula dicit , secundùm loca , & tempora , & frigidas regiones.* h. i.

B. Prus V. (non in solo positivo *pius* , sed verè *piissimus* dicendus) ex S. Ordine Prædicatorum , zelô pro Ecclesia Dei , & singularum Religionum conservatione & augmentatione prorsus singularis , & in patientia alter *Job* appellandus , dicere solebat , *Pontificem decet moribus ædificare , non lapide* , id est, Prælatus Ecclesiæ noverit, principalem sibi incumbere hanc curam , ut moribus propriæ vitæ ædificet mores animarum sibi commissarum, potiùs , quàm muros , quæ sunt habitacula corporum.

* * *

* *

CAPUT II.

De ulteriori Cura Superioris Regularis circa Subditos Regulares.

VAriæ virtutes requiruntur quidem in Superiore regulari (de quibus fusiùs *S. Gregor.* in Pastorali, & *S. Bonav.* in Tr. de sex alis Seraphim, & alii DD.) at hic solum aliquæ tangentur, quæ aut necessariæ, aut utiles sunt immediatiùs pro vitæ communis regularitate commodiùs introducenda; quam proinde subditi in Superiore respicientes, faciliores sunt ad doctrinam de reformatione legitima acceptandum, & sese voluntati Superioris in iis, quæ secundùm altiorem Regulam sunt, conformandum. De quibus in sequentibus. Et quidem *S. Bern.* in sententiis tria specialiter requirit. *Tria Prælatis necessaria sunt: 1. viva fidei & doctrinæ sinceritas; ut inhabitent in eadem regione: studiosa bene operandi sedulitas; ut vigilias cum Pastoribus celebrent: de salute subditorum diligens curiositas; ut custodiant gregem suum.* h. i.

I. *Cura animarum* in Prælato Regulari suprà explicata triplex est, 1. ne deficiant, 2. ut proficiant, 3. ut defectuosi convalescant, & sanentur. De triplici hac loquitur *S. Bonav.* in tertia ala Seraph. *Cura continua urget Superiorem tam de spiritualis providentia disciplinæ, quàm de corporalis subsidii provisione. Unde & Apostoli non solùm de spiritualibus, sed & de temporalibus fi-*

delium

deliuæ neceſſitatibus, maximè pauperum ſoliciti erant. - Occupationes quoque variæ, tam ex domeſticis curis, quàm extraneis cauſis frequenter emergunt, quibus cogitur aliquatenus implicari, & , quomodo ſe de iis expediat , anxiari. h. i. Huic curæ reſpondet etiam ſpecialis merces; de qua *S. Bern.* ſerm. 23. in cant. *Accipiunt in promiſſione , qui bene præſunt , conſtituì ſuper omnia bona Domini ſui. At pauci profectò, qui utiliter, pauciores qui & humiliter præſunt. Facilè tamen utrumque adimplet , qui matrem virtutum diſcretionem perfectè adeptus.* h. i. *Virtus ſiquidem diſcretionis abſque charitatis fervore jacet, & fervor vehemens abſque diſcretionis temperamento præcipitat. Ideoque laudabilis, cui nullum deeſt, quatenus & fervor diſcretionem erigat, & diſcretio fervorem regat.* Ibidem.

II. *Curam* etiam hanc ſpiritalem requirit in Abbate , & ſpiritualibus Senioribus *S. Benedictus* c. 46. *Ut ſciant curare ſua , & aliena vulnera.* h. i.

III. In quem finem ſibi dictum arbitretur à cæleſti Samaritano Luc. 10. 35. *Curam illius habe, & quodcumque ſupererogaveris , ego , cùm rediero, reddam tibi.* In quæ verba *D. Bernardus* ad Papam Eugenium l. de conſider. Noli diffidere, *Curam exigeris habere , non curationem.* q.d. Chriſtus à te non exigit , ut ſanes infirmum, ſed curam ipſi impendas. Cui doctrinæ ſe conformaverat Doctor Gentium , dum dicebat : *Abundantiùs illis omnibus laboravi.* 1. Cor. 15. 10. In quæ verba idem præcit. melliſluus Do-

ctor lc. inquit: *Non ait, plus omnibus profui, aut, plus omnibus fructificavi, verbum insolens religiosissimè vitans. Aliàs autem noverat homo, quem docuit Deus, quia unusquisque secundùm suum laborem accipiet, non secundùm proventum.* h i.

IV. Hanc *Curam* in Superiore exigit cit. Apost. Rom. 12. 8. *Qui præest in solicitudine.* Et 2. Cor. 11. 28. de se ipso dicit: *Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.* Dicitur autem *solicitus*, ex doctrina *D. Th.* 2. 2 q. 47. a. 9. in concl. *quasi solers citus, in quantum scil. aliquis ex quadam solertia animi velox est ad persequendum ea, quæ sunt agenda.* h. i. Allegat ibidem Philosophum 8 Eth. sic loquentem: *Oportet operari quidem velociter consiliata, consiliari autem tardè.* Id est, exequendum est promptè, quod consultatum est lentè, q. d. Cura magna sit illi, ut, quæ præmeditatè judicavit facienda, studeat strenuè executioni mandare.

V. Onus *Curæ* hujus plurimum aggravatur, dum considerat, quod ipse sit *quasi signum ad sagittam, utpote contra quem alius obloquitur, alius murmurat, alius judicat, &c.* ut ait Umbertus cit. à Picinello c. 11. disc. 84. Proinde curis supra curas ita nonnumquam fatigatur, ut perplexus fiat (ut advertit *S. Bonav.* lc.) nesciens, quid incipiat, an subditorum murmuri cedat, aut se opponat, &c. De hac cura *S. Bern.* serm. 42. cant. *Non sum Propheta, non sum Apostolus: & Prophetæ tamen & Apostoli (audeo dicere) vice fun-*

fungor: & quibus non æquor meritis, implicor curis. h. i.

VI Hæc *Cura* seria fuit Apostolo, 2. Cor. 12. 15. dum ajebat: *Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Hanc quoque paucis accuratè depingit *Ven. Beda* serm. de Nativit. Christi: *Solus ille Conditorem perfectè diligit, qui & proximis curam puri amoris impendit.* h. i.

VII. *Cura* hæc fusiùs explicata legitur in Regula S. *Ferreoli* c. 37. his verbis: *Abbatem cunctis, quibus præest Monachis, strenuitas quidem, sed mansuetudo, & potius vita commendet: ita ut magis sanctum illum timeant, quàm severum: & plus in illo metuant, quòd meritis est primus, quam quòd honore primarius. Habeat enim in correctione modum, & in familiaritate temperamentum: eritque in cunctis ita moribus dispensatus, ut blandimento vocet, terrore castiget; faciens se ab omnibus, eò quòd vitia oderit, plùs amari. Tota enim ejus conversatio erit quasi positum fundamentum, ut in eo superædificetur, quisquis imitatione illius optat bonis Deo meritis proximare. Nullus erit ab ipso potestate, sed ratione damnandus: nec tamen quispiam illi ita familiaris, ut ceteris plus præsumat; neque ita offensus, ut ad veniam, expleta contritione non redeat. Convenerit namque illi omnes timere, qui timetur ab omnibus, totoque studio atque industria providere, ne aliquis ex his, quos regendos propriâ curâ suscepit, adverso quolibet casu discedat ex numero. Et ideo pluri-*

mis medicamentis necesse est illum Monachorum subvenire languoribus, & ægritudinibus mentium remedium curæ spiritalis inferre, &c. Manifestum ergo est, quisque præesse videris Monachis, magnum tibi per honorem onus impositum, ita ut, cùm dignitate sis primus, desudes omnium pondere sarcinatus. Propter quod recti itineris curre semitam, quæ ad cælum perducit: & ire ostende gregi inoffensum callem, & sanctitatis eum quoque passibus antecede: atque ita stude, ut non erret, quicumque te ducem gradibus imitationis insequitur; ut videaris Apostolicæ monita sententiæ complêsse, quæ habet: Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. 1. Tim. 4. Et iterum: *Solicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis.* 2. Tim. 2. h. i. Quæ *S. Ferreolus* dicit & exigit in Abbate, dicta arbitrâre cuilibet Superiori Regulari, quoad *curam* circa subditos.

VIII. Quia cura Superioris circa subditos sit talis, *ut sentiat in corde, exequatur opere, quod persuadere vult sermone*; ut jubet Seneca. *Nam nudus sermo non persuadet*; ait S. Ambrosius. *Non sermo, sed causa suadeat*; ait S. Gregor. in moral. *Causam hanc non obiter tractet*; *nam vitium uno tractu non evellitur*; ait S. Bern. *Nec bonus medicus curat in transitu*; ait Seneca; *sæpe de Regula prædicandum, de votorum observantia, de adimplendi necessitate*, ait Dionys. Cartus. *Sæpius tinctura opus est, ut color panno adhæreat*; ait J. Nigronius.

IX. Præ-

IX. Prælatus Curam suam multiplicem subinde interrumpat, & interfulciat oratione fervenți ad Deum, de quo *S. Bonav.* in Ala 6ta sic loquitur: *Quod si Prælatus præpeditur variis curarum distractionibus, speciali devotioni sapiùs intendere; saltem iuterdum, cùm opportunè licet quasi furtim & raptim ad orationis studium se conferat, ne omnino refrigescat, ne in dissuetudinem orandi veniat, ne à Deo alienus efficiatur, ne gratia divinæ propitiationis ei quasi insensibiliter subtrahatur.* Vide plura ibi lc.

X. In omni cura sua studeat semper Deo placere. De quo S. Bonav. lc. in Ala 6ta. Insit ei *continuum studium Deo placendi in omni actione, vel locutione-- 2. Cor. 5. contendimus sive absentes, sive præsentes placere illi.* h. i. Quamvis interim murmuret non-nemo subditorum, non curet. De quo *S. Bern.* serm. 25. Cant. *Omnibus quidem optanda est ista perfectio; propriè autem optimorum est forma Prælatorum. Sciunt quippe boni fidelesque Præpositi languentium sibi creditam animarum curam non pompam. Cumque internum murmur cujuspiam illarum querulæ vocis indicio deprehendunt, etsi in ipsos usque ad convitia & contumelias prorumpentis, medicos se & non dominos agnoscentes, parant confestim adversus phreneśim animæ non vindictam, sed medicinam.* h. i.

* * *
* *

CAPUT III.

De onere, virtute, obligatione, & negligentia Superiorum Regularium.

NB. QUæ hic dicenda sunt, libentiùs ex script. S. & Doctoribus piis mihi, & alis prælego, quàm doceo. Sciendum autem ex *D. Bonav.* in Ala 4ta, quòd *finis officii regiminis sit, commissos sibi ad vitam æternam dirigere, & ad virtutum merita fideliter promovere.* h. i. Hunc finem quò Superior exactiùs assequitur, eò ampliùs suo officio satisfacit; quo minùs, minùs.

1. *Dionys. Cartus.* de reformat. claustral. a. 3. hoc onus ita perstringit. *Quantò alicui imminet majus periculum, majus damnum, graviorque damnatio de negligentia, & impia vita sua, tantò (nisi omnino amens & cacus sit) mente solicitior esse debet, ut diligenter & justè se habeat. Porro quò Prælatus altioris est prælationis & dignitatis, & quò pluribus præest; quantò etiam districtiùs jubetur, multipliciùsque tenetur ad vitam justam, diligentem ac timoratam, tantò enormiùs ac damnabiliùs peccat, si negligenter & iniquè se habeat.* h. i. Insuper *S. Bernardus* curam animarum ita æstimavit, ut putarit sibi sanguinem Christi in ampullis vitreis esse creditum: quæ cura propterea dupliciter gravis est, tum propter fragilitatem vasorum, tum propter pretium contenti liquoris.

De hoc graviss. onere *S. Bonav.* in c. 6. Sapient.

Judi-

Judicium durissimum in his qui præsunt, fiet, durũ quidem, quia malè intraverunt; durius, quia malè vixerunt; durissimum, quia malè rexerunt. Vel, durum, propter peccata subditorum; durius, propter peccata ministrorum; durissimum, propter multitudinem & enormitatem propriorum peccatorum. Duriùs punientur Prælati quàm ceteri: Primò *ratione commissi, secundùm illud* Luc. 12. *cui plus commodaverint, plùs petent ab eo.* Secundò, *ratione peccati, quia, ceteris paribus, gravius est peccatum Prælati quàm subditi.* Tertiò *ratione damni, quia scil. alios suo exemplo corrumpũt.* Gregor. *Cùm Pastor per abrupta graditur, necesse est, ut in præcipitium grex sequatur.* Quartò, *ratione scandali, scandalizastis plurimos in lege.* Malach. 2. Quintò, *ratione judicii; quia scil. hic non judicantur, hinc in futuro duriùs judicabuntur.* Sextò, *ratione officii, quod indigni exercendo peccant.* h. i.

II. Idem *Dionys. Cartus.* lc. præsentem materiam prosequitur lc. dicens: *Sciens illuminatissimus, & discretissimus Pater Benedictus totam Congregationis salutem, & claustri statum laudabilem ex regimine dependere Abbatis* (adde, cujuscumque Superioris Regularis) *denuo vigilantissimè admonet, dicens: Abbas cogitet semper, quale onus suscepit, & cui redditurus est rationem villicationis suæ, sciatque oportere se prodesse Fratribus potiùs quàm præesse. Oportet ergo eum esse doctum in lege divina, ut sciat, unde proferat nova & vetera: castum, sobrium, humilem, misericordem, ut & ipse misericordiam consequatur. Oderit vi-*

tia

ria, diligat Fratres : In ipsa autem correptione prudenter se habeat, & ne quid nimis; ne, dum cupit eradere aruginem, vas frangatur : suamque propriam fragilitatem attendat, atque meminerit calamum quassatum non semper conterendũ. In quibus non dicimus, ut vitia nutriri permittat, sed cum discretione & charitate amputet ea, prout viderit cuique expedire; & studeat plùs amari, quàm timeri. Non sit turbulentus, aut anxius, vel obstinatus, aut excessivus, neque zelotypus, aut nimis suspiciosus; quia sic numquam quiesceret. In suis imperiis sit providus & consideratus: sitque fervens & discretus in omnibus. -- Quantò plùs diligitur, tantò libentiùs auditur. *Hugo super Regulam S. Augustt. Hic in Regula sua:* Circa omnes semetipsum bonorum operum præbeat exemplum: corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes. *S. Pachomius in Regula sua ait:* Nos ipsi, quæ aliis præcipimus, cum ingenti solicitudine adimplemus. *hi.*

III. Obligationi suæ conetur per omnia ita satisfacere, ut possit in veritate cum Apostolo gloriari Act. 20. & dicere : *Vos scitis, quomodo nihil subtraxerim utilium, quò minùs annuntiarem vobis, & docerem vos---- Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium : non enim subterfugi, quò minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis-- omnia ostendi vobis*, verbo scil. & exemplo &c. Et S. Hilarius in Matthæum: *Dominus hunc servum fidelem atque prudentem, præpositum familiæ significat, commoda atque utilitates commissi sibi populi curantem.*

Qui

Qui si dicto audiens, & præceptis obediens erit, id est, si doctrinæ opportunitate & veritate infirma confirmet, disrupta consolidet, depravata convertat, & verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispendat, atque hæc agens, hisque immorans deprehendatur - - - in Dei gloria collocabitur. Quòd si contuens longam Dei patientiam, quæ in profectum humanæ salutis extenditur, adversùm conservos insolescet, & sæculi malis, vitiisque se tradet, præsentium tantùm curam in cultu ventris exercens; desperata die Dominus adveniet, eumque à bonis, quæ sponderat, dividet, portionemque ejus cum hypocritis in pœna æternitate constituet: quia adventum desperaverit, quia mandatis non obtemperaverit, quia præsentibus studuerit, quia vitâ gentium vixerit, quia desperatione judicii commissam sibi familiam fame, siti, cæde vexaverit. h. i.

IV. Virtutem doceat subditos verbô, & exemplô: de quo *S. Bonav.* in Ala quarta inquit: *Rector animarum præcipuè ad hoc studere debet, ùt sibi commissos faciat Christi-formes, id est, ùt formam vitæ ac doctrinæ Christi eis imprimat: ut non solùm mente eum attendant, sed & moribus imitentur.* Ephes. 5. *Estote imitatores Dei, sicut Filii charissimi. Insuper se in exemplum illis proponere.* 1. Cor. 4. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* q. d. *Si formam Christi desideratis ad imitandum agnoscere, in meis hanc moribus considerate.* Gal. 2. *Vivo jam non ego, vivit verò in me Christus.* h. i.

V. Studeat, quomodo nomine & omine se vicarium Christi gerat. De quo *S. Bonav.* lc. *Vicarius*

carius Christi vicem Christi debet gerere, 1. In beneplaciti ejus promotione, 2. In potestatis ejus auctoritate, 3. In similitudinis ejus repræsentatione, scil. ut ea, quæ vult, promoveat in subditis, & ejus auctoritate illa possit, quæ eis expediunt, & eum in se imitabilem illis moribus & vitâ demonstret. h. i.

VI. Tria singulariter in illo reluceant; de quibus *S. Bonav.* lc. dicens: *Quamvis in omnibus virtutum exemplis debeat Rector animarum præcedere subditos, specialiter tamen in his tribus, 1. In communis observantiæ conformitate, 2. In mansuetudinis humilitate, 3. In maturitatis honestate. Tit. 2. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.* h. i.

CAPUT IV.

De Superioris Regularis humilitate, charitate, patientia, & fortitudine.

NB. Hæ quatuor virtutes, inter alias, amabilem & recommendabilem suis reddunt Superiorem subditis, ejusque doctrinam; ut faciliùs hanc ab illo acceptent, & in communi vivere non detrectent. De quibus jam ex parte actum est in præced. Cap.

Porro *S. Bonav.* necessarias Superiori virtutes tradit in compendio in c. 9. Lucæ, dicens: *Prælatis ad plebem regendam sunt necessaria tria, scil. humilitas animi, æquanimitas zeli, & perspicacitas*

tas judicii. h. i. Auctoritatē hujus Seraphici Doctoris sæpius hic cito, quia ille fuit expertissimus & dexterrimus in animarum regimine, & maximæ experientiæ, simul & sanctitatis Seraphicæ. Uti & *S. Bernardi*; qui compendiatam virtutum seriem hanc Prælato scribit in declamat. *Evæ prudentia, Adæ temperantia, Cain justitia, Petro defuit fortitudo. Quam virtutis quadrifariæ perfectionem, & cathedram sanctitatis omnino exigit ministerium hoc, de quo loquimur.* h. i.

I. *Humilitatem* in tribus ostendat; quæ *S. Bonav.* in Ala 4ta explicat, dicens: Primò *Animarum Rector sit humilis in moribus, ut mores ejus ostendant, eum non alta de se sentire, nec affectare prælationem, sed timere, & coactum tenere, & magis desiderare subesse: & eos, quibus præest meliores se judicare; & eorum potiùs se servum, quàm Magistrum vel Dominum reputare.* Luc. 22. *Qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator. Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat &c.* Secundò, *Sit etiam humilis affabilitate, ut subditi facilem accessum ad eum habeant, & fiducialiter ei loqui, de quibus indigent, audeant: & patienter eos audiat & benignè eis satisfaciat, & studiosè instruat, & alacriter exhortetur &c.* Tertiò *Sit etiā humilis in usu rerum temporalium, ut nihil habeat pomposum, vel diligat, sed omnia, quæ habere videtur, paupertatem voluntariam demonstrent, & humilitatem ostendant, scil. vestes, libri, cella, lectulus, utensilia, mensa, palea, &c. ut nihil in omnibus appareat, quod notam jactantiæ, curiositatis habeat: nec talia fieri ab*

aliis

aliis patiatur: similia enim similibus congaudent, alta sublimibus, humilia humilibus delectando. Non est autem humilis cordis indicium, curiosa quærere, pretiosa affectare, excelsa ambire. Job. 41.25. Omne sublime videt: ipse est rex super universos filios superbiæ. *h. i.* Monet tamen *S. August.* Superiores in Regula: *Quando necessitas disciplinæ minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit; si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, ut ab eis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam eos, quos plùs justè fortè corripuistis, quanta benevolentia diligatis.* h. i.

II. *Charitas* ostendat se fraterna compassione, consolatione, supportatione, quæ exhibenda est infirmis ac debilibus corpore, & mente; de quibus latiùs *S. Bonav.* in Ala 2. *Infirmus, qui afflictus sibimet subvenire non valet, eo ipso amplius tribulatur, quia ab his, à quibus deberet, non consolatur, non à labore relevatur: non subvenitur indigenti: nec habet sibi compatientem: -- Bonus autem Prælatus agnoscit se Fratrum suorum patrem, non Dominũ: & exhibet se eis medicum, non tyrannum: nec reputat eos ùt jumenta sua, vel servos emptionis, sed ùt filios hereditatis supernæ consortes: & facit eis, sicut vellet sibi fieri, si similiter indigeret. Sed fortes, & sani non sentiunt, quod sentit ager; ideo nesciunt eis compati, scient autem postea, cùm dolebunt. Quòd si objiciant, quia sæpe fingunt se debiliores quàm sint: numquid propter hoc omnes sunt hypo-*

hypocritæ judicandi ? --- Expedit ergo Prælatum quandoque experiri infirmitates ceterorum, ut discat compati, h. i. De hac charitate ait *S. Augustin.* in Regula: *Non carnalis, sed spiritualis inter nos debet esse dilectio - - ipse verò Præpositus non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem. Honore coram omnibus Prælatus sit vobis, coram Deo substratus sit pedibus vestris*, h. i. Hæc charitas docet Prælatum, quærere non, quæ sua sunt, sed quæ subditorum, juxta verbum *S. Bernardi* l. 3. de consid. *Præs: numquid ut de subditis crescas? nequaquam, sed ut ipsi de te. Principem te constituerunt, sed sibi, non tibi: Alioquin quo pacto te reputas Superiorem his, à quibus beneficium mendices ? audi Dominum, qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.* h. i.

III. Patientia *maximè necessaria videtur in tribus. 1 Propter multiplices labores, & curas, & occupationes diversimodè emergentes &c.* Secundò *est & patientia necessaria pro tardo profectu illorum, in quibus continuè fatigatur. Videt enim paucos eorum proficere: videt pòst, quia per multos conatus suos ea, quæ multo labore in modico jam emendari ceperant, ex facili iterum dilabuntur: & propter plures difficultates, & obstacula profectum spiritalem impedientia quasi in desperationem tendere fructum laboris sui. -- Hæc & alia plura videns spiritalis Prælatus, qui omnia in veritate dijudicat, tabescit, & uritur: & non valens corrigere pro desiderio, in virtute patientiæ mirabiliter exercetur.* Hucusque *S. Bonav.* in 3tia Ala. Tertiò,

tiò, *necessaria est ei patientia pro ingratitudine illorum, pro quibus tanta solicitudine laborat, scil. quòd vix umquam eis satisfacit, quin semper conquerantur, quòd aliter posset eis & meliùs facere, si vellet; quòd sæpe perplexus est, an debeat eorum importunitati cedere, & acquiescere in omnibus, quæ cupiunt, vel rigidè tenere, quod credit esse magis expediens -- item quòd invertunt ei plurima, quæ facit, & interpretantur ad deterius &c. item, quòd etiam in faciem quidam resistunt ei &c.* hucusque cit. *S. Bonav.* De his supra c. 22. lib. 1.

Pergit *S. Bonav.* lc. *His & aliis adversis, quibus impetitur, triplicis patientiæ scutum studeat opponere. 1. ut modestè, maturè, & benignè ad singula respondeat, & impetum fervoris reprimat, ne in voce aut vultu, seu moribus impatientiam ostendat. Tunc enim magis proficit per patientiam, & tandem devincit, quos impetuosè agendo amplius provocaret-- impatientia enim prælati confundit, quæ promovere poterat bona.* Secundò, *studeat esse pacificus, ut nec vindicet se de illatis injuriis, nec in corde oderit illos, nec curam eorum segniùs agat; nec quærat eos à se amovere. immo libentiùs teneat eos, ut per hoc & illos & alios ædificet, benefaciendo ingratis. --- Cùm enim proprium officium Pastoris sit docere virtutes; si vitiosos removet à se, quos docebit? si medicus fugit ægrotos, quos curabit? &c.* Tertiò *sit patiens, ut non minùs sit voluntarius & studiosus ad exequenda ea, quæ officii sui solicitudo requirit, propter tædium laboris, vel tarditatem profectus, vel im-*

portuni-

portunitates subditorum, vel alia gravamina: quia sic ad alta merita pervenitur. h. i.

IV. Magna *Fortitudine*, robore animi, ac longanimitate indiget Prælatus pro abolendis abusibus, sufferendis difficultatibus, tollendis obstaculis, lucrandis subditorum resistentium animis, in hoc maximè opere sancto, scil. promotione, & introductione vitæ regulariter communis. Quid ergo faciendum? Respondet *Alphonsus à Jesu Maria* Generalis Præpositus Ord. Carmel. Discal. in Consiliario Spirituali Prælatorum disc. 5. consi. 6 his verbis; *Ne Prælatus animo cadat in bene cepto S. Opere, quod Deus sibi injunxit, prosequendo. Sciendum est ipsi, quòd, quantò plus adhibiturus sit diligentiæ ad promovendum subditorum suorum bonum, tantò majorem dæmones navaturi sint operam ad bellum ipsi movendum &c.* Confirmat dicto *S. Gregorii* l. 31. moral. c. 17. prope finem, ubi inquit: *Quia enim videt sanctæ mentis studium contra se, & aliis prodesse, multiplicatâ hanc satagit tentatione confodere.* h. i. Conatur dæmon animum Superioris frangere, ut à ceptis desistat, aut ipsemet virtutem abjiciat, ne alios corrigere valeat; quod ipsum figuratum est in filiis Job, quibus ademit vitam in domo fratris senioris, & Superioris. Hoc ipsum advertit dictus *S. Gregor.* l. 2. moral. c. 9. dum inquit: *Dum in majoris fratris domo convivantur, pereunt; quia tunc contra nos hostis vehementiùs vires accipit, quando & ipsos, qui pro custodia disciplinæ prælati sunt, ventri servire cognoscit.* h. i.

V. *Pusillanimis* non fiat, non à ceptis decidat, animum non despondeat, quamvis exilem fructum faciat; nam Matth. 13. maxima pars seminis periit, quia cecidit vel inter spinas, vel in petræ duritiem, vel viæ tritæ incultam ariditatem. Huic similitudini insistens *S. Chrysost.* ita erigit animum Prælati: *Quia contingere potest, ut petræ duræ, viæ regiæ, & transitus se conversura sint in optimam terram; spinæ verò, & cardui mutandi in melius, meliores reddituri sint fructus, quàm terræ aliæ, quæ semper fuêre bonæ.* Sibi applicando hanc similitudinem pergit: *Tametsi certò sciam, quòd doceam sine fructu, non tamen propterea intermittam hoc facere; quia hoc modo coram Deo excusatus ero, quantumcumque nemo me audiat.* h. i. Magna consolatio pro Prælato, qui duris corde loquitur verbum salutis, verbum sanum, irreprehensibile!

CAPUT V.

De justitiæ zelo contra abusus, corruptelas, & delinquentes.

I. ZElus *justitiæ* est (ex *S. Bonav.* in prima Ala) quô armatus Rector animarum *non potest aliquid injustum sine cordis murmure in se, & in aliis sustinere. Tantum enim quisque bonus æstimandus est, quantò plus, & puriùs odit malum; quantum enim res diligitur, tantum de ejus destructione doletur.* h. i.

II. Zelus ut sit virtus, debet regi per discretionem,

tionem, quæ est auriga virtutum (ut ait *S. Bern.* super illa verba Cant. 2. *Ordinavit in me charitatem*) *tolle hanc, & virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis converteturr, exterminiumque naturæ.* h. i. Addit: *Importabilis absque scientia zelus est. Ubi ergo vehemens æmulatio, ibi maximè discretio est necessaria, quæ est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absque scientia minùs efficax minùsque utilis invenitur; plerumque autem & pernicioſus valde sentitur. Quò igitur zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiorque charitas, eò vigilantiori opus scientia est, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem.* h. i. Idem Mellifluus Doctor l. consid. ad Eugenium, illum Prælatum Ecclesiæ laudat, qui *causam Dei facit suam*, immo causam Dei ferventiùs cordi sumit, & curat quàm propriam. Ibidem S. Doctor suum eximium zelum ostendit, dum inquit: *Non timeo inglorius fieri, ne irruatur in gloriam Dei.* h. i. Sit tamen hic zelus Prælati *cum dilectione hominum, & odio vitiorum*: ut ait *S. Augusti.* in Regula. Et *S. Bern.* in declam. Zelum in Prælatis exigit ferventem. *Sunt infirmi & tepidi amatores justitiæ, quibus aut vigor aut fervor deest, aut fortassis uterque, cùm uterque sit sumopere necessarius inter prospera quippe & adversa versanti. Etenim vigoris esse dignoscitur, nequaquam cedere tribulationi, sed pro justitia viriliter persecutionem sustinere: sic fervori videtur attribuendum nullis capi voluptatibus, nullis illecebris enervari. Quæ quidem tum omni populo, tum*

maximè & specialiter Ducibus populi sunt necessaria. h. i.

Qualiter autem, quando, in quo, contra quos hunc justitiæ zelum exercere debeat Superior, seu animarum Rector, exactè docet *D. Bonav.* qui annis 18. fuit Generalis Minister in Ordine Minorũ, & Prælaturæ hujus officio functus cum magno merito, laude & præmio, fructuq; ingẽti non solùm suæ Religionis, sed etiam totius Ecclesiæ, quam sanctissimis exemplis, & seraphicis documẽtis illustravit. Hic monet in 1ma Ala lib. de sex alis Seraphim, quòd Superior in sex zelum hunc ostendere debeat, dum inquit.

IV. *Verus igitur justitiæ zelator præcavet* primò, *ne malum aliquo modo faciat, vel doceat.* 2dò, *ne licentiet, vel concedat quacumque importunitate, seu circumventione mollitus.* 3tiò, *ne faveat, vel diligat fieri, etiamsi eô irrequisitô fiat, vel absente.* 4tò, *ne dissimulet, & taceat quasi nesciens, cùm ad eum pertineat arguere, & ostendere, quantum malum sit, & deterrere, ne ulteriùs audeant similia attentare* 5tò, *ne inultum esse patiatur; quia aliquod bonum parit peccati castigatio, scil. quòd ipse, qui fecit, prohibetur ultrà peccare.* 6tò, *item ipse Prælatus vicarius supremi judicis liberat animam suam à peccato negligentiæ, officium suum sic implendo: quod quia Heli sacerdos non fecit, mortis sententiam cum filiis peccantibus excepit, Reg. 4.* h. i. Pergit Seraphicus Doctor.

V. In hoc enim differunt laudabiles Religiones, & jam collapsæ; non, quòd nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quòd nullus impunè peccare [illegible]

finatur: & peccandi aditus studiosè præcludantur, & incorrigibiles ac alios inficientes eliminetur: & boni foveantur, & diligantur, ut perseverantes & in melius semper proficiant. Nam in conventu Angelorum ante confirmationem, & in Ordine Apostolorũ sub magisterio Christi si reperta sit pravitas; quis Ordo bonorum in terra audeat sibi arrogare hanc prærogativam, quòd peccatum in eo non sit? quia etsi plurimi per Dei gratiam immunes ibi fuerint, sed non omnes. Bonis enim, quamdiu sunt hic in statu merendi, expedit aliquos malos secum habere, qui eis sint majoris occasio meriti: quibus compatiantur in malis suis: contra quos zelus eorum inardescat: quos corrigere laborant: quibus similes fieri pertimescant: qui eis sint tentationis materia: à quibus etiam persecutiones sustineant: & ex quorum consideratione confusi humilientur, quia tales non sunt: admoneantur gratiarum actionis ei, qui custodit eos, ne tales efficiantur. Si autem deessent bonis prædictarum virtutum occasiones, merita ipsorum tantò fierent etiam minora. h. i.

VI. Nec tamen diligendi sunt mali, seu fovendi, sed tolerandi - - - interim etiam dum tolerantur, puniendi sunt stimulis admonitionum, correptionum, confusionum, castigationum: ungendi etiam fomentis exhortationum, consolationum, orationum, & promissionum, si fortè convalescant de infirmitate, & fortes fiant. Præcludenda est eis via peccandi, & tentationis aditus obstruendi; quod etiam bonis expedit, ne opportunitas mali faciat eos deteriores. h. i. Continuat hanc materiam Seraphicus Doctor.

VII. Prælatus enim Vicarius Dei, cui data est

potestas à Domino super familiam suam, & cui debent subditi ea de causa vice Domini obedire, si non corrigit delinquentes, si permittit sub se vitia crescere, & consuetudines malas oriri, & jam exortas roborari & dilatari: si videt regulares observantias dilabi, & transgressiones multiplicari; & pro posse non obviat tam præsentibus malis, quàm imminentibus, triplicem Deo reddet rationem, primò, *pro sua negligentia, quando non fecit, ad quod officio tenebatur, Sap. 6. Cùm essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem ejus ambulastis; horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his qui præsunt, fiet &c.* Secundò, *quòd omnia peccata subditorum, quæ poterat & debuerat correxisse, & præcavisse, imputantur ei.* Tertiò, *pro abusione honoris, & potestatis sibi collatæ, quam ad propriam gloriam & commodum retorsit, & non, ad quod data est ei.* h. i. Pergit & concludit S. Doctor.

VIII. NB. Ostendat ergo bonus Zelator, quantum diligat Deum in eo, quòd beneplacitum ejus in se & in aliis promoveat: nec ab hoc zelo mollescat per desidiam: nec labore lassetur: nec consiliis flectatur: nec astutiis circumveniatur: nec amicitia, nec blandimentis deliniatur: nec minis terreatur: nec per diuturnæ pravæ consuetudinis præscriptionem desperet quin suum officium exequatur. NB. Hucusque eruditissimè & imperterritè Seraphicus Doct. Quibus verbis conatur Superiores seu Animarum Rectores animare, erigere, confirmare in eo, quod practicavit, & expertus fuit.

IX. Ze-

IX. Zelus Prælati boni (juxta monitum *S. Chryſ.*) debet habere ſuo imperio ita ſubjectam paſſionem iræ, (quæ ex ſe mala non eſt, ſed inſtrumentum virtutis) ſicut opilio ſuum canem: quem non ſinit ſolutum præcurrere, quò is ſuo canino appetitu ducitur; alioquin continuò turbaret oves, in paſcendoque terreret & impediret: nec tamen etiam ſinit poſt ſe ſegniter dormiturire: ſed ad latus alligatum habet, ut, dum indiget, eum ad ſuam obedientiam promptum habeat, ad oves reducendum, abſterrendum, &c. & hoc officiô peractô, eum denuò alligat. Ita & Prælatus non ſinat iram præcurrere, aut ſibi dominari; ſic enim dilaceraret oves: nec tamen etiam animo nimis remiſſo per iræ ſegnitiem ſit cauſa malitiæ in ſubditis increſcentis: ſic dominetur iræ, & imperet tamquam beſtiæ ſibi à Deo attributæ, quâ utatur ad continendum Dei animalia in ſancto timore, & boni operatione. Hoc agens, non peccat. Per hanc etiam tenetur punire non ſolùm malitiam in abſtracto, ſed malos in concreto; nam malitia in abſtracto nulla datur. Attamen monitum *S. Gregorii* Papæ homil. 34. in Evang. conetur exactè ſervare, qui inquit: *Vera juſtitia compaſſionem habet, falſa juſtitia dedignationem: quamvis & juſti ſoleant rectè peccatoribus dedignari. Sed aliud eſt, quod agitur typo ſuperbiæ, aliud quod zelo diſciplinæ. Dedignantur etenim, ſed non dedignantes: deſperant, ſed non deſperantes: perſecutionem commovent, ſed amantes: quia etſi foris increpationes per diſciplinam exaggerant, intùs tamen dulcedi-*

nempe per charitatem servant. Præponunt sibi in animo ipsos plerumque quos corrigunt : meliores existimant eos quoque quos judicant. Quod videlicet agentes, & per disciplinam subditos, & per humilitatem custodiunt semetipsos. h. i.

CAPUT VI.

De circumspectione, discretione, & rigore Superioris Regularis erga delinquentes.

I. DE circumspectione illius agit *Seraphicus Doctor* in quinta ala Ecclesiastici Seraph, his verbis. *Cùm Prælatus curam animarum suscipit : ut in earum salvatione Deo gratissimum præstet obsequium* (nullum enim Deo gratius sacrificium, quàm zelus animarum.) inter alia virtutum insignia semper debet rationis judiciô quatuor ad officium suum spectantia in *pectore versare.* Primum est, *quomodo in statu debito commissos sibi gubernet.* Secundum, *quomodo lapsos & devios corrigat & emendet.* Tertium, *exteriora negotia, quæ requiruntur ab eo, congruè disponat.* Quartum, *quomodo se in his disponat & gerat.-- Ad statum debitum tenendum convenit, ut Rector animarum subditorum mores, & conscientias, & vires perspicuè cognoscat, ut, secundùm quod unicuique expedit, onus observantiæ regularis imponat ; non enim omnes omnia possunt æqualiter. Recogitetque, quòd præcipua causa monastica institutionis fuit, ut esset schola palæstralis exercitii per-*

perfectionis. h. i. Pergit Doctor Seraphicus de *discretione* agere.

II. *In hoc indiget Prælatus* non modica discretione, *ut sciat inter rigorem & remissionem medium tenere. Si enim nimis fuerit rigidus, & ipse minùs erit dilectus fratribus; & illi minùs erunt voluntarii ad alia, quæ utiliora, & necessariora forent. Rursum si fuerit plùs, quàm convenit, remissus in talibus, citò major dissolutio subsequetur. Qui spernit modica, paulatim decidet. Circa lapsorum correptionem discretio Prælati similiter vigere debet.-- Et cum aliter facere non potest circa delinquentes occultos, portet, dissimulet, patientiam suam exerceat, & quod arguendo non valet, orando laboret obtinere.--- Ad ista tamen non debet impetu ferri, sed maturo consilio prudentum, & spiritum Dei & donum consilii habentium.* h. i. Pergit *D. Bonav.*

III. Discretio Prælati *debet providè prospicere, quid ex quolibet eventu possit consequi, & quæ negotia admittere, & quantum expedit ea exequi, circumspectè rimari. Super omnia verò debet Rector semetipsum circumspicere, ne aliis providens, seipsum negligat, ne alios salvans seipsum in periculum demergat.-- Una circumspectio sui versatur circa conscientiæ serenitatem, ut illa semper secura sit & munda: secura sit, ut nihil velit, agat, jubeat, vel permittat illicitum & indecens, professioniquæ suæ contrarium, in quo peccatum seu scandalum deprehendatur. Munda; ut de bonis, quæ facit vel promovet, gloriam ab hominibus non captet, nec sibimet exinde immoderatè placeat:*

solius

solius Dei beneplacitum in omnibus quærens, ut, quæ pro eo facit, id est, vice Dei, etiam faciat purè propter eum, & ipsius amorem. Scrutetur ergo conscientiam suam solicitè dijudicans, quid egerit, quid omiserit de agendis, & quo fine bona fecerit: & de malis doleat, & confiteatur, & corrigat, & caveat: de bonis verò non in se, sed in Domino glorietur. Qui pulverem ab aliis detergit, vix potest transire, nisi & ipse pulvere respergatur; quem etiam in se detergere necesse habet. De bonis verò, quæ facit, sic lætetur, ut inde non extollatur; æstimans, quòd non propter se, sed propter alios, quibus præest, Deus dederit ei bene facere, vel dicere, vel sentire. h.i. Subnectit plura de circumspectione.

IV. *Alia* circumspectio *sui versatur circa exteriores mores, & verba, quibus oportet eum aliis magis, quàm sibimet deservire. Qui enim pluribus cogitur vivere ad exemplum, & satisfacere singulis, & omnibus placere, multa indiget* discretione, *ut medium valeat tenere; ne sit nimis tristis vel hilaris, nimis severus vel levis, nimis socialis vel alienus, nimis tacitus vel verbosus, nimis durè loquens vel blandè, nimis rigidus vel remissus, nimis sæpe cum hospitibus vel rarò, nimis lautè reficiens vel tenuiter, nimis facta fratrum observans vel dissimulans, nimis fovens aliquos vel alios parvipendens, &c. Cùm ergo non possit semper teneri, quod de omnibus placeat; minùs tamen deviat, si ad benignitatis partem plus declinat, per quam redditur subditis magis amabilis, ob quam ei libentiùs obtemperant, & audaciùs ad*

eum

eum recurrunt in quibus indigent, & alacriùs eum imitantur. Ipsa enim potestatis auctoritas facit eum satis timendum subditis: & si huic conjungitur austeritatis severitas, pavidis fit mentibus onerosa. -- In omni tamen dubio semper magis inclinet se ad illud, quod secundùm veritatis judicium virtuti charitatis & humilitatis, & professæ puritati magis consonat, & evangelicæ perfectioni. Hucusque Doctor Seraphicus.

V. Rigor *sit in ratione fundatus, ut Prælatus non sit nimis remissus, nec negligens.* De quo *Dionys. Cartus.* a. 5. de reform. Claustral. *Eccli. 10. 2. Secundùm judicem populi sic & ministri ejus: & qualis est Rector civitatis, tales & habitantes in ea.* Ex his verbis SS. Patres concludunt, quòd *præcipua causa ruinæ subditorum est negligentia & perversitas Prælatorum, sub quorum præsidentia vel virtuosa subditorum conversatio cadit & perit, vel eorum, qui dudum jam lapsi sunt, deformatio ac ruina durat ac perseverat.* h. i Idem art. 6. *Quantò Religiosi & Monachi altioris & perfectioris sunt ordinis, tantò gravioribus multiplicioribusque quotidie involvuntur peccatis, si ad observantiam regularem non fuerint diligentes. Meritò ergo fatetur S. August. sicut non vidi meliores his, qui in claustris profecerunt, ita non vidi deteriores his, qui in claustris virtuosè se habere non studuerunt. Immò, ut S. Hieron. in sua Regula, sine spiritali charitate claustra sunt tartara, & habitantes in eis sunt dæmones: cum charitate verò sunt Paradisus in terris, & habitatores sunt Angeli.* h. i. Hac de causa perneceſſe eſt, ut ri-

gor

gor ibi vigeat, ne vigor exulet. Commune adagium: *Ubi rigor, ibi vigor.* Et de sacro Cartusianorum Ordine hoc carmen:

Sol, sil, cap, vis, rig, Cartusia permanet in *vig.*

Explica. Quòd Cartusia à septingentis jam annis permanserit in primo *vig*ore, (excipe nimiam austeritatem abstinentiarum aliquarum, & jejuniorum) id habet à quinque principiis ibi exactè servatis, scil. à *Sol*itudine, *Sil*entio, *Cap*itulatione frequenti, *Vis*itatione crebra & solerti, *Rig*ore in servandis statutis, sine facili dispensatione, & corrigendis erroribus sine conniventia.

VI. *Rigor* in correptione & correctione, hic à *S. Benedicto* præscribitur c. 2. Regulæ. *In doctrina sua namque Abbas Apostolicam debet illam semper formam servare, in qua dicit: Argue, obsecra, increpa: id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta. Dirum Magistri, pium Patris ostendat affectum. Id est, indisciplinatos & inquietos debet duriùs arguere: obedientes autem, & mites, & patientes, ut in melius proficiant, obsecrare: negligentes autem & contemnentes ut increpet & corripiat, admonemus. Neque dissimulet peccata delinquentium; sed mox ut ceperint oriri, radicitus ea, ut prævalet, amputet, memor periculi Heli Sacerdotis de Silo.* h. i.

VII. Idem *S. Benedictus* circa delinquentes hæc statuit observanda c. 26. Regulæ. *Omni solicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes Fratres; quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. --- Magnopere enim debet solicitudi-*

nem

nem gerere Abbas, & omni sagacitate & industria curare, ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat. Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem, &c. h. i. Et c. 28. *Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correctio, id est, ut verberum vindicta in eum procedat.-- Abbas faciat, quod sapiens medicus: si exhibuit fomenta, si unguenta exhortationum, si medicamina divinarum Scripturarum, si ad ultimum ustionem excommunicationis, vel plagas virgarum: & jam si viderit nihil suam prævalere industriam, adhibeat etiam, quod majus est, suam & omnium fratrum pro eo orationem, ut Dominus qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem.* h. i.

VIII. In fine Constitut. Urbanarum. *Ministris Provincialibus--- Guardianis, aliisque Superioribus præsentibus & futuris, ut omnia & singula superiùs Decreta, Statuta, seu quomodolibet ordinata observent, & pro viribus ab aliis exactissimè servari faciant, ad eorumque observantiam, pœnis (cùm fuerit opus) severiùs agant, duroſque durè compellant, præcipimus pariter & mandamus.* h. i.

IX. Modus in subditorum correctione servandus ab omnibus Prælatis Regularibus, præscribitur à S. Concil. Ttid. sess. 13. de reformat. c. 1. his verbis. *Illud primùm eos admonendos censemus, ut se Pastores, non percussores esse meminerint; atque ita præesse sibi subditis oportet, ut non in eis dominatio-*

nentur, sed illos tamquam filios & fratres diligant, elaborentque, ut hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda præceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, & patientia; cùm sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quàm comminatio, plùs charitas quàm potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris, ac necessaria conservetur, & qui correcti fuerint, emendentur, si resipiscere noluerint, ceteri salubri in eos animadversionis exemplo à vitiis deterreantur. h. i.

X. Severitas sit mixta pietate in Prælatis. De qua *S. Bonav.* in Hexameron, serm. 23. Levi signat *Prælatos, qui debent habere Spiritum severitatis, & pietatis, ùt Moyses, qui cùm esset mitissimus, confregit tabulas. E contrà Heli qui quia fuit remissus, ipse mortuus est & filii ejus. Unde plus nocet Prælatus misericors, & abjiciens rigorem disciplinæ, quàm Prælatus rigidus sine misericordia.* h. i. Et *S. Bern.* l. 2. de consid. *Non eris innocens, si aut punias eum, cui fortè parcendum esset, aut parcas ei, qui fuerat puniendus.* h. i.

* * *
* *

CA-

CAPUT VII.

De consilio adhibendo à Superioribus Regularibus.

I. PRælatus quidem (prout ait *D. Bonav.* in 5ta Ala) *gerit vicem capitis in corpore fraternitatis, ut, cùm alia membra dedita sunt actionibus sibi competentibus, caput omnibus præsidendo provideat, quasi omnium sensuum capax, & omnia regens, & sensum & motum omnibus transmittens per jussiones vel concessiones sanctæ obedientiæ, quasi quorumdam compaginatione nervorum. Unde & caput singulari actione non occupatur, ut vacet omnium membrorum provisioni. Omnibus enim proficit, pro omnibus audit, odorat, gustat, & loquitur.* Attamen in hoc est aliqua differentia, quòd caput morale subinde in operationibus suis dependeat à membrorum consultatione. De qua dependentia & egentia ita loquitur *D. Bonav.* lc.

II. *Ipsa discretio, quæ cetera omnia dijudicat, circumspiciat seipsam, ne ei contingat ùt oculo corporis, qui, cùm alia videat, non videt seipsum, ut non plus sapiat, quàm oportet sapere, ne sibi plus credat quàm expedit: ne sit sapiens in oculis suis: Quia teste B. Gregorio, sicut subditorum tentatio est reprehendere in Prælatis, quòd in multis non rectè agant; ita Prælatorum tentatio est, quòd se ceteris sapientiores æstiment. --- Inter omnes autem tentationes videtur ista periculosior cuique Christiano, scil. proprio sensui nimis inniti. Cùm enim*

nemo reperiatur ita perspicacis intelligentiæ, quin possit in aliquibus falli. Qui hoc totum & solum reputat justum, quod ipse senserit, astuto adversario ad varias seductiones sub specie boni liberum aditum pandit. h. i. Pergit Doctor Seraph.

III. *Unde cautum est semper Rectori, consilia libenter audire, & humiliter quærere. Et in hoc triplex humilitas consistit* (adde,& securitas). Primò, *si alii sentiunt, quod & ipse, securior est, quòd non decipiatur.* Secundò, *quidquid fecerit cum prudentum consilio, si aliquid inde evenit contrarii, minùs ei poterit imputari, quàm si de suo id tantùm sensu fecisset.* Tertiò, *quòd sæpe in merito humilitatis talis, Deus dat ei agnoscere per se vel alium, quod ante non intellexit. Hinc Moyses, cui Deus facie ad faciem loquebatur, consilium Jetro soceri sui gratum habuit, & servavit. Exodi 18. Hinc Apostolus Paulus Spiritu S. repletus, Evangelium, quod per revelationem Jesu Christi didicerat, ipsius instinctu, ascenderat Jerosolymam, Gal. 2. cum Petro, & Joanne, & Jacobo coapostolis suis contulit, ut esset securior in prædicando, cùm ab eis non discordaret; & exemplum per hoc daret fidelibus Prælatis, consilium requirendi. Omnia cum consilio fac, & post factum non pœnitebis. h. i.* Quales autem sint illi Prælati, qui spernunt consilia, idem Seraphicus Doctor explicans dicit.

IV. Primò, *aliqui cùm ad officium regiminis assurgunt, ita se continuò repletos spiritu scientiæ reputant, ut omnia antecessorum suorum facta stulta judicent & perversa.* Secundò, *alii è contra cùm ab eodem absolvuntur officio, quæcumque successores*

eorum faciunt, simili modo condemnant; non attendentes, quòd, sicut ipsi aliorum facta deprimunt, ita eorum facta alii possunt despicere. Isai. 33. 1. Væ qui spernis! nonne & ipse sperneris? *Nullorum enim facta tam studiosè solent ab aliis observando notari, sicut illorum, qui aliorum facta severè dijudicant, si fortè, in quo ipsi alios arguunt, reprehensibiles deprehendantur.* h. i. De qualitate consilii dandi docet *S. Bern.* serm. 3. de adventu. *Nullum ego consilium melius arbitror, quàm si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat, & quæ non oporteat fieri, provocans eum ad meliora, & consulens ei non verbo, neque lingua, sed opere & veritate. An verò utilius aut efficacius auxilium aliquod est, quàm ut ores devotè pro eo, ut non dissimules redarguere culpas ejus: ut non modò nullum ei offendiculum ponas, sed & solicitus sis, quantum prævales, tamquam Angelus pacis de Regno Dei tollere scandala, & occasiones scandalorum penitus dimovere? Si talem te fratri auxiliarium & consiliarium exhibes, reddis ei, quod debes, nec habet, unde causetur.* h. i. *S. Franciscus Borgia* dicere solebat, *Superiorem debere priùs consilio, deinde armis attentare* id, quod intendit, ut subditi exequantur.

Q. 1. Anne ab omnibus consilium petendum.

R. 1. Ex *S. Bonav.* lc. *Sunt duo genera hominum, quorum consilia prudens Lector non facilè debet suscipere, scil. adulatores & detractores.* Primi *istorum seducunt, cùm magis de se, quàm expedit, præsumant.* Isai. 3. 12. *Qui beatum te dicũt,*

ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant, *ne de te vera sentias ex humilitatis propriæ cognitione.* Secundi *inducunt eum, ut pejus, quàm debet, de aliis suspicando sentiat, & sæpe innocentes condemnet, & priusquam veritatem rei plenè cognoscat.* h. i.

R. 2. Consilium non oportet quærere ab illis, qui nequeunt dare, idque contingit ex triplici causa. *Primò*, quia non oportet credere, vel quia seipsos laudant, vel quia te in faciem laudant, vel quia absentem vituperant. Hæc tria hominum genera semper sunt suspecta de mendacio. *Secundò*, quia sunt partiales, & affectu privato siniſtrè de causa judicabunt. *Tertiò*, quia amore privato inescati, & excæcati perdiderunt lumen sanæ discretionis. Hinc malè feciſſet *M. Magdalena*, si consuluiſſet Judam, an Caput & Pedes Jesu deberet pretioso balsamo aut unguento ungere: ille enim dediſſet consilium suæ avaritiæ proportionatum, quale postea eructavit sine consultatione prævia rogantis aut rogati, dum dixit: *Ad quid perditio ista, &c.* Item avarum malè consuluiſſet Crates Thebanus, an divitias in mare projicere deberet. *Similiter*, electurus voluntariam paupertatem, & vitæ communitatem regularem, inconsideratè & illaudabiliter faceret, consulendo eos, qui oderunt utramque & impugnant: fortè tamen tunc bene consulerent, si eorum spei inde aliquid emolumenti accresceret. vg. Frater sæcularis alteri fratri suadet ingressum Religionis pauperis, ut hereditas

pa-

patrimonialis maneat remanenti in sæculo; at hoc consilium ex avaritia prodit.

R. 3. A quo sit consilium petendum, discе ex sequenti apologo. Accipiter, consilii capiendi causâ, convenit vulpem, proponens, conclusum esse inter quadrupedes, & alites, quòd gallinæ & pulli earum non deberent amplius inquietari, aut devorari. Quid das consilii? anne hæc placet tibi conclusio? respondit ille: conclusionem quoad pullos admitto, quoad gallinas autem, & gallos gallinaceos reprobo; quos odi, quia cantu suo molestant, & inquietant me, ne possim dormire. Vulpes hæc malus erat consiliarius, utpote amore proprio, in re proprium *interesse* concernente, excæcatus. Applica. NB. Generaliter frustra ab illis petis consilium (ceteris paribus) à quibus jam habes responsum.

Q. 2. A quibus ergo consilium petendum.

R. Cum *S. Bonav.* lc. *Cùm tribus de causis saleat requiri consilium, scil.* Primò, *propter informationem, ut discatur, de quo dubitatur.* Secundò *propter auctoritatem, ut plus habeat vigoris, quod per tales consultum fuerit.* Tertiò *propter pacem, ne habeant aliquam occasionem murmurandi. Propter* primam *causam consulendi sunt prudentiores, propter* secundam *nominatiores, propter* tertiam *omnes, ad quos negotium pertinere videtur.* h.i.

Q. 3. Quid de adhibendis ad consilium Fratribus statuerit *S. Benedictus* in Regula c. 3.

R. Quòd sequentia. *Quoties aliqua præcipua*

agenda sunt in Monasterio, convocet Abbas omnem Congregationem, & dicat ipse, unde agitur. Et audiens consilium fratrum, tractet apud se: & quod utilius judicaverit, faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus; quia sæpe juniori Dominus revelat, quod melius est. Sic autem dent Fratres consilium cum omni humilitatis subjectione, ut non præsumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit; sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, ut, quod salubrius judicaverit esse, ei cuncti obediant. Sed, sicut discipulis convenit obedire Magistro, ita & ipsum providè & justè condecet cuncta disponere.--- Ipse tamen Abbas cum timore Dei, & observatione Regulæ omnia faciat; sciens, se procul dubiò, de omnibus judiciis suis, æquissimo judici Deo rationem redditurum. Si qua verò minora agenda sunt in Monasterii utilitatibus, seniorum tantùm utatur consilio, sicut scriptum est: omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis. h. i.

S. Bonav. in Alphab. Religios. lit. O. inquit: *Omnia bona ad laudem Dei referas: & sine consilio, & deliberatione nihil facias.* h. i. Idem scribit c. 12. de *S. P. N. Francisco: Cùm miranda nosset per spiritum Prophetiæ, hanc per seipsum quæstionem* (quæ ipsius personam concernebat) *dissolvere non valebat ad liquidum.--- Non erubescebat à minoribus parva quærere verus Minor, qui magna didicerat à Magistro supremo. Studio namque præcipuo solitus erat exquirere, quali via, qualique modo Deo posset secundùm ipsius beneplacitum perfectiùs deservire.* h. i.

Q. 4. Quinam sint primi Consiliarii, quos Superior Regularis præ omnibus primò consulere debet in attentando arduo negotio, pro Dei gloria, communi bono, & maximè pro animarum sibi concreditarum perpetua salute, & Ordinis sui honore, & decore.

R. 1. Sicut immediata, proxima, (ideoque prima primitate majoris propinquitatis) Regula actuum humanorum est *propria recta hominis conscientia*; ita & hæc eadem est primò ad consilium adhibenda (ab ipsa enim & applicatio proximè fieri debet ad opus). Proinde priùs cum ipsa, seu per ipsam consiliari oportet, an liceat, an expediat, an debeat, an possit, an media prostent, an obstacula possint perrumpi, an spes boni finis affulgeat, an manu-tenentia sufficiens à Superioribus majoribus speranda: insuper, an habiturus sit in spe, & re validos fideleſque & non segnes coadjutores: præterea, an & sæculares, maximè Principes & sæculares hoc decens, consultum, immo necessarium judicent: An & conscientiosiores suæ Religionis Patres & Fratres ex sincero affectu hoc frequentib⁹ & ferventibus votis, desideративisque suspiriis diu exoptaverint, & adhuc exoptent &c. O! quàm lætus, quàm intrepidus, quàm constans in executione sic prævièconsultorum est Superior Regularis! Verè lætus & fortis, adinstar *Estheris c. 14. 18.* quæ à tribunali internæ suæ conscientiæ, pariter & confidentiæ, constituta in quadam quasi perplexitate, appellabat ad Tribunal seu Judicium divinæ omni-scientiæ, dicens: *Tu nosti, quòd nunquam*

lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te, Domine Deus Abraham. Verè sicut *Conscientia recta* primus est & immediatus Superioris consultor, ita & consolator; qui proinde, ceteris humanis consultoribus deficientibus, stat firmus, firmiùsque consolatur & solidiùs, quàm quicumque externi humani. Bene lætus erit Superior ille, tandemque videbit Solem splendentem (quamvis jam persentiscens illum sub nubibus quasi occultatum) qui à conscientia propria ad divinam scit appellare seu confugere con-scientiam. (*Scientia tua ex me.* Ps. 138. Et cum D. Petro, Superiore Primo, ac Prælato universalis Ecclesiæ, post Christum: *Domine, tu scis, quia amo te.* Joan. 21. 15. quòd loquar de te, pro te, propter te, à te, ex te, ad te; & nihil intendam nisi te: sic enim jussus sum à te: tu stas pro me: propter te vovi, juravi, & statui; hinc Domine sta pro te, causam tuam defende, rege me, doce me, confirma me; res tua, nō mea agitur: causa tua, non mea ventilatur: de gloria tua, non mea agitur: honor alioquin tuus, non meus, periclitatur, prostituitur, proscinditur, aut sicut ipse conquereris, (quod non speramus) *nomen meum tota die blasphematur.* Isai. 52. 5.

R. 2. Alius consiliarius (mutus quidem voce, sed non virtute obligandi) est *propria Religiosorum Regula.* De qua *Sanctissimus Monachorum legifer Benedictus* c. 3. Regulæ: *in omnibus igitur omnes magistram sequantur Regulam: neque ab ea temerè devietur à quoquam.* h. i. Super quæ verba Regulæ *S. Bernardus, S. Benedicti Filius sanctus, &*

in

in spiritu genuinus : Si omnes, inquit, *Magistram Regulam ; ergo nullus propriam voluntatem, libertatem &c.* Itaque si Regula jubeat, si votum emissum, aut insuper præstitum juramentum urgeat, si Constitutiones Summorum Pontificum, SS. Canonum, aut particularium Religionum præcipiant, mandent, Superioresque Regulares sub obtestatione divini judicii adjurent ; tunc securum habet consiliarium, quem non tantùm sequi tenetur, sed securè jubetur ; alioquin Regula condemnabit illum, Regulæ compilator stabit contra illum, & Regulæ zelatores jam sancti in cælis protestabuntur contra illum. *Ostendat ergo bonus zelator* (ait *D. Bonav.* in prima Ala) *quantum diligat Deum &c.* Si autem ob inde fiat murmur Græcorum, & incircumcisorum aliquorum cordium, dura cervice Spiritui S. resistentium, lapidesque in Ministrum Christi, & Regulæ amatorem projicientium, non curet plus, quàm clapperationem hirundinum, quibus *S. P. N. Franciscus*, dum primò foras prodiret prædicaturus, imperavit silentium. (*S. Bonav.* cap. 12. vitæ.) Et ut animosus permaneat, consolationem accipiat à *D. Bonav.* in Ala 5ta in medio, ubi inquit : *ubi non potest hominibus satisfieri, nisi cum offensa Dei ; ibi servetur ad Deum obedientia, & ad homines patientia. Act. 5. 29. Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* h. i.

R. 3. Ut taceam plures cælites consiliarios, v.g. speciales in tali causa olim in vita mortali zelatores, & nunc in immortali Advocatos, Ordinis quoque sui Fundatorem, aliosque peculiares Pa-

tronos; *Beatissima V. Maria* est inter consiliarios prima habenda; utpote quæ de se dicit (in Respons. 3. Festi immacul. Concept.) *Meum est consilium, & æquitas, mea est prudentia: mea est fortitudo: per me Reges regnant, per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam.* Quam, eâ de causa, quidam Superior ex Ordine *S. P. N. Francisci* solebat, non sine ingenti consolatione ac fructu (prout habeo ex ore ejus) in recitatione Marianæ Coronæ, aut Rosarii ita piè salutare & invocare: *Ave Maria, Consultrix mea, Assistrix mea, Mater de bono cõsilio, Sedes sapientiæ &c.* Sanè illa prævalet consilio dando, eò quia genuit eum, qui dicitur *Magni Consilii Angelus* (ut canit Ecclesia in 3. Missa Nativit. Christi.) Quem proinde ùt summum & authenticum Consiliarium, fallaciæ activæ & passivæ incapacem, in omni re, actione, opere, loco, immo & intentione submississimè reverebitur, ut auxiliatorem mereatur.

R. 4. Hic ipse Magni Consilii Angelus, cùm turbam multam pascere disponeret, quasi consilium de iisdem pascendis ab Apostolis experiit, dicens: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Joan. 6. 5. Hoc autem fecit, teste *S. Hieron.* ut Magistris exemplum tribueret cum Minoribus & Discipulis consilia communicandi. Et hoc congruenter & fructuosè; nam *valde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur*; ait *D. Gregor.* in moral. In consiliis ergo deligendis utere consilio & exemplo *Regis Alfonsi*, qui interrogatus, quibus consiliis magis uteretur, & delectaretur? respondit, à *quibus sine metu, & sine gratia,*

tia, quæ nosse cuperet, fideliter audiret. h. i. Cui concordat, quod refert *Drexelius:* Aulicus quidam interrogatus ab Em. D. Cardinal. quodam, cujus consiliarii consilium esset fidelissimum; respondit, *contemnentis aurum, & spem mercedis.* h. i.

CAPUT VIII.

De aliis virtutibus requisitis in Superiore, pro bono communi sibi commissæ communitatis.

NB. SUperiores in nostro Ordine vocantur Ministri, & Custodes, in quibus etiam Guardiani intelliguntur, ut ait *S. Bonav.* in expos. Regl. c. 4. Ministri, *quorum est ministrare, & non ministrari, exemplo Christi.* Et Custodes, *quorum est, curam gerere infirmorum: nam Samaritanus* Custos *interpretatur, qui curam habuit vulnerati &c.* Luc. 10. *Nomina autem Custodum, & Ministrorum, etsi diversis appropriantur, tamen circa easdem personas dicunt, modum officii in hoc Ordine Prælatorum. Ministerium dicit humilitatem, custodia autem vigilantiam insinuat pastoralem, ne propter humilitatem sic dimittatur auctoritas, & evigilantiam ne periclitetur Ordinis disciplina.* h. i.

I. *NB.* QUoniam omnes eis necessarias virtutes superioribus Capitibus comprehendere nequivi, hinc resumo illarum explicationem ac propositionem, attamen non ex proprio, sed altiori aliorum judicio. Has brevi compendio proponit

P. Eligius

P. Eligius Bassæus Capuc. vir scientiâ & religione plurimùm venerandus, v. Prælatus, §. 17. ubi inquit:

II. Virtutes requisitæ in Prælatis sunt. Primò, *tenentur bonum commune Religionis semper affectare, propriô commodô postpositô; pro regulari observantia vitam, si opus fuerit, in periculo constituentes, & justitiam semper præ oculis habentes: ipsa enim est pax Religionis, tutamentum observantiæ regularis, immunitas communitatis, nutrimentum spirituale Religiosorum, gaudium, silentium, & securitas in pulchritudine pacis.*

III. Secundò, *In Prælatis maximè est necessaria* Fortitudinis virtus: *Justitia enim sine fortitudine terga nonnumquam vertit, atque eos deserit, quos tueri deberet; sicut fortitudo sine justitia iniquitatis fomes est. Ad quam pertinet, virtute & valore irrumpere iniquitates, non extimescendo faciem potentum, innocentes contra malignantes validè protegere: cum aliquibus reis aliquando dissimulare. Tunc enim, si ab ea separetur prudentia, quæ est omnium virtutum moralium forma, fortitudo rem & nomen fortitudinis perdet, & ad vitium temeritatis accedit. Prudenter enim quandoque dissimulantur peccata, ne inde graviora incommoda, gravioraque mala suscitentur.*

IV. Tertiò, *Inesse debet Prælatis* pietas & misericordia, *non nimia tamen, sicut nec nimia justitia, & severitas; sed miscenda est lenitas misericordiæ cum severitate justitiæ, & rigor justitiæ cum oleo misericordiæ, faciendo quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulceren-*

cerentur subditi, nec nimia benignitate solvantur. Quamvis in plurimum debeant Prælati esse proclivores in pietatem, & benignitatem, maximè in parvis & vulgaribus culpis. Non enim conducit, quaslibet & omnes simpliciter punire. h. i. Pergit cit. Author.

V. Porro Prælatorum munus est, suam Congregationem à vitiis & peccatis expurgare, ut boni quietè ad opus suum exire, & ad operationem suam usque ad vesperam mortis, & beatam illam spem consequi valeant; & ne morbida & scabiosæ oves inficiant sanas. Priùs tamen correptio fraterna commendata in Trid sess. 13. de reform. c. 1. præcedere debet, à qua dolor & verecundia peccatorum aliquando originatur, quæ à sacris Canonibus pro non parva pœna reputatur. Ita prudenter & piè docet *Rodriques* tom. 3. qq. Regul. q. 34 a. 5. 6 & 7. h. i.

VI. Insuper S. Congregatio Em. DD. Cardinal. in Decretis editis Romæ 1695. 18. Julii, authoritate SS. D. N. Innocentii XII. nunc felicissimè regnantis, (de quibus mentio facta supra l. 1.) plura requirit in Provincialibus, ceterisque, ad quos spectat, quosque alloquitur. Quorum Decretorum authenticum exemplar Romæ impressum, eodemque anno sibi transmissum mihi legendum & exscribendum exhibuit *Reverendissimus D. Alexander ab Henn*, imperialis & exempti Monasterii *S. Maximini, Ordinis S. Benedicti Abbas dignissimus*, cujus memoria, quæ est in benedictione, prostat in plurimis & maximis suæ Religionis & ferventis zeli monumentis; in cu-

jus

jus etiam Monasterio viget vita exactè communis). Inter alia etiam hæc mandantur præfatis Superioribus.

VII. Eadem S. Congregatio, Sanctitatis suæ authoritate committit, & in virtute S. obedientiæ præcipit præfatis Superioribus, ad quos pertinet, ut in supra-dictis Conventibus non collocent nisi Religiosos graves, devotos, exemplares, Regularis observantiæ, & puritatis Regulæ studiosos, orationi præsertim ac mortificationi (sine quibus non potest religiosa vita consistere) addictos; quique consentiant exactè servare vitam communem: *atque inde amoveant eos omnes, qui tam sanctæ ordinationi contradicere, seu verbis & factis quoquo modo sese opponere audeant.*

Ut autem tam laudabilis vitæ institutum, & regulari professioni maximè proprium Religiosi alacriùs arripiant, omnisque excusatio infirmioribus præcludatur, eadem S. Congregatio similiter præcipit Superioribus antedictis, ut memoratis Conventibus (imploratâ etiam, si opus fuerit, Apostolica Authoritate) præfici omnino curent viros, non solùm disciplinæ zelo, sed etiam charitate, & morum suavitate præditos, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, quorum regimini libenter alii se submittant.

Studeant verò præcipuè, ut ea omnia, quæ tam ad victum & vestitum, quàm ad reliquas vitæ necessitates pertinent, singulis Religiosis promptè subministrentur, ac præsertim agritudinis tempore nihil alicui desit, quod ad sanitatem recuperandã pertineat. Ac propterea Religiosos in iisdem Conventibus mo-

morari non patiantur ultra eum numerum, qui ex illorũ redditibus, & consuetis communibus, vel etiã singulorũ eleemosynis, aliisve quibuscumq; obventionibus pariter in commune conferendis valeat commodè sustentari. Eos verò, qui semel præfatæ observantiæ, & exactæ vitæ communi libenter, ùt verè Religiosos viros decet, seſe subjecerint, ut in ea laudabiliter perseverent, nullatenus à memoratis Conventibus nolentes transferant, nisi fortè ad alia Monasteria, ubi similis observantia vigeat, iisque pariter de omnibus ad vitam necessariis possit commodè provideri.

Sciant verò Superiores prædicti, eos, qui præfata omnia sedulò, ut par est, adimplere curaverint, specialem à Sanctitate Sua, & Sede Apostolica *inturos gratiam & protectionem, atque, in iis præcipuè quæ ad antedictam observantiam stabiliendam pertinent, favorem omnem & auxilium experturos: qui verò è contra negligentes, aut (quod absit) contumaces fuerint reperti, gravibus pœnis pro modo culpæ, & etiam privationis officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea, aut alia in posterum obtinenda puniendos fore. Præfata autem observantia nihilominus stabiliendæ per alios Superiores, vel per Commissarios Apostolicos, ubi opus fuerit, etiam extra Religionem assumendos à* S. Sede *efficaciter providendum; omnemque interim, ubi eadem observantia non vigebit, recipiendi Novitios licentiam denegandam.* Hucusque tenor Decret. S. Congreg. pro Conv. intra Fines Italiæ &c.

VIII. Singularem charitatem in Superioribus requisitam à S. Congreg. Emm. DD. Cardinaliũ, nervosè

nevosè admodum inculcat *S. Bern.* serm. 76. cant. dum inquit: *Non otiosè toties repetitum est Joan. 20. Petre amas me, in commissione ovium. Et ego quidem id significatum perinde puto, ac si illi dixisset Jesus: nisi testimonium tibi perhibente conscientia, quòd me ames, & valde, perfectèque ames, hoc est, plùs quàm tua, plùs quàm tuos, plùs quàm & te, ut hujus meæ petitionis numerus impleatur, nequaquam suscipias curam hanc, nec te intromittas de ovibus meis, pro quibus sanguis utique meus effusus est. Terribilis sermo, & qui possit etiam impavida quorumvis tyrannorum corda concutere. Propterea attendite vobis, quicumque opus ministerii hujus sortiti estis: attendite, inquam, vobis, & pretioso depositio, quod vobis concreditum est. Civitas est, vigilate ad custodiam, consordiamque: Sponsa est, studete ornatui: oves sunt, intendite pastui.* hæc ille.

S. Chrysost. insuper ait, charitatem Prælati debere instar Saulis (*qui ab humero & sursum fuit altior universo populo.*) excedere præstantiâ charitatem aliorum. Licèt non in omnibus inveniatur, imò fortè in paucis, prout deplorat *S. Gregor.* in c. 10. l. 1. Reg. *Plerumque enim culmen Prælationis accipiunt, qui in charitate Dei & proximi perfecti non sunt.* h. i.

Hanc charitatem si perfectam habuerit, perfectè officium suum exequetur; *Superiorum autem officium est, subditos ritè continere in officiis suis*; ut ait Rodericius. Attamen dicta charitas non sit blanda, nec effeminata, sed matura, quæ rigorem lenitate temperet: nam, ut *S. Prosper* ait:

leniter

leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti: asperitate autem nimiæ increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem. Et *S. Gregor.* l. 19. moral. *Regat disciplinæ vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem; & sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.* h. i.

CAPUT IX.

De studio Orationis, amando à Superiore Regulari, pro spiritali profectu suorum subditorum.

1. NB. QUoniam (ut ait *Dionys. Cartus.* a. 21. de reformat. Claustral.) *sine auxilio gratiæ Dei nil meritoriè agere possumus, immo nec cogitare; quò major res est reformatio communitatis, eò amplius dependet à Deo, & tantò plus necessarium est speciale subsidium directionis, & cooperationis Spiritus S.* Hinc maximè intendat orationi diu, noctuque, ut mediante illâ ùt fistulâ seu canali, desuper exspectet cælestis gratiæ irrigationem pro suo, suorumque subditorum cordibus, & potissimum per orationis devotam & humilem instantiam confidat in divino præsidio, consilio, & auxilio: *Nam sine me nihil potestis facere.* Joan. 15. 5. Quid juvat plantare, rigare, clamare, sudare, *nisi incrementum det Deus?* 1. Cor. 3. *Frustra vox mea ad aures vestras loquitur, nisi cor intùs à Deo tangatur,* ait *S. Gregor.* Proinde, ad imitationem *S. P. N. Francisci* (c. 10. vitæ) *Sit &*

contemplanti oratio solatium ; sit & operanti præsidium. Hic Seraphicus noster Fundator *orationis gratiam viro religioso* (maximè Superiori) *desiderandam super omnia firmiter asserebat.* h. i.

II. Studium autem orationis , seu devotionis ad Deum ideo permaximè necessarium est Superiori Regulari , quia (ut inquit *Doctor Seraphicus* in Ala 6ta) *Per ipsum zelus justitiæ accenditur, pietas compassionis infunditur , patientia roboratur, exemplum bonum conditur , discretio clarificatur: ipsaque devotio ad Deum est unctio Spiritus , docens de omnibus quæ expediunt saluti.* h. i. Pergit lc.

III. *Est enim Prælatus mediator inter Deum & subditos, ut , sicut negotium Dei gerit apud illos , docendo , corrigendo , sursum agendo ; ita etiam negotia eorum studeat apud Deum fideliter promovere, placando , gratiam impetrando , & conservando à malo. Deuter. 5. Ego sequester & medius fui inter Deum & vos.-- Quòd si Prælatus præpeditur variis curarum distractionibus , speciali devotioni sæpiùs intendere ; saltem interdum opportunè videl. quasi furtim & raptim ad orationis studium se conferet, ne omnino refrigescat, ne in dissuetudinẽ orandi veniat, ne Deo alienus efficiatur, ne gratia divinæ propitiationis ei quasi insensibiliter subtrahatur. Unde Moyses cùm per populi negotia exteriùs vocaretur, crebrò in tabernaculũ fœderis ad Dominũ recurrit, familiare ipsius colloquiũ ibi expetens , quô intrinsecùs in spiritu reficeretur. Dominus quoque diebus prædicans turbis, noctibus in orationibus solùm pernoctavit.* h. i. Pergit ulteriùs.

IV. *Et licèt parva detur mora Prælato orandi ; tamen,*

tamen, quia pro aliis debet ex officio orare, datur ei quandoque propter alios copiosior orandi gratia; ut, quibus prodest agendo, possit etiam orando prodesse. Tantùm non negligat quærere, nec abjiciat, cùm offertur, ne ex merito ingratitudinis ab eo gratia elongetur. Assidua devotio semper ei debet adesse, sicut & quibuslibet proficere volentibus in religionis virtute---uti & continuum studium Deo placendi in omni actione vel locutione, ut semper quasi in ejus præsentia caveat, unde ei displiceat, & doleat si fortè fecerit, & studeat, in quo & qualiter ei possit magis placere. 2. Cor. 5. Contendimus sive absentes, sive præsentes placere illi. h. i. Insuper requirit Doctor Seraphicus; ut

V. *Omnia agenda oratione saltem mentali præveniat: ad omnes eventus oratione se præmuniat: omnia beneficia gratiarum actione prosequatur, ac laude divina. Agenda petat à Domino sibi salubriter inspirari, eventum dirigi ad salutis profectum, beneficia augeri & conservari. Sicut enim nauta prævidens tempestatem festinat sæpiùs ingredi portum securum; ita Religiosus* (maximè Superior) *ad orationis portum continuè confugiat, ubi omnes periculorum collisiones evadat: & in omnibus agendis semper plus orationi fidat, quàm propriæ industriæ vel labori. 2. Paral. 20. 12. Cùm ignoramus, quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, ut ad te oculos nostros dirigamus, videl. in oratione.* Subdit S. Doctor: *Licèt autem omnes qui præsunt animabus, has virtutes non possint omnes æqualiter habere; tamen omnino necessarium est eis aliquateaus non carere, tam pro fructu ædificationis*

illorum, quibus præsunt, quàm propriæ salutis profectu. h. l. Tandem concludit.

VI. *Quilibet etiam Religiosus, qui seipsum habet regere, & de sui ipsius regimine rationem Deo est redditurus in extremo examine, his pennis & alis, quantum sibimet indiget, debet adornari, & in superna sublevari, ut sit 1. fervens in justitia, 2. compatiens proximis propter Deum, 3. patiens in adversis, 4. bono exemplo alios ædificans, 5. circumspectus in omnibus, & 6. super omnia Deo per orationis studium familiariter adhærens; qui eum in omnibus protegat, dirigat, & promoveat, & tandem ad cælestia evolare faciat.* Amen. Hucusque Seraphicus Doctor.

VII. Aliorum quoque orationibus non intermittat inceptum negotium communis salutis, Deique causam recommendare: precatores imploret Ecclesiæ filios, ait *S. Ambrosius: Impossibile autem est, multorum preces non exaudiri;* ut ait *S. Hieron.* Ad exemplum itaque *S. P. N. Francisci* (c. 12. vitæ) aliorum pro se preces exposcat, de quo *S. Bonav.* lc. *Fidelis revera famulus & minister Christi Franciscus, ut cuncta fideliter & perfectè perageret, illis potissimè virtutum exercitiis intendebat, quæ, sacro dictante Spiritu, Deo suo magis placere cognoverat. Qua de re contigit illum in magnam dubitationis cujusdam agoniam incidere: quã multis diebus ab oratione rediens terminandam fratribus sibi familiaribus proponebat. Quid, inquit, Fratres consulitis? quid laudatis? --- Misit quoque ad Fr. Silvestrum, qui tunc in monte supra Assisium jugiter orationi vacabat, ut divinum super*

per dubitatione hujusmodi responsum perquireret.-- Hoc ipsum demandavit Sacræ Virgini Clara, ut per aliquam puriorem & simpliciorem NB. *de virginibus, sub ipsius disciplina degentibus, & ipsa cum Sororibus aliis orans, super hoc exquireret Domini voluntatem.* h. i.

VIII. Hoc orationis studium pro salute ovium sibi concreditarum & exercuit, & docuit *D. Bern.* epist. 201. ad Balduinum Abbatem Reatini Monasterii. *In his duobus mandatis, verbi scil. atque exempli, summam tui officii ad conscientiæ securitatem pendere intellige. Tu tamen si sapis, junge & tertium, studium videl. orationis, ad complementum utique trinæ illius repetitionis in Evangelio de pascendis ovibus, (Joan. 21. Petre amas me? pasce oves meas) in hoc noveris illius trinitatis Sacramentum in nullo frustratum à te, si pascas verbo, si pascas exemplo, pascas & sanctarum fructu orationum: manent itaque tria hæc, verbum, exemplum, oratio: major autem his est oratio. Nam etsi vocis virtus sit opus: & operi tamen, & voci gratiam, efficaciamque promeretur oratio.* h. i.

* * *
* *
*

CAPUT X.

De eadem Orationis frequentatione pro salute subditorum.

I. *S. Papa Gregorius* jubet Prælato Regulari, ut imitetur exemplum S. Job, qui, cùm esset vir simplex, rectus, timens Deum, ac recedens à malo; in hoc primò animi sui rectitudinem, Deique timorem sincerum legitur ostendisse, quòd pro filiis & filiabus convivantibus ipse pientissimè paterno amore solicitus oraverit manens sobrius, holocaustumque consurgens diluculò obtulerit, ut expiaret peccata prolis inconsideratæ. Jubet quoque *S. P. N. Franciscus*, ut Ministri diluculò offerant S. Missæ Sacrificium pro Fratribus & subditis suis, ut postea sint expeditiores pro supportando onere sui ministerii, & audiendis causis Fratrum &c.

II. Oportet autem eum orare priùs pro suis, deinde pro suorum delictis & necessitatibus, juxta monitum Apostoli Hebr. 7 27. Et in hoc sequetur exemplum Christi Domini, qui Joan. 17. 1. priùs oravit pro se, deinde pro discipulis, dicens: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius clarificet te.* & v. 11. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos.* Qua in oratione (ut *Angelicus Doctor* advertit) Deus-Orator & Magister summus aliud non spectabat, quàm ut Capitibus atque Prælatis exactiorem curam imprimeret, se, sibi-

sibique commissos per orationem commendandi Altissimo. *Nulla enim*, ait, *necessitas inerat sibi orandi, qui simul cum Patre exaudit : instruxit autem nos in hoc & verbo, & facto.* h. i. Immo in oratione Christi pro sibi servientibus aliquid amplius advertit *S. Bonav.* serm. 2. de Epiph. scil. *quando oravit pro se, oravit sub conditione : Pater, si possibile est, transeat à me calix iste : verumtamen non sicut ego volo &c. sed orans pro nobis, dicit absolutè : volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, Joan. 17. hoc argumentum est magni amoris.* h. i.

III. Jurat *D. Paulus* Magister gentium, Romanis scribens, se inter alias suæ curæ commissas functiones, maximè orationem pro suis adhibuisse. *Testis enim mihi est Deus, inquit, cui servio in spiritu meo, in Evangelio Filii ejus, quòd sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* Rom. 1. 9.

IV. Cit. *Alfonsus à Jesu Maria* in suo spirituali Consiliario Prælatorum disc. 1. consil. 2. orationem mutuam à Prælatis & subditis exposcit, non sine pondere causæ, dum inquit : *Ut autem Prælatus, qui sui, & suorum progressûs non incuriosus, sed studiosus vult esse, majoresque suis rogatibus vires adjungere, debet non rarò à suis subditis suffragia precum expetere, ut hac fideli & mutua, qua unus pro altero Deum exorat, servata responsione, porrigat Præsul subditis manum, ut eos à periculis eximat, operamque suam sufficiat, quâ ad san-*

ctimoniam provehantur. Ejus verò parentes imperio, orationibus suis obtinere conentur Prælato ad grave sustinendum, ne succumbat, gubernii pondus. De hac mutuæ opis inter Superiorem & subditos collatione facit mentionem D. Gregorius lib. 1. regist. epist. 24. ad finem. Dum enim nos vobis per orationis opem conjungimur, quasi ambulantes per lubricum vicissim nobis manum tenemus; fitque ex magna provisione charitatis, ut eò singulorum robustiùs pes figatur, quo in alterum alter innititur. *h. i. Idem lib. 31. moral. cap. 7. in fine*: quisquis pro aliis intercedere nititur, sibi potius ex ipsa charitate suffragatur. *h. i. per hoc insinuat, quòd, qui ex officio vel promisso orat pro alio, ob præstitam charitatem mereatur, ùt oratio facta pro se nervosior, & impetratu fructuosior evadat apud Deum Altissimum.*

V. Idem cit. Author in verba Domini Dei Exodi 32. 10. *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos*, ait, Moysen per suam vehementem & instantem orationem pro peccatrice gente, quasi retinuisse & impedivisse manum Dei ultricem. Et super illa verba Num. 16. 21. *Locutusque Dominus ad Moysen & Aaron ait: Separamini de medio congregationis hujus, ùt eos repentè disperdam*, notat, Deum quasi detineri à duobus his justis precatoribus, ne vindictam sumere inimpeditè valeat. Et *S. Hieron.* in cap. 13. Ezech. *Cùm dicitur, dimitte me, ostenditur, quòd tenendi habeat potestatem.* Apud eumdem Prophetam lc. Deus

exprobrat

exprobrat segnibus Prælatis, dicens; *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel.*

Ex hucusque dictis omnibus hanc conclusionem vel principium pro se reservabit Superior Regularis, quòd, si quippiam fructificare intendat Religioni, & animarum saluti, plus confidere debeat in oratione confidentiali ad Deum, quàm in privato ingenio, vel viribus suis. Interim quò magis replebitur virtutibus, eò majorem confidentiam habebit ad Deum, & animosior erit ad causam Dei propugnandum: ad quod Deus illi vires addet.

VI. *Harum virtutum compendium* suggessit *B. V. M S. Birgittæ* revelat. 76. describens virtutes alicujus Regis seu Ducis, dicens: *Ille quippe est Rex* (tu intellige, Superior quilibet Regularis) *qui in moribus suis est sicut Job, in humilitate sicut David, in zelo legis ùt Phinees, ùt Moyses in mansuetudine & longanimitate. Ille quoque est Dux, qui Regis exercitum regit, & informat ad prælia, qui fiduciam habet in Deo, & timorem ùt Josue; qui utilitatem Domini sui plùs quærit, quàm propriam, ut Joab; qui zelum legis & commodum proximorum diligit, ùt Judas Macchabæus. Talis Dux similis est unicorni, qui acutum habet cornu in fronte, & sub cornu lapidem pretiosum. Quid autem est cornu Ducis, nisi cor virile, quô pugnandum est fortiter? Lapis verò sub cornu Ducis est charitas divina, quæ jugiter in corde manens, reddit eum ad omnia agilem, & invictum.* h. i.

VII. *S. Bonav.* solicitè admonet Prælatos Regulares, ut, si aliquem fructum in se & subditis suis facere desiderent, sint singulariter amici orationis, & maximè internæ devotionis (quod idipsum in iisdem requisivit, & quàm maximè desideravit *S. P. N. Franciscus.* Audi Seraphici Doctoris verba cor penetrantia, in ala prima c. 3. *Cavenda est perturbatio studii devotionis, ex qua fulcitur omnis vera Religio, & omne virtutis exercitium impinguatur. Arida est omnis Religio, quæ non oleo isto saginatur. Instabilis est bonorum operum structura, quæ devotæ orationis frequentia non compaginatur, sicut paries lapidum sine cœmento. In omni Religione ubi devotionis fervor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere, & propinquare ruinæ.* h.l.

VIII. Idem *S. Bonav.* in vita *S. P. N. Francisci* c. 8. §. 2. scribit: quòd *anxio spiritu misericordem Patrem precaretur pro filiis,* instar piæ matris, parturientis, & solicitè curantis, ut pareretur Christus in ipsis. Interim efficacem *oratorem te puta, si tibi ipsi, quod oportet, persuaseris.* Seneca in proverb.

* * *
* *

CA-

CAPUT XI.

De solicitè evitandis & curandis omnibus, quæ Religiosæ paupertati quomodolibet obesse, & contrariari possunt.

I. QUoniam Religiosi omnes se profitentur præ Christianis omnibus, sinceriores & veriores Christi imitatores (juxta quod ajebat *S. Bonav.* suprà citatus, *Officium Rectoris animarum esse, facere omnes sibi subditos Christi-formes, quantum potuerit.*) Hinc, quoniam amor paupertatis singulariter in Christo eluxit, (prout paucis ait *S. Bonav.* serm. 2. Epiphan. *Vide, & quære diligenter, ubi natus est, ut ames paupertatem: ibi enim in diversorio Dominus pauper fuit, omnino pauper in omnibus, ut patet in Evangelio.*) ad hujus exactam observantiam se, suosque Religiosos inducet, utpote ad quam voto se voluntariè obligârunt. Pro quo facient sequentia motiva ab *Alfonso Rodericio* p. 3. Tr. 3. exercitiorum spiritalium adnotata.

II. Ad voluntariæ paupertatis ingentem commendationem facit, quòd Salvator noster ab ea primam auspicatus fuerit lectionem de cathedra præsepii, postmodum quoque ab eadem sermonem in monte de beatitudinibus. Hanc eamdem ut profundiùs mentibus nostris imprimeret, magisque nobis commendaret, è cathedra crucis prælegit, utpote in qua mortuus est totus nudus, & in tanta paupertate, ut etiam, quò jam defun-

defunctus sepeliri posset, sindonem cui involveretur, collatitia necesse fuerit pecunia coëmere, & sepulchri locum accipere commodatum. Quale autem vitæ principium & finis fuit, talis & fuit reliqua illius series : quia ne denarium quidem habuit, ad tributum, quod petebatur, solvendum; uti nec domum, in quam post susceptos labores se reciperet, & ubi Pascha cum discipulis suis manducaret: quia omnia ei commodato dari debebant. Causa hujus tam sedulò cultæ paupertatis fuit, quod mundi Redemptor in perfectionis evangelicæ fundamentum ponere volebat. (*Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, &c.*) Hinc eam & voce, & exemplo ipse suo ita confirmare, asserere, & constabilire voluit: sciens ùt bonus Architectus, quòd, quanto altius superædificandum esset Ecclesiæ Catholicæ miraculum, tantò profundius oportere fodere & ponere fundamentum. Et idcirco etiam videre est, quòd isthoc paupertatis fundamentum Ecclesiæ Christianæ jam inde ab ejus exordio in usum & consuetudinem cœpit induci; sicut in Actis Apostolorum legimus c. 4. neque enim inter fideles tunc locum habebat *meum* aut *tuum*; sed omnia erant illis communia, seu in communi. Et notat *S. Hieron.* epist. ad Demetriadem, ideo fideles primos pretium agrorum, domorum, possessionumque venditorum ante pedes Apostolorum ponere fuisse solitos, *ut ostenderent pecunias esse calcandas*, contemnendas, & sub pedibus proterendas: Quinimmo *SS. Cyprianus, Basilius, Hieronymus*, & alii docent, fide-

fideles tunc passim paupertatis votum facere consuevisse; insuper in *communitatem perfectam* omnia resignasse & transtulisse, *meum* ac *tuum* nesciviſſe. De quo *S. Ambros.* l. 1. offic. c. 25. *Si justus esse cupis, habeto communia pro tuis, & tua pro communibus.* h. i. Si cupis esse virtuosus, ama paupertatem; nam optima virtutum nutrix est paupertas, ajebat *Petrarcha* l. 1. Dial.

III. Super illa verba Christi Luc. 14. *Quis Rex iturus committere bellum, &c. Rodericius* inquit: *Sicut ad bellum gerendum numerosus exercitus, ad ædificandum magna pecuniæ vis requiritur; ita ad ædificium & militiam spiritalem suæ Ecclesiæ, ante omnia paupertatem, & omnium rerum mundanarum despoliationem desiderari significat.* h. i. Et *S. Augusſt.* in illa verba Christi lc. *Quis ex vobis volens turrim ædificare, &c.* ait, per turris hujus evangelicæ constructionem vitæ Christianæ perfectionem designari; sumptus verò & pecunias ad ædificationem ejus requisitas esse, ut quis rebus omnibus terrenis renuntiet. Hoc enim si fecerit, liberior, magisque expeditus est ad Deo serviendum, & à dæmonis hostis sui insidiis & insultu securior, eò quod minus habeat eorum, per quæ oppugnari, & impeti valeat.

IV. Quærit *S. Chryſoſt.* quid in causa sit, cur in primitiva Ecclesia tanta primorum Christianorum esset pietas & fervor charitatis, modernorum autem tantus tepor & remissio? Causam esse dicit, quòd tunc cum diabolo pugnaturi, nudi in arenam descenderent, ab omnibus se rebus, bonis, & facultatibus, ex quarum appetentia pleræque

que lites & dissensiones oriuntur, denudando: modò autem prodeunt concupiscentiâ beneficiorum, possessionum, & bonorum intricati, quæ illis magno obstaculo sunt in studio & cursu charitatis. Hinc & *S. Ambros.* inquit: *ùt rerum facultates instrumenta sunt omnium vitiorum,* (occasionativè saltem) *sic harum abnegatio generatrix est nutrixque omnium virtutum.* Et *S. Gregor. Paupertas,* inquit, *bonis mentibus solet esse custodia humilitatis.* h.i.

V. *S. Ignatius* p. 3. constit. c. 1. §. 25. & Reg. 24. Summar. dum jubet: *diligant omnes paupertatem ùt matrem*, ideo *matrem* nominat, quia illa ceu bona & vera mater, explicat *Rodericius*, ceteras virtutes in animabus progignit, nuttit, conservat; ipsa quoque est, quæ disciplinam religiosam sartam tectamque conservat. Hinc etiam videmus (ait idem) Ordines, qui à primæva paupertate desciverunt, à Religionis etiam integritate defecisse, & esse ceu filios matri dissimiles ac degeneres. Alii contrà qui sanctam hanc paupertatem velut matrem charissimam, non quomodocumque vel qualicumque & vulgari quodam amore, sed intenso, tenero, reverentiali, & appretiativo prosecuti sunt, Ordinis sui splendorem mirificè, & longissimis temporibus conservârunt. Inter quos re vera eximius fuit *Seraphicus ille vir S. Franciscus,* qui *paupertatem Dominam suam* appellare solebat (c. 7. vitæ). Et in Regula Monialium *S. Claræ* sic loquitur: *Obligamur ad Dominam nostram sanctissimam paupertatem.* Quoniam paupertatis amore & cultu homo ad dominium quoddam om-

omnium rerum, & subjectionem sub pedibus suis extollitur. *Hucusque Rodericius.*

VI. Paupertas sunt veræ divitiæ Religiosorum. *Est quasi dives, cùm nihil habeat, & est quasi pauper, cùm in multis divitiis sit.* Prov. 13. 7. *Socrates* eum Diis esse simillimum dicere solebat, qui quàm pauciſſimis egeret, cùm Dii nullius egeant rei. Atque hic ipse per forum transiens, tantamque rerum venalium multitudinem videns dicere solitus fertur: *quàm multis rebus ego non egeo!* sed imperita multitudo, avari quoque ac cupidi, cùm tantam rerum abundantiam contuentur, gemunt, ac dicunt, *quàm multa mihi desunt!*

NB. Ex hucusque dictis sat liquet, quantum bonum sit religiosa voluntariaque paupertas: Proinde de illa inviolata conservanda, seu restituenda, & contrariis ei abusibus & corruptelis abolendis Prælati Regulares solicitâ curâ gerere debent, & majorem, quàm pro temporalibus Monasterii divitiis ampliandis. Sed eheu justiùs plangeret hodiedum *Cassianus* coll. 4. c. 21. quàm suo tempore planxit, dum dixit:

VII. Nescio, qualiter rem ridiculam, quæ in Religiosis quibusdam usu venit, exponam: quòd, postquam facultates omnes & divitias, quas in mundo habebant, generosè dimiserunt, tanta tamen in Religione erga reculas & minutias contemptibiles solicitudine & studio ferantur, ac supervacaneas & impertinentes commoditates tam affatim consectentur, ut harum cura nonnumquam pristinarum omnium facultatum superet passionem. --- *Et non abscidisse, sed immutasse se*

probant

probant pristinam passionem. Et *Marcus* Abbas in Biblioth. Patrum: *Avaritiæ vitium in materia abjectissima nutrimus: non cumulamus aurum vel argentum, sed res vilissimas congerimus. Principatus & dignitates non accipimus, sed omni ratione laudem & gloriam hominum aucupamur. Miserabiliores ergo & reprehensione digniores sumus, quàm mundani.* h. i. Tales pueriles Religiosi certè ùt pueri sunt æstimandi, ac tractandi, qui tam pueriliter ab affectibus suis trahuntur, & vellicantur. Ab illis nullus solidus in perfectione profectus sperandus: nondum perfectè ablactati sunt ab uberibus mundi, & jocalitatibus sæculi. Irridet meritò tales Religiosos diabolus, cùm quibus sic ridiculè ludit mundus. De talibus ultrà discurrit in eorum persona

VIII. *Rodericius* lc. dum inquit: ad primam pueritiam redimus: grandescere deberemus, & adolescere, ac cum Apostolo in virum perfectum quotidie crescere: & contrà facimus, dum è viris (quales eramus, dum Religionem primùm intraremus, omnia, quæ mundi sunt, relinquentes, & viriliter omnia transcendentes) denuò pueri facti sumus, ad inanias & pueriles ineptias animum traducentes. Atque uti puer, dum pomum illi, similiaque infantilia auferuntur, quam primùm lacrymatur: ita illi, dum recula, ergà quam afficiebantur, carere coguntur, vel denegantur illis petita, statim turbantur & tentantur. Hoc est, quod *Cassianus* ex una parte risu, ex altera verò magna commiseratione & compassione dignum ait: quòd nimirum Vir gravis & religio-

sus,

sus, cui animus fuit & mundum, & quidquid in eo erat, dimittendi, usque eò se rebus inferioribus, vilibus & minutis submittat, ut se turbet & inquietet, (uti turbari solet puer, si pomum illi negetur) si nugæ aliquæ pueriles & ineptiæ ab eo auferantur. *h. i.*

IX. *S. Hieronymus* cùm inter suos Religiosos superfluas inanias reperisset, fratribus omnibus ad Capitulum convocatis, jussit coram illis hæc *Religiosorum Idola* comburi. *Peculia* nunc quoque adhuc sunt aliquorum *Religiosorum quasi Idola*; quia amorem Deo ex toto corde consecrandum, illis litant; & utinam ita dolerent de peccatis, de suis defectibus, imperfectionibus, sicut dolent & altum ingemiscunt, dum eis aufertur nummulus! utinam tanta firmitate quidam inhærerent divino amori, sicut pecuniario lucro! & hoc Judæ scelus est prô detestandum, plus amasse argenteos, quàm Magistrum Deum!

S. P. N. Franciscus dicere solebat verissimè, at gemebundè: *Spiritûs emortui signum est, curiosa & minimè necessaria avidè sectari, conservare, defendere.*

X. Cum itaque, ut ait *Rodericius* lc. c. 14. cupido habendi, recipiendi, dandi, vehemens quædam passio sit, & naturæ nostræ ad hoc satis proclivi valde conformis, ac proinde hominem apprimè excæcet atque decipiat; hinc Superiores vigilantissimè attendant, ne hæc idola, hæc monstra in suis Monasteriis regnent, Religiosorumque animos occupent, inficiant, & à Deo vero abducant. Et quod satagunt exequi in aliis, in se-

ipsis non negligant. Et sæpius recogitent verb
Concilii Viennensis, quæ citantur in statutis PP
Carmel. Discalc. Congreg. Hispan. *Deus per il
non vult sibi serviri, quæ servorum suorum statu
& paupertatis conditioni dissonant.* h. i. Et,
notat *S. Bonav.* in Bibliis pauperum c. 74. *Fil
Prophetarum sub Elisæo in magna paupertate v
vebant, qui parum de pane, & insipidum pulmen
tum habebant*, 4. Reg. 4. Ibidem: *Discipuli Chri
sti pro majori parte de statu paupertatis fuerun
assumpti.* h. i. Et c. 97. *Interesse voluit Jesus pau
peribus nuptiis, ubi vinum defecit: non autem in
terfuisset splendidis & divitibus.*

XI. Superiores quoque sub prætextu subl
vandæ communis necessitatis, non obliviscan
tur sacræ paupertatis; nec temporale lucrum præ
ponant spiritali animarum. De quo *S. Bern.* ho
mil. 4. super missus est. *Video & alios (quod n
sine dolore videri debet) post aggressam Christia
litiam, rursus sæcularibus implicari negotiis, rur
sus cupiditatibus terrenis immergi, cum magn
cura erigere muros, & negligere mores: sub præ
textu quoque communis utilitatis verba vende
divitibus, & matronis salutationes.* h. i. Et Con
stitut. præcit. Carmel. Discalc. 1. p. c. 10. ita lo
quuntur, valde seriò dictam doctrinam inculcan
tes: *Hortamur verò in Domino, & sæpius in visce
ribus Jesu Christi Superiores omnes monemus, u
terrena cœlestibus, humana divinis præferent
subditorum salutem, ac proinde propriam (cùm e
rum rationem teneantur reddere) pro vili ac tem
porali lucro tot periculis exponant.* h. i.

XI

XII. Superiores quoque, quantum fieri potest, suos subditos domi contineant, & occasionem paupertatis religiosæ temerandæ ipsis præscindant, ut ita in solitudine & silentio spiritalibus exercitiis vacantes, sapere discant paupertatis religiosæ dulcedinem, quæ vigorem spiritûs tribuit amantibus, at tædium generat nauseantibus, ac foris delectamenta carnis & solatiola quærentibus. Quocirca congruè ad hanc cautelam adhibendam verissimè dixit *Cassiodorus* de anim. c. 18. *Multa turba vitiorum sine certamine vincitur, quando solitudinis gratia suffragatur.*

XIII. Insuper (ut monet *Alfonsus à Jesu Maria* disc. 10. consil. 5.) *oportet, ut Prælatus sit præditus magnâ spiritûs paupertate, sibique honorè ducat, si eam accuratè observet tam in expensis communibus, quàm privatis faciendis, præsertim verò in rebus ad quotidianum ipsius usum spectantibus, sive quid impendendum sit pro sua persona, sive pro cellula.* h. i.

XIV. Ordinum Reformatores, inter alia reformationis media, singulariter à paupertate incipiunt. *S. Bonav.* electus in Generalem, accingens se gravioribus actionibus, cùm jam Religiosi cœpissent à Fundatoris disciplina paululùm declinare; monendo, instando, castigando, ac operosiùs laborando ad meliorem vitæ frugem reduxit, Religionem S. Francisci reformavit, incipiendo à ruptura *muri paupertatis*; proinde Alphabetum Religiosorum incipientium incipit à paupertate, dicens: *Ama paupertatem, sis vilibus contentus.* Idem lit. E. in Alphab. majori:

Elige paupertatem, & simplicitatem: paucis sis contentus, & non facilè murmurabis. Ibidem in lit. M. dicit: *Magnum donum Dei est, pauperem esse in hoc mundo propter Christum, & infimum tenere locum.* h. i. Porro horrenda exempla de transgressoribus voti paupertatis vide supra l. 2. & infrà l. 5.

CAPUT XII.

De Communitate frequentanda, & amanda à Superiore Regulari.

1. DE hoc cit. *Alfonsus* in suo Consiliario disc. 2. consil. 4. ita docet: Sive loci, sive Provinciæ Rector sit, perrarò à gubernii sui limitibus se absentet: haud enim facilè expediverim, quantum inferri possit damnum ab uno indiscreto vicarium tenente locum, licèt alioquin vir bonus & probus sit, potissimùm verò si sit juvenis, & plus ipsi pulveris adhuc scholastici, quàm experientiæ adhæresçat: proprio siquidem absente Superiore, plerumque aliquid domi ex defectu plenæ auctoritatis interturbatur. Hinc bonus Pastor, quantum potest, conetur semper adesse ovibus. Joan. 10. 4. & 8. *Cùm proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus.* Ubi autem ab eis sæpius recedit, periculisque obnoxias linquit, non est verus Pastor, sed mercenarius. *Aristoteles* l. 2. de œconomia refert de Persa quodam, qui rogatus, *quare oves languescerent*; respondit, quòd *oculis opilionis*. iis verò

verò à grege aversis, eas macie attenuari, debilesque, immo nonnumquam inutiles evadere. Huc facit etiam, quod de hac materia adducit Sapiens Prov. 20. 8. *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Id est, Superior præsentia sua & vigilantia potest multum boni procurare, & plus mali impedire. Sed frequenter se à grege absentanti, suasq; commoditates, & recreatiunculas avidè venanti acriter improperat Propheta Zacharias 11. 17. *O Pastor! & idolum, derelinquens gregem!* Proinde quidam magnæ experientiæ Vir optimè & verissimè dixit: *Præsul ut suis præsit, & prosit, rarò ab his absit.*

II. Causam autem, ob quam Superior cum aliis communitatem frequentare debeat in choro, refectorio, processionibus, communibusque aliis religiosis exercitiis (nisi aut necessitas, impotentia, aut occupationes, aut hospitalitatis charitas, aut Regula, aut Constitutiones excusent, vel interdum eximant) tangit *S. Bonav.* ut nim. & verbo, & præsentiæ suæ maturitate, ac exemplo contineat subditos in timore Domini, compositione, Regulari disciplina, & cohonestet operis Dei reverentiam; quod melius peragitur, dum Superioris præsentia, inspectio, censura ac regula adesse consideratur. Verba *S. Bonav.* in Ala 4ta sunt hæc: *Boni Magistri bonos discipulos facere consueverunt; ut frequentius multi fierent meliores in Religionibus, & in Ecclesia, si melioris eis vitæ exempla à suis Doctoribus proponerentur.*

Negligentia enim hujusmodi ab illis, qui culpabiles sunt, districtè in judicio requiretur. Ezech. 34. Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum. Doctrina verborum sine exemplis operum est, sicut cœmentum sine calce aridum & invalidum. Ipsi liniebant parietem absque temperamento. Dic eis, quòd casurus sit. Ezech. 13. 11. De correctis exemplaribus correcta scribuntur volumina, de corruptis corrupta. Tenaciùs inhæret doctrina operum quàm verborum: nam, cujus vita despicitur, restat, ut ejus prædicatio contemnatur. h. i.

III. Qualiter communitatem sequatur, eruditè docet *S. Bonav.* lc. dicens; *Quamvis in omnibus virtutum exemplis debeat Rector præcedere subditos; specialiter tamen in his tribus, scil. 1. in communis observantiæ conformitate, 2. in mansuetudinis humilitate, 3. in maturitatis honestate. Tit. 2. in omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.* Itaque *communem vitam cum ceteris observet in victu, & vestitu, & labore: ut non vacet conviviis & potationibus, cùm alii sobrio cibo & potu utantur. Nec sit eis dissimilis habitu, cum quibus est ei professio communis. Nec à labore ceterorum se subtrahat, qui illos jubet in iisdem laboribus exerceri. Pastor si se à grege segregat, oves insidiis luporum exponit. Sanus sit sanis, & infirmus infirmis. Cor. 2. Factus sum infirmis infirmus, scil. exemplar, ut infirmos lucrarer: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Nam si sanus debiliter vi-*

vat,

vat, facit eos exemplo suo carnales: si verò infirmus recuset infirmorum remedia, facit eos pusillanimes, innuens, quòd aut eos velit similiter facere, aut non cupiat eis, ut melius fiat illis. h. i Subdit

Alacriùs certat miles in acie, si ducem suum secum cernit laborem certaminis tolerare. Act. 1. In omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus, &c. id est, semper exemplo suo erudivit nos, intrans familiariter cum discipulis vivendo, & exiens utiliter cum turbis, prout congruebat, conversando. h. i.

IV. Mensæ communitatem sectetur exactissimè: valde enim nocet communitati, si sine causa à communi mensa se subtrahat; tunc enim subditorum murmurationibus, & temerariis judiciis, immo & subinde justæ vilipensioni se exponit. (Attamen Abbatum mensam Regula distinguit, dum dicit c. 56. *Mensa Abbatis cum hospitibus & peregrinis sit semper*). At hoc privilegium mendicantium Superioribus non suffragatur: quorum constitutiones, sicut & nostræ Urbanæ, mensæ communitatem præscribunt non tantum Superioribus localibus, sed etiam ministris Provincialibus in Conventu quietè demorantibus. Suam in hoc praxim declarat *S. Bern.* l. de interiori domo c. 58. *Grave mihi est, ut dissimiliter à fratribus meis reficiar, & epuler splendidè, illis aridè reficientibus.* h. i. Jubentur insuper in constitut. Urban. in c. 3. tit. 19. §. 2. *Omnes, quicumque hi fuerint, ut, sicut iisdem escis vescuntur, ita eodem mensæ apparatu utantur. Hinc peculiaria, man-*

tilia, vasa quacumque vel etiam mappas, aliaque id generis nemo habere præsumat. Et §. 8. *Mensæ communitas ita servetur, ut nulli etiam Superiori quidquam proprii ad eam privatim deferre liceat; omnes enim ejusdem familiæ Fratres iisdem penitus cibis vesci necesse est.-- Superior tandem, qui proprietatem in mensa toleraverit, à Provinciali Ministro, aliisque Prælatis corripiatur, attentisque circumstantiis, si nim. deliquerit, etiam ab officio deponatur.* h. i.

V. De hac mensæ communitate pariter statuitur in Regula *S. Isidori* c. 10. *Refectionis tempore, dato signo, pariter omnes concurrant. Qui autem ad mensam tardiùs venerit, aut pœnitentiam agat, aut jejunus ad suum opus vel cubile recurrat.* h. i. Et Regula *S. Basilii* interrog. 97. *Si quidem necessitate vel loci, vel operis remanſit à communi ordine, qui præest, probabit & ignoscet. Si verò cùm posset, non satis egit occurrere, fateatur culpam negligentiæ suæ, & maneat sine cibo usque ad illam horam, quâ convenitur ad cibum in posterum diem.* h. i.

VI. Insuper de communitate mensæ necessaria in Religionibus agit *Dionys. Cartus.* a. 18. de Reformat. Clauſtral. (demptis solitariam vitam agentibus) sic loquitur: *S. Benedictus ait in Regula sua: ad horam refectionis, qui ante versum non occurrerit, ut omnes simul dicant versum, & orent, simul accedant ad mensam. Qui ergo per negligentiam suam aut vitium non occurrerit usque ad 2dam vicem, propter hoc corripiatur: si denuò non emendaverit, non permittatur ad communis men-*

sa

sæ refectionem, sed sequestratus à consortio omnium reficiatur solus, ablata ei portione sui vini, usq; ad satisfactionem & emendationem. Similiter patiatur, qui non fuerit præsens ad versum, qui post cibum dicitur. Et nullus præsumat ante statutam horam, aut postea quicquam cibi aut potus accipere. Iterum ait: Qui pro culpis levibus excommunicantur tantùm à mensa, in Oratorio satisfaciant usque ad jussionem Abbatis. Ex his constat, quàm seriosè & fervidè Beatiss. Pr. Benedictus voluit Monachos suæ Religionis ad unam reficiri mensam, & simul accedere, simulque exsurgere. Nam & à communi mensa separari, excommunicatio quædam est, secundùm eum, & tamquam pœna pro culpa infligitur. h. i.

VII. Damna autem ex mensis privatis emergentia (præter damna œconomiæ, culinæ, & cellæ, seu caveæ, temporisque inutilem absumptionem) recensetmem. *Dionys. Cartus.* lc. *Ex privatis & separatis Religiosorum refectionibus, atque conviviis multa, & magna, & periculosa vitia oriuntur, videl. ingurgitatio, loquacitas, dissolutio, saturitas, delectatio sensualis, consolatio carnalis: ex quibus sequuntur concupiscentia, & inflammatio corporis, fastidium divinorum, somnolentia, scurrilitas, levitas, perditio temporis infructuosa, immo & vitiosa atque indevota, & negligens persolutio operis Dei, quod solùm maledictionem Dei meretur, S. Jeremia c. 48. dicente: maledictus, qui facit opus Dei negligenter (fraudulenter,* habent aliæ versiones) *omnino ergo curet Religiosus juxta Regulæ suæ tenorem, ad communem pergere mensam: quia & hoc fraternam*

fovet dilectionem, & suspiciones abscindit sinistras: oppositum verò tamquam detestabilem consuetudinem fugiat. h. i.

VIII. *S. Aurelianus* in sua Regula §. 52. hæc statuit de mensæ communitate. *Extra mensam communem nec quidquam cibi, potûsve gustare liceat, absque infirmis, & illis etatibus, quæ adhuc pernutriri indigent.* h. i.

IX. Si Superior Regularis, & quicumque subditus ament communitatem in mensa, & in aliis publicis Conventibus, plùs diligentur ab aliis: è contra odibiles se faciunt, sectando singularia. De quo *S. Bonav.* in Alphab. Religios. lit. Q. *Qui communia sectatur, & singularia vitat, magis diligetur, & citiùs ad bonum finem perveniet.* h. i.

CAPUT XIII.

De nimia Prælatorum solicitudine circa temporalia, evitanda.

I. CAusæ vetitæ hujus nimiæ solicitudinis est, ne extinguatur spiritus devotionis, forma boni exempli dandi subditis, & ne, quæ magis necessaria sunt, negligantur. De quibus *S. Bonav.* in Alastra Ecclesiastici Seraph, inquiens, *Tertius ordo versetur circa negotia, quæ per Prælatum sunt disponenda. Quorum alia expedit, ut aliis disponenda committat, alia per se ipsum disponat: alia præcidat, & removeat, quantum videtur. Sic Christus commisit alia discipulis procuranda, ùt Judæ loculos; sibimet retinuit prædicationis & curationis officium*

ficium. Luc. 12. ut inter Fratres quosdam hereditatem divideret, respondit: homo, quis me constituit judicem aut divisorem inter vos? h. i. subdit.

II. Exteriora & temporalia corporalis necessitatis officia si per seipsũ voluerit actu disponere, impeditur ab interiorũ & meliorũ provisione; quia sparsus extra se mentis oculus minùs videt interiora & necessariora saluti. Exod. 18. Esto tu populo in his, quæ sunt ad Deum; & leviùs feres, partito in alios onere, scil. leviorum. Act. 6. Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Si alios non haberet; quibus curam exteriorum committeret, potiùs deberet ab alio fraudem in temporalibus pati, quàm ipse Prælatus in talibus occuparetur, exemplo Christi, qui sciens Judam esse furem, tamen permisit eum exteriora procurare. Joan. 13. Hoc est contra illos, qui facilius inveniunt, quibus curam animarum committant, quàm rerum suarum temporalium; cùm incomparabiliter majus sit dispendium, periclitari animas, quàm res perire. h. i. prosequitur hanc materiam.

III. Spiritualia verò, & quæ ad salutem necessaria sunt, & profectum virtutum principaliter debet animarum Custos & Rector sibimet curanda retinere; cùm hæc sint de substantia officii pastoralis, & de his maximè sit in judicio rationem Domino redditurus. Hæc sunt Imò qualiter Regula studiosè servetur, & alia statuta, & Ordinis disciplina. Item 2dò, quod pax & dilectio sit inter fratres. Item 3tiò ad ipsum pertinet, conscientias singulorum agnoscere, & de quibuslibet perplexitatibus expedire: pericula peccatorum prævidere, & præcavere,

cavere, monere Fratres, ut proficiant: corrigere corrigenda: elucidare dubia, informare singulos, qualiter officia sibi commissa administrent, quò & Fratribus, prout convenit, sufficiant, & conscientiam non offendant. h. i. Plura documenta addit ibid.

IV. *Superflua verò & non necessaria saluti vel profectui animarum negotia expedit præcidere, & tam à se quàm à Fratribus, quantum opportunè poterit, removere.--- Cùm enim propter temporis brevitatem, & diei malitiam, vix necessariis sufficimus disponendis; si supervacuis vel alienis volumus occupari negotiis, negligimus utiliora & meliora; cùm distractus animus ad plura sit minor, ad singula providè geragenda.* h. i.

V. *Inde fit aliquoties, ut Prælati & Religiosi nimis se exterioribus occupationibus implicent, ædificiorũ, librorũ, causarũ, & aliorum, quibus fructuosiùs carerent: & non solum meliora interim negligant, sed etiam conscientiam sæpius inquinent; & ex usu exteriorum tenebrescat oculus mentis, ad contemplationem spiritualium & interiorum, & tepescat ad desiderium Supernorum. Sicut enim humores noxii affluunt, ubi fuerit in corpore læsio, nisi cautè removeantur; ne fiat ibi tumor & ulcus: ita & negotia crescunt ad extinctionem spiritus, qui si eis acquieverit occupari. Ideo discretio Prælati debet providè prospicere, quid ex quolibet eventu possit consequi, & quæ negotia admittere, vel quantum expediat ea exequi, circumspectè rimari. Eccli. 9. Fili, ne in multis sint actus tui. Qui sarcinam satis gravem portat, im-*

pru-

prudens est, si adhuc onera plura sibi portanda imponit, quibus potest opportunè carere subdit.

VI. *Super omnia verò debet Rector semetipsum circumspicere, ne aliis providens semetipsum negligat: ne alios salvans semetipsum in periculum demergat. Matth. 16. 27. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, anima verò suæ detrimentum patiatur?* h. i.

VII. De eadem hac materia pulchrè discurrit cit. *Alfonsus à Jesu Maria* disc. 5. Consil. 3. dum inquit: Non permittat se Prælatus mancipari ab immoderata & indiscreta rerum temporalium cura, sed occludat portam immodicæ cupiditati, quæ, obtegendo se pallio necessitatis, impedire solet præcipuam aliquorum Rectorum partem, cui majorem deberent impendere attentionem. - - contra quos est illud *S. Gregorii* l. 37. moral. c. 17. *Si fortasse validum contra avaritiam cernit Diabolus, importunè ejus cogitationibus domesticorum suorum inopiam suggerit; ut, dum mens ad provisionis curam quasi piè flectitur, seducta furtim in rerum ambitu iniquè rapiatur.* h. i. *Spera in Domino, & fac bonitatem, & pasceris in divitiis ejus. Ps. 36.* Matth. 6. *Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis.* h. i.

VIII. Indefessè ergo & indesinenter insistat Rector animabus curandis & conservandis: Et si non statim videat desideratum effectum, ne abjiciat animum. Prov. 19. 18. *Erudi Filium tuum, ne desperes.* 2. Tim. 4. *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Et hujus methodum

cle-

clariùs docet *S. Gregor. Nazianz.* Tom. 2. orat. 26 *Si primùm obluctetur subditus, leniter exspecta; si secundò, ne spem abjicias; nondum enim curationis tempus effluxit: si tertiò, benignum illum, & humanitate præditum agricolam imitare, cum Domino adhuc age, ne inutilem & infructuosam ficum exscindat, atque odio habeat, verùm emendet, & curet, & stercus injiciat, hoc est, eam correctionem, quæ per confessionem ac publicam ignominiam, contemptiorem victus rationem efficitur.* h. i. Et *S. Chrysost.* Valdè accommodatè ad hæc homil. 44. in 1. Cor. 16. inquit: *Hoc extremæ amentiæ est, cùm in incerto sit finis, certum subire crimen negligentiæ. Atqui Deus futura præsciens sæpe dixit, & nil profecit, & neque sic destitit, neque cum sciret se non persuasurum. Si autem, qui præscivit se nihil plus effecturum, non destitit corrigere, quamnam habebis excusationem, qui futurum omnino ignoras, pigrescisque & torpescis? etenim multi sæpe aggressi profecerunt, & cùm maximè desperassent, tunc maximè sunt assecuti. Quòd si etiam nihil amplius effeceris: feceris quod tuum est. Ne sis ergo inhumanus, neque immiseri cors, neque negligens.* h. i.

IX. *Paupertas voluntaria est bonus reditus:* Willige Armuht ist besser als Gelt und Gut. Hinc in paupertate, fiducia ponenda. De quo in vitis PP. obtulit quidam Frater seni pecuniam dicens: habe hanc pecuniam ad expensas tuas, quia senuisti, & infirmus es. Cui senex respondit: tu post 60. annos venisti auferre à me Nutritorem meum; ecce enim tempus habens in infirmitate mea, nihil indigui, Deo tribuente, & pascente me. Aptè ad hæc S. Chrys. in Epist. ad Hebr.

Nihil

Nihil opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit, & cum alacritate suscipit. Ipsa enim est manu-ductrix in via ad cælum, unctio athletica, exercitatio quædam magna & admirabilis, portus tranquillus. h. i.

CAPUT XIV.

De Superiorum Regularium solicita sed ordinata cura circa necessitates corporales suorum subditorum sublevandas.

1. QUoniam ob negligentiam eorum in hac cura, subditi peculia sibi conquisierunt, in maximum detrimentum Regularis vitæ, ac disciplinæ; eapropter ad peculia nociva eliminanda, hæc cura in superioribus erit resuscitanda, & maxima cum solertia custodienda. De quo in nostris constitut. Urban. hoc decernitur Tit. 9. in c. 4. Regulæ §. 1. *Maximè opus est, ut Prælati ipsi, quibus ex injuncto Regulæ præcepto incumbit, omni vigilantia, charitate, & solertia, ea omnia, quæ singulis fratribus, non ad victum & vestitum tantummodo, verùm & ad infirmitates sublevandas, ad studia prosequenda, ad itinera peragenda, ad labores reficiendos, & ad consimilia quæcunque onera perferenda necessaria erunt, paterna benignitate, & solicitudine, nullâ (quando necesse fuerit,) dilatione facta, providere debeant.* h. i.

Et §. 2. ibid. *Quapropter quibuscumque singu-*

larum

larum provinciarum capitulis seu Capitularibus Congregationibus, post harum Constitutionum promulgationem proximè & immediatè celebrandis. (Signant hæc duo adverbia terminum obligationis non differendæ; non verò terminum finiendæ.) Sub obtestatione divini judicii firmiter ad meritum salutaris obedientiæ præcipimus, & mandamus, quatenus omni alia omissa. (Si opus fuerit.) cura, omnique postposito gravi negotio, in hoc unum præcipuè & singulariter intendant, ut de succurrendis Fratrum necessitatibus certum hoc & infallibile Decretum stabiliatur. h. i.

11. Et § 8. lc. Superioribus autem, qui adnecessaria decernenda, providenda, & dispensanda ex vi Regulæ constituti sunt ordinarii judices, quàm maximè invigilandum est, ne eorum curæ commissi Fratres indigentiis, necessitatibus, & angustiis pressi, corporis & animæ pericula subeant. Discretè itaque, prudenter, ac (ut uno verbo dicatur) paternè prorsus, quæ necessaria erunt, unicuique etiam eorum familiæ minimo absque dilatione, absque increpatione, sed læto & hilari vultu impertiri curabunt.

Et §. 9. è contra verò Fratres omnes subjectos patienter sufferre decet, si quando urgente necessitate, sive per dilationem, sive alio quovis modo aliquantulum eos pati præter superioris optata contingeret. Ita enim procul dubio fiet, ut Superior subjectos Fratres, Fratresque subjecti Superiores vicissim omni charitatis officio prosequentes, sanctam, quietam, & ab omnibus seraphicæ Regulæ, Sanctarumque

que Constitutionum transgressionibus alienam, & immaculatam vitam traducant.

III. §. 10. Quòd si superiores Fratres ipsos non ut Filios, sed ut servos, omni necessitati sive ex injuria sive ex contemptu subesse patiantur; certissimum est, eos in deteriora lapsuros, & NB. ad loculos contra jus fasque, & ad constitutionum ipsarum & Regulæ transgressionem sese conversuros. §. 11. Quapropter nihil, quod eorum partium sit, omittant Prælati, ut supra gregem sunum invigilent, ne commissarum eis ovium sanguis de manibus eorum requiratur: ac pro comperto habeant, quòd (ut inquit D. Gregorius) non potest esse pastoris excusatio, si lupus ovem rapiat, & pastor nesciat.

Et §. 14. Superiores autem, quidquid deposcat Fratrum necessitas, per Officiales conventus, in propria tamen specie, non verò in pecuniis, Fratribus ipsis benignè, paterneque subministrabunt. -- Qui autem aliàs Fratrum necessitatibus succurrere, seu quæcumque eis necessaria aliter subministrare, sive huic decreto contraire præsumpserint, privationis officiorum eo ipso pœnam incurrant. §. 15. Indiscretus autem Superior, qui naturæ simul ac Regulæ jura, aut necessaria denegando, aut leviter superflua concedendo, seu aliàs quomodolibet violaverit, ab officio cecidisse se sciat. §. 16. Inquirant autem diligentiori examine Generalis Minister, & Provinciales in eorum visitationibus, num dispensationes hujusmodi aquè, ac juxta regularis disciplinæ statuta factæ fuerint; quòd si iniquè & indiscre-

tè factas esse compererint, severè in eos, ad quôs spectaverit, animadvertant. h. i.

IV. Porro de utilitate, & necessitate hujus curæ loquitur D. *Bonav.* in apologia pauperum sic inquiens: *Quod maximè locum habet in Prælatis Ecclesiæ, quorum perfectioni consonat, ut & spiritaliter, & etiam corporaliter pascendis sibi commissis gregibus intendant.* h. i. Et D. Thom. 2. 2. q. 118. a. 7. in corp. inquit: *Solicitudo, quæ circa proprias divitias adhibetur, pertinet ad amorem privatum, quo quis se temporaliter amat; sed solicitudo, quæ adhibetur circa res communes, pertinet ad amorem charitatis, quæ non quærit, quæ sua sunt, sed communibus intendit.* h. i. Insuper Prælatus cogitet, quòd pascendo subditos, pascat Christum ipsum. De quo *S. Bonav.* in ps. 118. *Prælatus lacte pascit Christum, si habeat dulcedinem in contemplatione, humorem in devotione, si alios pascat sua Sancta conversatione, & si habeat munditiam in carne, in conscientia, & in opere.* h. i. Idem in c. 12. Lucæ requirit in Prælatis, quæ habuit Joseph Gen. 41. *Qui ad dispensandum frumentum constitutus est super terram Ægypti, in quo fuit fidelitas, & prudentia, auctoritas, & vigilantia, seu diligentia.* h. i.

V. Itaque triplex donum desideratur in Superiore in ordine ad hunc finẽ; quo dono qui caret, laudandus est (ceteris paribus) si officium Superioris subire detrectet. De quo *Isai. 3. 6. Apprehendet vir Fratrem suum domesticum Patris sui: vestimentum tibi est, princeps esto noster.* - - *Respon-*

spondebit in die illa dicens : non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum. q.d. Superior debet posse vulnera & defectus curare, corporaliter pascere, simul & vestire. Ad quæ Deus supeditabit consilium & auxilium, modò is cum suis eidem Domino fideliter deserviat, & partibus muneris sui non desit. Superflua autem non quærat, sed tantùm pro necessariis quotidianis misericordem Patrem cum suis filiis precetur. Nam, ut *Laert.* l. 1. disc. 5. ait: *Optimè hæc est constituta domus, cui superfluum nihil abundat, & necessarium nihil deest.*

VI. Meritò Judic. 9. 8. arbores electuræ inter se Regem, iverunt ad arbores, quæ habebant gratiam pascendi, ungendi, vestiendi, lætificandi. Quos & effectus Prælatus in se erga subditos experiri & exercere conetur. Et quidem, ut ait *Hugo Cardinal.* in cap. 6. prov. *Prælatus tenetur subditis triplex dare pabulum, scil. verbi, exempli, & temporalis subsidii. Ita tamen servetur necessitas naturæ, ut abscindatur superfluitas concupiscentiæ. Nam Eccli. 29. initium vitæ hominis aqua, & panis, & vestimentum.* Sequetur, quantum prævalet, pium Samaritanum, Luc. 10. 34. Qui vinum & oleum infudit in vulnera infelicis, sustulit in jumentum, recommendavit stabulario proferens duos denarios, dicensque: curam illius habe. Sit pius Samaritanus, id est, in omnibus subveniat indigentibus, juxta eorum necessitates. Immo sit & Minister illorum prout jubet in Regula S.P.N. *Franciscus*, & exprimit. *S. Bernard.* serm. 82. cant. *Infirmi & pusilli, ipsi me utantur, ut*

libet, tantùm ut salvi fiant. Parcent mihi si non pepercerint: & in eo potius requiescam, si non me inquietare timuerint pro necessitatibus suis. Geram eis morem quoad potuero, & in ipsis serviam Deo meo, quamdiu fuero in charitate non ficta. Non quæram quæ mea sunt, nec quod mihi est utile, sed quod multis, id mihi utile judicabo. Hoc solùm deprecor, ut fiat acceptum eis, fructuosumque ministerium meum. h. i. Idem serm. 53. *Qui aliis præest in solicitudine, vix umquam vel raro securè vacat sibi, dum semper timet sui penuriam facere subditis, & non placere Deo; quòd communi utilitati propriam præfert quietem.* h. i. Et serm. 51. *Si quando sanè comperi profecisse aliquos vestrum ex meis monitis, tunc non me piguit fateor, curam prætulisse sermonis proprio otio & quieti.* h. i.

VII. De provido in his, & benigno Prælato ait *Picinellus: Prælati, qui benevolè religiosis subditis mensam congruam adornant, & vestitum opportunè distribuunt, diliguntur ùt Patres, colunter ùt Principes, & propemodum velut Dii adorantur.* h. i. De qua reciproca subditorum obligatione ait Hugo à S. Victore: *O Religiosi subditi, quoniam Prælati indefessa cura laborant, ne vobis corporalis desit sustentatio, vestrarum sanè partium erit, penitus in spiritalia incumbere studia, impendendo vires suas in servitium templi, chori, & tabernaculi. Quoniam de Altari pascimini, vestimini, & necessaria quæque accipitis; oppidò indecorum foret, Altare à vobis deseri. Si vivimus de annona Christi, & justum est, ut laboremus in servitute Christi,* h. i.

VIII.

VIII. Porro quoad modum dispensandi necessaria, inquit *Petrus à S. Audomaro* Canon. regul. l. 2. institut. monast. c. 12. dum inquit: *Cavendum dispensatori, ne sua tenacitate præbeat materiam excusandi peccatum prætextu necessitatis. Rursum, ne sua profusa liberalitate invidentiam in eis nutriat, & argumenta luxuriandi ministret; sed dividat, prout unicuique opus est.* h. i.

Idem in orat. contra proprietarios, excellentiorem viam pro extirpatione proprietatis Superioribus ostendere volens, illis interrogantibus, quæ esset illa, respondit: *Ut faciatis, quæ fecit Dominus & discipuli ejus: cùm enim vidisset Jesus turbas esurientes, nec haberent, quod manducarent, noluit, ut irent per villas & vicos, ut procurarent sibi: nec etiam voluit eos dimittere jejunos in domos proprias, ne deficerent in via: sed dixit discipulis suis: vos date illis manducare. Ita & vos date subditis vestris necessaria, ne opus habeant ab amicis quidquam emendicare. Si vestes, si cultellos, si devotos libellos, aut simile quid desideraverint, vos (si tamen superflua non quæsiverint, non curiosa) in charitate emite illis: Sic occasionem proprietatis amputabitis, & ex domibus vestris eliminabitur.* h. i.

Subdit: *Sed reperiuntur, prô dolor! Prælati parum curantes, quid subditi faciant, aut unde sibi, quæ desiderant, acquirant; dummodo ipsi sua marsupia resolvere non cogantur: pecunias plùs diligentes, quàm Fratrum animas, Christi sanguine redemtas. Hinc est, quòd Fratres sibi ipsis provideant: hinc*

proprietas incrementum capit : quæ ubi ingressa semel fuerit, multas secum trahit pedissequas, inobedientiam, intemperantiam, ebrietatem, & id genus pestes alias. h. i.

IX. Porro tenacium Superiorum instantiis occurrit *Zegnerus* p. 1. c. 3. §. 1. *Sed dicent forsitan Superiorum nonnulli : si subditis peculia permittantur, plures ad religionem recipi poterunt : quia dum aliqui à parentibus aut aliunde sibi necessaria conquirunt, poterunt ex communibus Monasterii proventibus sustentari.* Verùm *ab his peti posset, num, si ea omnia, quæ à parentibus, aut aliunde particularibus obvenirent, in perfectam communionem redigantur, & cum reliquis Monasterii proventibus confundantur, non æquè multis eo casu ex communi Monasterii thesauro per ejusmodi bonorum seu rerum adjectionem sic aucto provideri posset, quàm si illa in usus particulares manerent separata?*

NB. Sed reponent : *Si ea, quæ à parentibus, aut aliunde acquiruntur, passim in communionem redigantur, ut omnium indifferenter necessitatibus impendantur, facilè eventurum, quòd parum erunt soliciti, ut quidquam à parentibus aut aliunde conquirant.* Sed

Respondeo, *Si ea putetur in Religiosis animæ constitutio, tantum abest, ut ea foveri & permitti possit ad numerum fratrum multiplicandum; ut è contra non dubitem quin satius esset, etiam congregationem aliquam totaliter extingui, quàm ejusmodi animi affectus in religiosis permittere. Apud omnes quippe in confesso est, Regula-*

res illos proprietatis vitio saltem affectu infectos esse qui solicitant parentes, ut aliquid ab ipsis accipiant, usibus suis particularibus applicandum; non solicitaturi, si illud scirent in commune redigendum. Hoc ipso enim ostendunt, se illud sibi, non communitati procurare, ac per consequens sibi velle esse proprium, id est, peculiare. NB. Deinde cogitent hi, qui peculia illa permittunt, ut numerum augere queant; non in multitudine Fratrum, sed in debita disciplina Regularis custodia, cujus præcipuè bases, & fundamenta sunt votum paupertatis, & perfecta rerum communio, Religionis salutem consistere. h. l.

X. Porro de medio servando in cura circa temporalia exactè instruit *S. Bern.* l. 4. consid. sic ajens. *Hæc dicens, non te moneo, summis occupatum intendere infimis, & quasi minutum fieri, in minimis impendere quod maximis debes. Quid te intrices, unde te eripuit Deus? hæc, inquit, omnia adjicientur vobis. Verumtamen & hæc oportet facere, & illa non omittere. At illa per te agens, per te etiam, oportet, provideas, qui pro te de his provideant. -- Vacuum prorsus à solicitudine rerum minorum & vilium oportet esse animum tam magnis & tam multis intentum rebus. Oportet liberum, quem nulla sibi vendicet violenta occupatio. Oportet ingenuum, quem nulla deorsum trahat indigna affectio. Oportet rectum, quem nulla seorsum avertat sinistra intentio. Oportet cautum, quem nulla subeat furtiva suspicio. Oportet vigilem, quem nulla à sese abducat peregrina & curiosa cogitatio. Oportet firmum, quem nulla concutiat repentina turbatio*

batio. Oportet invictum, quem nulla fatiget tribulatio. Oportet amplum, quem nulla coarctet rei temporalis amissio. His te non dubites & bonis privandum, & feriendum malis, si animum dividens, & Dei rebus, & tuis pariter reculis volueris impartiri. Procurandus, quem implices, qui pro te molat, pro te, dico, non tecum. Quædam per temetipsum facies, quædam per te & alios simul, quædam per alios & absque te. h. i.

CAPUT XV.

De modo, & medio, quibus utetur Prælatus Regularis ad reformandos Religiosos sui Monasterii, vel provinciæ.

NB. QUæ circa titulum hujus capitis resolvi possent, verbo-tenus ex *Dionys. Cartus.* excerpta hic proponam; qui l. de reformat. Claustral. a. 25. hanc methodum præscribit.

Quoniam sine auxilio gratiæ Dei nil meritoriè agere possumus, immo nec cogitare; quò major res est reformatio communitatis, eò ampliùs dependet à Deo, & tantò plùs necessarium est speciale auxilium directionis & cooperationis Spiritus S. Abbas ergo sive Superior, ad reformationem subditorum suorum verè & ordinatè volens procedere.

Primò, humiliet se profundissimè coram Deo, propriam insufficientiam ex totis præcordiis confitens, adjutoriumque Divinum lacrymosè, affectuo-

ctuosissimè,& indesinenter exorans, ut se illuminet,dirigat, & confortet ad exhortandum salubriter, ad agendum exemplariter , ad consummandum feliciter : subditorumque corda dignetur misericordissimè intueri, mollificare, & aperire, ad audiendum & consentiendum , ac perficiendum,quod eis suadetur, & dicitur, & ad quod tenentur. Porro si Abbas viderit se proficere, nequaquam inaniter glorietur,sed Deo humillimè regratietur , totumque pietati adscribat divinæ ex intimo corde, ut Deo semper gratus ac subjectûs consistat , & ipsum semper in cunctis glorificet.

Secundò,quia,ut S. *Dionys.* docet,*Prælatûs tantæ debet esse perfectionis & gratiæ, ut ex plenitudine sua subditis suis communicet* : & plus est docere exemplo,seu factis, quàm verbis dumtaxat: prædicatio quoque illius non reputatur , cujus vita despicitur : hinc Superior debet seipsum in omnibus exemplarem subditis exhibere,& vitam honorabilem imitabilemque præbere, ne ei dicatur, medice cura te ipsum.-- Abbas ergo ex Dei amore & Zelo salutis fraternæ, humiliet se ipsum, & subditis suis se humiliter applicet , affabilem reddat, amorosum ostendat , & tam verbis quàm factis provocet eos ad viam salutis. Hinc ad Timotheum scribit Apostolus : *Esto exemplum fidelium in verbo,in conversatione,in charitate.Prælatus namque est quasi signum, in quod subditorum oculi diriguntur.* Atque,ut Seneca protestatur: nil in tantum inducit subditos ad virtutes, ùt exemplaris vita majorum.

Tertiò, Abbas seu Præsidens considerare debet eos, qui melioris videntur esse voluntatis ad reformationem: & illos alliciat sibi, & adstringat, ac roboret, & tam per se quàm per illos procedat ad exhortationem aliorum seorsim & secretè, & primò illorum, de quibus est sibi major spes, quòd debeant consentire: qui si statim non consenserint, patientiam habeat: nec irascatur, sed oret pro eis, nec cesset.

Quartò, Præcipuè quoque labotet inducere Seniores ad consentiendum reformationi: qui meritò tantò libentiùs consentire debent, quò se vident viciniores ad mortem, & quò Deus eis pepercit diutiùs. Senioribus quippe consentientibus, juniores faciliùs inducuntur, & minùs audent resistere.

Quintò, Deinde Superior incipiat subditos, & Abbas conventum generaliter, piissimè, atque dulcissimè exhortari ad emendationem, ad virtutes, ad Professionis impletionem: legatque Abbas monachis aliqua verba ex Regula, quam sunt professi, potissimè ea quæ pertinent ad tria vota omni Religioni substantialia: & exponat eis, quàm periculosum atque damnabile sit, voto in professione facto non satisfacere.

Sextò, Præterea, si Abbas viderit sibi necessarium esse, vocet ad se aliquos viros religiosos, timoratos, & sapientes, præsertim Abbates Ordinis sui, qui cum ipso admoneant monachos ad reformationem, & consilio atque auxilio sibi assistant.

Septimò, Si autem aliqui essent ita rebelles & duri,

duri, quòd Abbas videret se majori & potentiori indigere auxilio ; posset Episcopi sui advocare subsidium, maximè si sciret Episcopum ex corde velle succurrere;& nec precibus, neque muneribus flecti debere. Si verò hoc timet,impetret aliquos Deum timentes atque idoneos , quibus Episcopus vicem & authoritatem suam committat: Qui venientes fideliter adstent, & cooperentur Abbati.

Octavò, Denique,teste *Dionysio*, à distanti in distans non fit motus nisi per medium: & de uno extremo non venitur ad aliud,nisi medium pertranseundo : Nemo quoque repente fit summus; & paulatim longiùs itur; hinc Abbas omnia discretissimo atque piissimo moderamine agat, non statim in principio totum ordinis rigorem Monachis imponendo; sed infirmitatibus imperfectorum condescendat, eosque paulatim ad perfectiora trahere enitatur ; ita ut inprimis ad observantiam substantialium inducantur , deinde pedetentim ad alia.

Nonò, Et quia qui timet Deum,nihil negligit, atque amanti nihil difficile est ; hinc Abbas seu quicumque Superior magis conetur sibi commissos inducere ad Dei timorem, & amoris spiritualis fervorem, quàm ad exteriores observantias rigorosas. Nempe cùm cœperint Deum timere atque diligere,spiritalisque vitæ suavitatem aliqualiter degustare , ex seipsis movebuntur ad observantiam eorum, quæ ordinis sunt , & pro salute fient soliciti. Unde nonnulli volentes alios reformare,magis destruunt eos, quia indiscretè procedunt,

dunt,& ab exteriori rigore, corporalique obſervantia ſumunt exordium. Sicque ſubditi inſtar rei,quæ violenter movetur, trahuntur,coguntur, & tribulantur: nec tamen proficiunt, quia non habent intra ſe principium motionis ad bonum, ut puta timorem Dei aut charitatem.

Decimò, Præterea reformatione incepta,poteſt Abbas aliquos ſui ordinis Monachos multum devotos & exemplares ex aliquo alio cœnobio impetrare, qui ad tempus in ſuo ſint clauſtro, ut Monachis ſuis nondum exercitatis in obſervantiis ordinis oſtendant verbis & factis modum monaſticæ converſationis, formam ſpiritalis profectûs,exercitium devotionis internæ,regulariſque obſervantiam diſciplinæ.

Undecimò, Gregem etiam reformatum Abbas cum diligentia ſumma cuſtodiat, ne recidivet. Sed & Regulam ſuæ profeſſionis frequentiùs legat, ut ſciat, quomodo eum oporteat in omnibus ſequi & operari; & perſeveret fortiſſimè uſque in infinem.

Duodecimò, Invocetque quotidie Beatiſſimam V.Mariam in adjutricem, & ceteros ſanctos, eos præcipuè, ad quos magis afficitur, & Ordinis ſui inſtitutorem,ut *S.Benedictum* vel alium, ſi eſt canonizatus: ut & ipſe tandem poſt hujus vitæ decurſum Sanctorum mereatur cœtibus adunari, & tantò glorioſiùs coronari, quò plures fuerint per eum reformati, ad laudem & gloriam omnipotentis,qui eſt ſuper omnia Deus ſublimis, & benedictus, Amen. *Hucuſque doctrinaliter, ſalubri-*

lubriter , & fundamentaliter præfatus Dionys. Cartus.

Modum Reformationis Regularium pientissimus *Cardinalis Bellarminus* contrahit ad pauciora cap.l.3. de gemitu columbæ c.6.dum inquit: ut redigam in 4.capita ,eaque brevissima, quæ ad reformationem necessaria sunt , *primum* illud esse ajo , ut non admittantur ad habitum , nisi illi qui signa veræ vocationis ostendunt. *Secundò*, ut probatio maximè seria sit ; & qui in probatione divinam vocationem non probaverunt , omnino ad professionem non admittantur. Nam vitæ Christianæ perfectio quò est altior,tantò pertinet ad perfectiores. Legant ii,ad quos ista pertinent, *Joannem Cassianum* in l.4.de institutis renuntiantium c.3.32.&34 *Tertiò*,ut sex virtutes suprà nominatæ , *humilitas , paupertas,castitas,obedientia, studium orationis, & perfectio charitatis* diligentissimè colantur : & Præpositi in omni virtutis genere exemplo suo præluceant. *Quartò* denique ut dent operam , ut S.Tridentini Concilii decretum illud saluberrimum, & maximè necessarium observetur, ut non plures ad Ordinem admittantur,quàm qui sustentari possint ex redditibus , vel eleëmosynis ordinariis : tunc enim Præpositi jure cogere poterunt ad omnem proprietatem fugiendam & execrandam , si Ordo ipse singulis ea præbeat omnia , quæ singulis necessaria sunt. *h. i.*

De facilitate reformationis habetur hoc ex vita zelosissimi S. *Petri de Alcantara* ; qui cum diceret socio : indigeremus in nostra Religione aliqua reformatione ; hic respondit ei : perdifficilis

hæc

hæc erit, eò quòd difficultas sit in capitibus. Respondit ille: non ita difficilis, ùt tibi videtur; nam si quisque unum reformet, id est, seipsum, totus Ordo erit reformatus. Hæc optima doctrina, impletuque facilis, si quisque in fundo cordis sui haberet terrram bonam vel optimam, in qua fructificare posset semen cælestis doctrinæ.

CAPUT XVI.

De obligatione speciali Prælatorum Regularium ad vitæ communis introductionem, peculiorumque privatorum abrogationem.

NB. SOlicita cura circa hoc Prælato est adhibenda, eò quòd illa S. communitas, quàm salutaris religiosis, tam facilè à vanitatum amatoribus proscribatur, cùm quisque ex illis conetur privata amplius seligere & quærere, quod narrat *S. Bern.* in apolog. ad Guilielm. Abb. *Multitudinis, inquit, credentium erat cor unum, & anima una, Act 4. Ubi nunc illud unanimitatis exercitium? fusi sumus exteriùs, & de regno Dei, quod intra nos est, relictis veris ac perennibus bonis, foris quærimus vanam consolationem, de vanitatibus & insaniis falsis, ac jam religionis antiquæ non solum virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. Ecce enim ipse habitus noster (quod & dolens dico) qui humilitatis esse solebat insigne, à Monachis*

nachis temporis nostri in signum gestatur superbia. Miles & Monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullam & chlamydem. h.i.

I. Quæ hanc materiam concernunt, partim suprà jam tum dicta sunt, partim in hoc capite dicentur; quæ tamen non ex proprio sensu, sed aliorum Auctorum sententiis depromentur. Itaque *H. Casal.* p. 4. c. 14. in fine de prædicta obligatione hæc concludit:

Stat igitur nostra conclusio, Prælatum teneri subditos ad vitam communem reducere quantū potest; & eos depositum à se abdicare debere, dummodo Superior omnia eis necessaria providere, ac subministrare paratus sit. Quòd si Prælatus id possit & negligat, tunc subditi depositum retinentes sunt tuti in conscientia, & ipse ignaviæ suæ meritus pœnas dabit. Ubi tamen ratione paupertatis vita communis servari nequit, tum Prælatus & subditi securi sunt, servatis servandis, quæ partim suprà tacta sunt, partim adhuc tangentur in hoc cap.

II. Idem *H. Casal.* p. 3. c. 11. de modo hujus obligationis in effectum deducendæ ita discurrit. Extra controversiam est, Prælatum non teneri ad compellendos suos subditos ad vitam communem, quando citra grave scandalum (si tamen tale scandalum verè & non fictè timeretur (de quo suprà) id præstare non posset; Eò fortè respexerit *Cardinalis Cajetanus* (ptout rectè etiam observavit Navarrus) cùm à Provinciali Portugalliæ interrogatus, quid sibi agendum foret pro Patrum Dominicanorum illius regni reformatione, respon-

ſpondit : *Coge intrare mare per fluvium.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret: *Senſim ac ſuaviter*, non autem ex abrupto ultimum reformationis gradum introducas ; & hoc ad præcavenda multa incommoda, ne dicam ſcandala oriri ſolita. Non dixit : *Sine eos vivere, prout faciunt* (quod bene notandum eſt.) Sed *coge, non autem ex abrupto & aſperè*, ſed humaniter quaſi *per fluvium. Procul dubio* enim, ait *Navarrus*, *tenetur Prælatus reſtituere ſuos ad originarium Regulæ, ubi ſine ſcandalo fieri poteſt.* h. i.

III. Sic practicatum eſt ab Eminentiſſimo Cardinali *Horatio Spinola*, Genuenſi Archi-Epiſcopo, vito cùm zeloſiſſimo, tum prudentiſſimo, qui omittebat metu ſcandali (ſic refertur à *Caſal* lc.) quibuſdã Monialibus iſtius civitatis vitam communem abſolutè præcipere; non verò, quòd crederet ſe id legitimè præſtare non poſſe ; *cùm è contra ſe obligari ita exiſtimaret, ut ab ea obligatione mentem avertere, aut ſomnum capere, die ac noctè non valeret.* h. i.

Addit *Caſal.* audiſſe juvabit, quæ quondam piiſſimus ille vir mihi dixit Ferrariæ dum in tranſitu referrem ei, quoddam ipſius Monaſterium ad communem vitam rediiſſe. Pater (inquiebat ille) ſi quis mihi felix illud nuntium afferret, omnia mea monaſteria reformationem vitæ communis eſſe amplexata, ingenuè fateor, haud gravatè ex hoc mundo hìc & nunc emigrarem, diceremque cum Simeone : *Nunc dimittis ſervum tuum in pace.* Et ſubdit, illum hujus intentionis fuiſſe, quòd obſervantiam vitæ communis vellet abſolutè,

lutè, attamen ſuaviter & ſine ſcandalo illis præcipere, quamvis Pontificis beneplacitum deſuper non habuiſſet. *h. i.*

IV. Eſſet quidem in reformatione optandum, quòd immediatè ad perfectam vivendi methodum ſe religioſi reducant, & perfectè incipiant; attamen ſi aliter fieri nequeat, pedetentim & per gradus aſcendendum erit, quamvis in hoc ſit periculum aut relapſûs, aut permanſuri teporis, maximè ſi Prælati immutentur, qui reformationem zelant, & fortè alius ſuccedat qui reformationis zelator non eſt. Itaque (ut ait *Caſal lc.*) peculium quandoque toleratur ad vitandum grave aliquod incommodum aut ſcandalum; quo caſu Prælati, ſicut & ſubditi in conſcientia ſecuri ſunt, ſervatis tamen conditionibus ſupra poſitis. Qui tamen ſcandali occaſionem præbebunt, nullo modo tuti erunt; quia ſcriptum eſt: *Væ illi, per quem ſcandalum venit.* Ideo dicere non omittam, quòd non omnis ſubditorum tumultuatio Prælatos à reformatione excuſet; quia, ut *Mauburnus* ſcribit, *pro exterminatione tanti criminis aliquod magnum eſt audendum: inſaniant, & furiant ſubditi, quantum velint.* h. i.

V. Cùm Eminentiſſim. Cardinalis *Horatius Spinola* (ùt refert *Caſal.*) monaſteria ſua reformare ſtuderet, præcipua eorum excuſatio, qui reformationem recipere detrectabant, erat monaſteriorum inopia, & allegata paucitas reddituum ad vitam communem neceſſariorum, cùm tamen, probatione factâ, inventum fuerit contrarium, & re ipſa oſtenſum, complura alia cum pau-

ciorıbus redditibus vitam ducere communem: ideoque excusationem illam fictam fuisse ac nugatoriam : quòdque pauciora bona ad communiter vivendum, quàm in particulari cum peculio, requirantur. h. i.

VI. Superiorum aliquorum negligentium reformationem excusationes refutantur facilè à *Zegnero* p. 1. c. 3. §. 5. ubi inquit: Sed dicent forsitan Superiores, adeo vitium illud peculiaritatis ac proprietatis esse radicatum, ut nullus laborum suorum fructus sit sperandus. *Respondet:* nullum adeo vitium invaluit, quin ejusdem eradicationem per Dei auxilium Superiores sperare possint, modò ipsi labores & operam impendere non omittant, & confidant in illum, qui omnia potest: præsertim, quia omnino confidendum est, quòd, qui cœpit opus bonum, nim. bonam illam voluntatem Superioribus inspirando, perficiet. NB. *Neque multorum resistentia indicium est, quòd conatus suo frustrabitur effectu; quin potius feliciori successûs præsagium est.* Solet enim Diabolus obsistere per homines malos tamquam per sua instrumenta operibus bonis, præsertim illis, quæ tendunt ad destructionem malæ & inveteratæ consuetudinis; vel si ex initiis illis plurima bona secutura intelligat. Hinc *S. Teresia* dum conatibus suis multos resistere videbat, prosperum exitum ominabatur; & re ipsa ita accidit; nam duo supra triginta monasteria inops virgo ædificavit, omnibus humanis destituta auxiliis, quin imò adversantibus plerumque sæculi principibus. *Ita lectiones Breviarii. Subdit ille ibidem.*

VII.

VII. Præterea, *quod bene notandum in reformationis negotio, non tantùm attendendum, quis fructus hoc tempore, & inter præsentes NB. diuturna consuetudine obcæcatos & vinculatos sit futurus; sed etiam quis futuris temporibus, & inter præsentium successores.*-- Sed dato, quòd, omni impenso labore, subditos illos à vitio illo revocare non possent; ipsi tamen animam suam liberabunt, juxta illud Ezech. 3. 19. *Si tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & à via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur; tu autem animam tuam liberasti.* Hinc illud *S. Benedicti* in c. 2. Regulæ: *Abbas tantùm iterum liber erit, ut, si inquieto vel inobedienti Gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita, pastor earum in judicio Domini absolutus, dicat cum Propheta Domino: justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi: ipsi autem contemnentes spreverunt me.* h. i.

VIII. Pergit idem *Zegnerus.* Neque Superiores à muneris sui ratione deterrere debet, quod fortè subditorum animas suis pastoralibus studiis, actionibusque exulcerari videant; vel quia nonnulli illorum clamant: *non ferunt hæc tempora strictam illam paupertatis, & communionis observantiam.* Hæc enim à Prælatis tamquam futilia, & sese emendare nolentium voces contemnendas esse, post *S. Bernardum*, alioſque SS. PP. meritò censuit *S. Carolus Borromæus*, Ordinis nostri, dum viveret, Protector zelosissimus in orat. ad II. Con-

cil. Mediol. *Nec verè est*, (inquiebat ad Prælatos, in 2do suo Concilio congregatos) *cur à muneris nostri ratione deterreamur; vel quia his nostris pastoralibus studiis, actionibusq; animas eorum exulcerari videamus, qui filii sunt perditionis; vel quia populares illæ, quibus quasi ficus foliis, deformes pravique mores contegi solent, voces audiantur*: non ferunt hæc tempora veterum canonum (junge, *Regularis disciplinæ*) severitatem: sic jam diu viximus, sic vixerunt, ita egerunt, qui ætate antecesserunt, vitæ institutum nihil est quòd mutemus. *At nos hac atque ejusmodi contemnamus.* h. i.

IX. Eamdem rursus querelam in ultimo suo Provinciali Concilio his verbis retundit idem *S. Carolus Borromæus: an fortasse actione nostra deterremur, quia hoc nostro frequenti Provincia nostræ sananda studio exulcerantur animi quorumdam dictitantium*: Non ferunt hæc tempora veterum canonum (junge, *regularis disciplinæ*) & antiquæ Ecclesiæ medicamenta? *Immo ardentiùs progrediemur; quoniam hæc una medicina præstantissima est, maximèq; opportunũ id remedium, ùt, quibus olim rationibus disciplina Christiana* (adde, *regularis*) *sata, & propagata fuit, iisdem ipsis & instauretur, & conservetur.* h. i.

X. *Objectiones plures & instantias Peculiaristarum proponit, refutatque Zegnerus, & inquit*: Instabunt forsitan Superiorum alii: *cur tantopere nos opponemus peculiaritati illi, quam prædecessores nostri tanto tempore tolerarunt? quare enim non permittemus, quod ipsi permiserunt? NB.* Expen-

pendant hi, qui hac ratione se ab extirpatione peculiaritatis excusare conantur, num non hoc eodem argumento Prælati, atque Monasteriorum Præpositi se ab omni reformationis studio eximere poterunt: quandoquidem præcipuus, si non unicus, reformationis scopus esse debeat, corrigere ac eradicare abusus, qui per Prælatorum negligentiam, aut nimiam eorum conniventiam invaluerunt. Quare jam ptidem *Sacra Paris. Facultas*, ut Prælatos Ecclesiæ Gallicanæ induceret ad abrogandum inveteratum, sed pernicioſum quemdam abusum, scripsit in hæc verba: *Nolite subdolas hominum voces audire sic dicentium: Prædecessores nostri, qui erant notabiles viri reputati, illud Festum Fatuorum (adde, peculiaritatem) permiserunt: sufficiat nobis vivere, ùt ipsi.* Procul dubio, istud argumentum diabolicum est, & infernalis hæc persuasio; nam illorum exitum ignoratis, an bonus vel malus fuerit. h. i. Caput hoc concludam sententia *S. Chrysost.* homil. 79. in cap. 25. Matth. *Nulla res Deo gratior est, quàm ùt universam vitam ad commune commodum conferas*; h. i. Idem cit. à *S. Bonav.* in c 12. Lucæ: *De virtute, de pecuniis, & de omni dispensatione, quæ unicuique commissa est, Unumquodque ad communem utilitatem uti oportet his quæ habet, sive sapientia, sive principatu, sive divitiis.* h. i.

CAPUT XVII.

De obligatione subditorum ad acceptandum reformationem ad vitæ communitatem.

1. THomas à Jesu Discalc. p. 4. c. 3. ait hunc statum periculosissimum esse, pluribus ex causis, in quo Religiosi sine communitate exacta vivunt. Additque omnes paratos esse debere ad reformationem prædictam acceptandam; & insuper ad omnia, quæ habent ad usum, in manus Prælatorum resignanda. *Non tamen omnes parati sunt, quia non omnes paupertatis amatores existunt, sed plures inveniuntur, qui plures excusationes suis proprietatibus apponunt, & ita reformationi contradicunt, quibus alii simpliciores adhærent: & ita, reformatio si intenderetur, sæpe magna pars communitatis turbaretur, & in deteriora pericula rueret; & ob id judicatur impossibilis reformatio* (in sensu ita composito) h. i. Porro ad hanc S. Communitatem voluntariè acceptandum, necessaria est in omnibus membris unanimis concordia, & malarum consuetudinum victoria. De quibus S. *Bern.* ad sororem c. 41. *Omnes ergo unanimiter & concorditer debemus vivere in domo Dei, ut possimus diabolum vincere. Ancilla Dei quæ vult concorditer vivere, priùs debet pravas consuetudines relinquere, ne sit perversa, inordinata,*

ta, indisciplinata, ne perversitate sua ceteras ancillas Dei conturbet, vel scandalizet. h. i.

II. *Navarrus* Comment. 3 de Regularibus n. 36. de hac obligatione ita discurrit. Prælatus non debet reformare unum vel alterum, non reformando alios; cùm, non reformatis aliis, non possit ipse solùs de communi, & communiter vivere: & nemo ad impossibile tenetur. h. i. *Subdit.*

Quid autem si Prælatus præcipiat omnibus & singulis suis Canonicis, vel Monachis sub censuris, ut prædicta faciant, an peccent mortaliter, & incurrant censuras, non obediendo? Et videtur dicendum, quod sic, si *opportunè* id præcipiat, & *nulla Causa particularis eos excuset.* Quia qui Superiori justa præcipienti nō obedit, peccat. Dixi, si *opportunè*; quia, si præciperet *ex abrupto*, ut ea facerent, antequam instituerentur Cellarius, promus, coquus, & aliæ personæ, & instrumenta *vitæ communi* necessaria, justè possent rogare Prælatum, ne sic ea præciperet, & appellare, si nimis urgeret, adjectâ causâ, quòd justum modum reformandi excederet. Dixi 2*dò*, & si *nulla particularis causa eos excuset*: quia secus, si talis causa adesset; ut quia non est refectorium, vel dormitorium, eò quòd essent vi bellorum aut incendiorum exusta, & solo æquata. Quin & fortè aliquot aliæ causæ possent efficere justam causam rogandi Prælatum, ut differret ejusmodi præceptum; donec S. Sedes Apostolica consuleretur, vel in congregatione habenda per Religiosos ejusdem Ordinis, juxta Decreta Tridentina tractaretur. h. i.

III. Grave onus est Prælatis, dum subditi in hoc genere non sunt bonæ voluntatis. Hoc expertus est S. *Carolus Borromæus* Zelator Decretorum Concilii Trid. studiosissimus pariter & acerrimus, qui aliis Prælatis datus est propterea in exemplum, ut exemplo suo illos ad observantiam illorum excitaret & animaret. Hic citatus ab *H. Casal* in præfatione sui opusculi, *dicere solitus erat, à solis monialibus vitam communem exactè non servantibus plus molestiæ, solicitudinis, ac laboris sibi creari, quàm à reliqua tota sua diœcesi, quantumvis hæc esset amplissima.* h. i.

IV. Hanc suam obligationem si subditi non agnoscant, superiores ipsis hanc exponant, utpote qui duplicem obligationem habent, & seipsos & subditos excitandi, & reformandi, & contra abusus & vitia insurgendi. Quod si non faciant, tonat contra illos *Doctor Seraphicus* in Ala prima dicens: *illi non sunt apti ad regimen animarum, quilicèt sanctè vivant tamen contra aliorum vitia, & peccatorum pericula Zelo fervoris non inflammantur, neque dicunt cum David: numquid qui oderunt te, Domine, oderam?* Psalm. *138. 21.* h. i. De horum stricta obligatione ait cit. *H. Casal.* lc. sciant superiores, sub peccato mortali etiam cum propriæ vitæ periculo teneri se, non tantùm lethales culpas suorum corrigere, sed etiam quantum possunt, eos abusus omnes tollere, quilicèt in singulis sint tantùm veniales, regulare tamen disciplinam enervant, spiritalem subditorum profectum impediunt, & ad eorum ruinam, totiusque disciplinæ relaxationem sensim disponunt: neque ipsos defectus à se observatos,

vel

vel ab aliis sibi denuntiatos solùm teneri reprehendere & corrigere; verùm etiam vi officii sui obligari, in suorum subditorum vitam & conversationem curiosè inquirere, quò spiritali eorum necessitati exactiùs possint subvenire, h. i.

V. Nec est, quòd causentur Prælati, se non velle subditos turbare, sed malle se, & illos in pace relinquere, & ita vivere, sicuti sub suis prædecessoribus vixerunt &c. Damnabilis hæc pax est, quam si interturbent, virtutem eximiam exercent, de qua *cit. Casalle* quòd sit ignavia toties in scripturis condemnata, quâ scil. quis tolerat & dissimulat, quæ non oportet, ne falsam aliorum quietem, pacemque perturbet, ideoque quemque sinit pro arbitratu suo & beneplacito vivere-- Nempe pacem quisque desiderat, sed vanam & mundanam, pacem carnis & sensuum, non illam Spiritûs & conscientiæ bonæ, quam dare non potest mundus. h. i.

Q. 1. Utrum Prælato negligenter agente, subditi seipsos reformare teneantur. *Respondet 1. H. Casal*, subditos in Ordine *S. Francisci* ad id utique obligari; hancque obligationem cum aliis deducit ex c. 10. Regulæ, ac ita concludit: quare cùm in aliquo conventu vita communis negligitur, Fratres omnes sub peccato mortali ad Ministrum recurrere tenentur ut per reformationem, vel alio quocunque modo collapsam vitæ communis observantiam instauret; & illô deficiente, ad Generalem; quod si uterque negligens fuerit, ad Protectorem; qui hac in re plenariam potestatem habet, immo etiam, omnibus aliis

deficientibus, inquit *Alvarez*, ad ſummum Pontificem tenentur habere recurſum. h. i.

Reſpondet idem 2dò adducens *Lorinum* Societ. Jeſu à ſe conſultum, etiam tutiùs & ſecuriùs facere illos ſubditos, qui in aliis Ordinibus à ſe ipſis reformationem incipiunt, dum Prælati in hoc ſegnes ſunt, maximè in iis locis in quib⁹ major eſt & intolerabilior voti paupertatis violatio. *Rationem dat*; quia ſi unuſquiſque naturæ lege teneatur ſibi in neceſſitatibus corporalibus proſpicere, quantò magis in ſpiritualibus, cùm hæ potiores ſint, & eò ampliùs obligent, quò anima corpus nobilitate antecedit alioquin, *qui amat periculum, in illo peribit.* Eccl. 3.27. h. i. Qui ſubdit. Addo verò hanc opinionem tunc fore veriſſimam, quando Major pars ad reformationem propendet, aut propenſura ſperatur, niſi tamen aliunde ſcandaloſa quædam contradictio timeatur. --Verùm quidquid de dicta obligatione; indubiè ſaltem bonam apud Deum conſequetur retributionem, qui à ſeipſo reformationem inchoaverit, & alios verbo & exemplo ad eamdem protraxerit: hic certè magnus erit in regno cælorum: erit, inquam, ſal terræ, & lucerna ſupra candelabrum poſita, qui ſcommata & improborum dicteria deſpiciens, ſimplicium tenebras exemplo ſuo diſcutiet. h. i.

Q. 2. an maturitatis honeſtas præſupponatur in ſuperiore Regulari ad hoc, ut ab eo reformationem acceptent ſubditi.

&. Quòd illa plurimum conducat ad hunc finem.

finem. De qua *D. Bonav.* in Ala 4ta ita loquitur. *Maturitatis honestas perpenditur in tribus, scil. primò si non sit levis in moribus, videl. in verbis & jocis scurrilib⁹ & irreligiosis: quæ licèt in se quandoq; quasi grata putentur, minùs tamẽ reverendũ faciunt & verendũ. S. Greg. enim dicit hom. 3. in Ezech. non facilè ejus prædicatio accipitur, si levis in moribus videtur. Nam, etsi Prælatus magis diligendus sit, expedit tamen, ut ab insolentibus timeatur. Ipse amor aliquo modo suavior sentitur cum reverentia mixtus; ut patet in amore Summi Conditoris, cujus quò Majestas sublimior agnoscitur, dignationis dulcedo sapidiùs amatur. Psalm. 24. 8. dulcis & rectus Dominus &c.* Secundò, *Si non sit levis in affectu per privatos amores notabiles, tam ad feminas, quàm ad quaslibet leves personas. Licèt enim meliores in affectu præferendi sint minoribus; & omnes propter spem salutis in Christo amplectendi sint; in actu tamen exterioris exhibitionis taliter se gerat ad omnes, ut nullus se ab eo contemni propter alios suspicetur: sed quilibet se ab eo diligi præsumat, & fiducialiter ei quasi singulari amico confidat; ne alicui indignatio, & invidia in aliis nutriatur: sicut Fratres Joseph, qui oderunt eum pro eo, quòd à Patre singulariùs amaretur. Gen. 31. 4.* Tertiò, *si non est levis in proposito, & inconstans in consilio, ut, quod jam placet, mox displiceat: modò velit unum, modò contrarium, ubi rationabilis causa non apparet. Quis enim ejus judicio credat, vel ejus voluntati se contemperet, quem in neutro stabilem agnoscat? ideo ejus subjecti non possunt ejus revereri prudentiam, nec sciunt*

so

se parare ad voluntatis ejus obedientiã: & in utroq; non potest esse modicum nocumentum. 1. Thess 5. Omnia probate, quod bonum est, tenete. Et facite sine hæsitatione, & retractationibus, quæcumque facitis. h. i. Subdit.

Ubi tamen causa rationabilis subest justæ necessitatis, vel piæ utilitatis, ut aliter & aliter aliquid fieri expediat, non est hoc levitatis, sed maturitatis: quia, sicut stultum esset, melius mutare in deterius; sic etiam stolida est obstinatio tam pertinaciter inhærere conceptis, ut pro majori bono & aperto ab eis flecti non possit. Esther. 16. 9 Nec putare debetis si diversa jubeamus, ex animi nostri venire levitate; sed pro qualitate, & necessitate temporum, ut reipublicæ poscit utilitas, ferre sententiam. Unde & Apostolus excusat se, cùm promiserit Corinthiis, se venturum, quòd non levitate hoc promiserit, sed pro eorum utilitate 2. Cor. 1. 15. voluî priùs venire ad vos &c. Eccli. 10. 2. Secundùm judicem populi sic & ministri ejus: & qualis est Rector civitatis, talis òt inhabitantes in ea. Hucusque Seraphicus Doctor.

Q. 3. Quale judicium ferendum de religioso, se opponenti introducendæ vitæ communi, si fiat authoritate Pontificia, vel ex commissione ejus, ad abolendos abusus, & ingentes exorbitantias, quas ex ejus defectu videt Summus Pontifex in aliquem Ordinem irrepsisse. R. Talis non videtur verè Religiosus, quoad religiosæ perfectionis seu potiùs viæ ad illam professionis observantiam (licèt sit quoad obligationem; & nisi aliquam justam causam prætendere possit, cur se ad tem-

tempus opponat) *Ratio est*; quia talis ponit obstaculum divinæ gratiæ, nam, *qui subtrahit se ab obedientia, subtrahit se à gratia* l. 3. imit. c. 13. econtra *vir obediens loquetur victoriam.* Prov. 21.28. Immo talis vult manere in obstaculo continuo, seu impedimento vel remora perfectionis; qualis est peculiaritas, per quam impeditur & subinde suffocatur charitas.

Q. 4. Quid maximè consolari possit, & animare Superiores Regulares, introducere satagentes, aut (vi obligationis suæ ex juramento contractæ) promoventes, & zelantes exactam observantiam Regulæ, & constitutionum propriarum suæ Religionis. R. Ex multis præcipuum esse, si, de mandato Sedis Apostolicæ, ejusve sola auctoritate, Reverendissimi & Eminentissimi DD. Cardinales Ordinum Protectores eis eminens & forte protectionis brachium adpromittere, eosque protegere dignentur. Et hoc ipsum meam qualemcumque exiguitatem non modicùm exhilaravit, excitavit, & confortavit, quòd, dum his conscribendis intentus occupor pro salute mea & animarum mihi à Summo Pastore concreditarum, insperatò accipiam literas hodie 14. Januarii, 1699. quas motu proprio dignatus fuit ad meam exilitatem confortandam clementer conscribere *Reverendiss. & Eminentiss. nostræ Religionis Protector Cardinalis Leander Colloredus.* Cujus cùm Singularis zelus, solicitudo paterna, clementia provida, & suavitas industria, melli charitatis solicitæ juncta & uncta, liquidò cernatur

natur in iisdem ; maximè è re causæ Dei promovendæ futurum visum fuit, tenorem earumdem huic libro inserere ex intima cordis reverentia ad eumdem Eminentiss. D. Cardinalem Protectorem, utpote de Ordine nostro optimè meritum, & summè solicitum ; maximè cùm inde majorem consolationem, confirmationem, & eruditionem jam tum pro nunc, & majorem pro futuro hausturos nos confidamus ego & confratres mei, quàm ex sola tenuitate ariditatis sermonis mei.

Adm. Rev. Pater.

BOnus nuntius de terra longinquà advenit, quòd paternarum traditionum æmulatores facti, ac vestræ professionis non ignari, ea fueritis animo meditati, quæ Seraphici Instituti cultores maximè decent, ut nimirum abdicantes proprietatem, & sæcularia desideria, vitam vestram exinde instituere disposueritis juxta exactam normam Sacrarum Constitutionum Urbanarum, *quæ tanto discretionis sale sunt aspersæ, ut quasi scelus idololatriæ sit, nolle ipsis acquiescere,* illasque ad amussim servare. *Quapropter maxima gestiens lætitia, calamum cohibere non potui, quin superabundantis in me gaudii testimonia proferrem, cùm majorem horum non habeo gratiam, quàm cùm videam Patres meos in veritate ambulare, ac sanctæ paupertatis,* ac perfectæ communitatis *divitias agnoscentes, frigida illa verba* meum, *&* tuum *à suis cœnobiis eliminare, ac Parentis Optimi inhærentes vestigiis expectare, quòd crescere nos faciat Deus in terra paupertatis nostræ,*

Con-

Constantes igitur estote in tam sancto proposito. Quòd si aliqui ex vestris nimiùm metuentes studeant adversari; vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, nec ab incepto desistite, donec Christus formetur in omnibus, ac, quæ in professione fuerunt promissa, sanctè atque inviolabiliter custodiantur. In quo quidem proposito Apostolicæ Sedis, ac meum, qui apud ipsam licèt immeritus Protectoris vestri munus exerceo, auxilium numquam deerit. Interim Natalitios hosce dies faustissimos vobis deprecor, ut, qui olim natus est pro nobis JESUS, semper renascatur in vobis. Romæ ipso Sanctissimæ Nativitatis die, Anno 1698.

Adm. R. P. T.

Amantissimus ex corde

LEANDER, CARD. COLLOREDUS.

JE-

Sit Vobis cor unum & anima una cum JESU & mecum.



Hoc idem iunxit Amor

Adm. R^do. et eximio Patri
P. Anthonio Wispingh ordi min: Conv:
Provinciali. F.C.F.S.

J. v. Sande

Ecce, quàm bonum, & quàm jucundum, habitare Fratres in unum! *Ps 132.*

JESU, MARIA, FRANCISCE, ANTONI,

VObis hic Liber V. supplex advolvitur, devotus dedicatur,& perbrevi oratione,quod sibi deest, precatur. Quia nim. hucusque in prioribus Libris multæ *Præmissæ* præmissæ sunt,at sine *junctura*, sine unione; hinc ergo Liber hic *junctura*m, & unionem conclusionis cum præmissis, subditorum ad invicem, & cum Superioribus in eodem sensu, eademque sententia, à vobis exposcit, *quos idem junxit amor*: huc omnia ibi dicta referebantur, ut hic uniantur, effectumque sortiantur. Hinc & omnium Patrum & Fratrum totius Provinciæ nostræ corda manibus Fidei vestræ,*S.P.Francisce*, & *S.Antoni Patavine* supplex consigno,ut illa vos offeratis Sanctissimis manibus JESU, & MARIÆ, in eorum SS.Cordibus eliquanda; ut ita pristinam amittentia formam, ex nunc *sapiant idem, quod & in Christo JESU.*

Medium autem hoc faciendi, & vobiscum in *unam junctura*m conveniendi, & ut unumquodque *os jungatur ad junctura*m *suam*, hic in mundo cùm non inveniamus, hinc ad supernas officinas recurrimus. Ideoque vos alloquor cum Regio

Propheta 1. Paral. 12. 17. *Pacificè veniſtis ad me, ut cor meum jungatur vobis.* Ut autem jungatur, priùs in veſtrorum Cordium ſacra officina excoquatur. Quod dum vehementer deſidero, dum humiliter peto; mihi, meiſque Fratribus in veritate ſpero eventurum, quod de Vulcano commentus eſt olim Plato. Ille dum obvius fieret duobus amiciſſimè conjunctis, & conjunctiſſimè amicis, inter plura alia ſingularis benevolentiæ ſigna, juſſit eos rogare aliquid obſequii aut muneris, præſertim quod ex officina ſua eis offerre poſſet. Illi cum præſentem occaſionem prehendere vellent, ſupplices rogarunt, ut (cùm Faber Deorum eſſet, cui non difficile eſt artis ſuæ potentiâ, inſtrumentorumque uſu accommodô quidvis efficere) colliquaret eos, unumque ex duobus redderet; atque ita conſequerentur amoris ſui *Finem*, qui eſt animæ, corporisque *unitas*. Quod ille dum feciſſet, qui priùs duo ingreſſi fuerant, jam unus egrediuntur.

Finis etiam literarii hujus qualiſcumque laboris mei non eſt communitas, ſeu, ut quidam ex vocis ſono conjicere malè poſſet, diſperſa pluralitas, ſed *in communitate S. Unitas*, ut nim. ſimus omnes non *alter-ego*, ſed *unus-ego*. Ad hunc *S. Finem* aſſequendum, cum SS. Patribus noſtris ad vos O JESU, & MARIA confugimus. O B.V.M. ſub tui S. Cordis officina, ſub quo Filium Dei concepiſti, & portaſti, *ima ſummis* (ut canit Eccleſia) *& terrena divinis junguntur*, &, ut uniantur, non colliquantur, ſed conſecrantur humana per divina, ima per ſumma, terreſtria per cæleſtia. Et in di-

vina

vina officina Cordis tui, O JESU Fabricator cordium, Deus cordis mei, sensêre devotissimæ Sponsæ tuæ, Sororesque individuæ *Gertrudis*, & *Mechtildis*, itidem dilectissima tua *Catharina Senensis*, sua corda à S. Corde tuo, utpote ignea virtute prædito liquefieri, absorberi, tuoque per amorem uniri, & ex tunc aliâ quasi formâ ac naturâ superindui.

Eja, vestris binis cordibus tamquam ustrinis, aut potiùs Fornacibus conflatoriis, JESU, & MARIA, non ridiculô commentô, sed felicis eventûs Sacramento, omnia, per quæ hucusque Libe- hic cucurrit grammata, omniaque omnium corda, *meum* quoque, ac *tuum*, *suum*, frigida illa verba immittimus eliquanda, colliquanda; ut inde exeat non *aureus ridiculus vitulus* (ut olim infelicibus Idololatris Exod. 32.) Sed concors omnium animus, *quos idem junxit amor*, id est, amor JESU, & MARIÆ, juxta illud S. *August.* in Regula: *Omnes ergo unanimiter, & concorditer vivite.* Ut ita sint *junctæ pennæ unius ad alterum*, id est, idem intendamus, idipsum sentiamus, & *non sint in nobis schismata*: & *manus sub pennis eorum*, id est, ut mutuô auxiliô invicem juvemus, succurramus, supportemus, proinvicem laboremus. Quod ut fiat, vos JESU, MARIA, FRANCISCE, & ANTONI alloquimini corda nostra, & cum effectû dicite:

Unanimes animæ, concordia vivite corda:
Unum quêis velle, & nolle dat *unus amor*.

LIBER V.

De modis, ac mediis conservandi stabiliter Regularis vitæ communitatem.

NOta I. *Liber hic opportunè, & necessariò subnectitur 4. Prioribus, ut vel sic satisfiat importunis quidem at frivolis excusationibus quorumdam protestantium, & illusoriè dicentium*: Facile est multa dicere & scribere de observantia vitæ communis; sed verba non implent culinam, non saccum, non ventrem Monachi murmurantis &c. *Æquanimiores hos monet esse Ecclesia Catholica in Collecta Dominicæ 7. post Pentecosten*: Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur &c. *Cujus providentiæ suavitas cùm omnia per congrua media ad suos fines à se præstitutos ordinet, dirigat, disponatque; etiam Religiosis personis (si complaceat ita divinæ majestati, si sic jubebat, ut in communi vivant) de provisione mediorum non deerit, ut & communitatem, & unitatem, ac utriusque fructum & finem, mercedem, æternam felicitatem assequi valeant. Sed dolendus defectus est, quòd, quandoquidem multa ex his mediis ab ipsorum dependeant libera electione, ipsi ea respuant; hinc mirum non est si in regulari communitate exacta vivere detrectent, difficultatem allegent,*

gent, impossibilitatem effingant. Contra illos canit & appellat D. Thomas in Hymno de ven. Sacramento: Sic nos tu visita, sicut te colimus. *Quoniam autem Religiosorum aliqui, mediis à Deo ordinatis, sed postpositis & contemptis, suas humanas adinventiones, vires, & industriolas præferre, & in illis plus confidere maluerunt; justè Deo ordinante, evenit, illis ad opprobrium, his ad honorem, quod Act. 5. 38. legitur*: Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne fortè èt Deo repugnare videamini. *h. i.*

II. *Scitur quidem, quòd primarius & Auctor, & Ampliator, & conservator Religiosarum communitatum, & regularis vitæ communitatis sit Deus ter Opt. Max. ut piè docet* S. Bonav. q 19. *circa Regulam* S. Francisci, *ubi inquit*: Omne quod non habet esse suum à se, deficiendo deficit in non esse, nisi sustentetur ab eo, qui dat ei esse: Sic & omnis Ordo, & omnis homo. Unde non solùm Ordines Religiosorum, sed etiam aliorum, & universalis status multùm deficit, quantũ ad *communem statum*, ab eo, quod in principio fuit, cùm omnes fideles erant perfecti & sancti in Ecclesia Dei, quales nunc rarò videmus: Act. 4. multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. *h. i. Attamen cùm Deus velit nos liberè cooperari mediis à se præfixis & ordinatis ad regularis communitatis conservationem; pendent utique plura media ab humana libera cooperatione: De quibus præsens Liber aget, non tamen ex propria inventione, sed ex pientissimorum Doctorum acceptabili suggestione.*

III. *Porro cùm media servandæ regularis communitatis, alia sint in entitate superexcellenter supernaturalia (qualia sunt divina sapientia, bonitas, ac providentia &c.) alia quoad modum supernaturalia, v. g. excitatio cordium benefactorum, ut talibus religiosis bene faciant &c. alia insupernaturalia, ac humana; ex iisque aliqua spiritalia, aliqua humana, alia in actibus humanis, alia in rebus externis consistentia; in præsenti libro non agetur nisi de illis, quæ vel mediatè vel immediatè subsunt nostræ humanæ libertati, industriæ, cooperationi. Ex his jam plurima sunt tacta, & præmissa in præcedentibus libris, si quis avidè attenderit: Reliqua, quantum adjuvante divina gratia licuerit, hic adnotabuntur, non in favorem bonorum œconomorum, sed ad aliquale contentamentum murmuratorum, insuper tamen etiam ad consolationem timoratorum pusillanimium. Qui, ut spero, non animum despondebunt, si audiant, si animo revolvant, & ritè cordi sumant, se ex propria industria cooperari posse ad hanc sanctam communitatem. Utique sicut ex multis seorsim lapidibus non consurgit unum commune ædificium, nisi lapides sinant se poliri, quadrari, lævigari; calcemque concipiant, eamque non dimittant, rimam ruptiramque non admittant, imbri ventoque resistant &c. Sic ex multarum concursu bonarum voluntatum bona & sancta communitas consurgit; quæ dum calcem charitatis inter vivos lapides non dimittit, in vitæ religiosæ laudabilitate coram Deo & hominibus semper proficit.*

IV. *Ut autem media solida & sapida avido lectori*

ctori (*maximè confratribus meis consilio egentibus, quibus debitor sum, & cum essem liber, omnium me servum feci*) seligere, & colligere valeam; *merito desuper lumen & auxilium humiliter & reverenter imploro verbis Seraphicæ Virginis, œconomæ admirabilis S. Teresiæ,*) *de castello Animæ, mansione 7. c. 1.* Utinam Majestas divina (si quidem ei placuerit) calamum meum dirigat, mihique modum suggerat, adè tam multis illis, quæ hic dicenda sunt, saltem aliquid vobis exponendùm. Instanter hoc Majestatem ejus rogavi; cùm nôrit ipse non aliam meam intentionem & scopum esse, quàm, ut sanctum Nomen ejus magis laudetur & celebretur. Spero equidem, charissimi, illum, etsi non tam mei quàm vestri causâ hanc mihi gratiam concessurum; ut hac ratione noveritis, quantum vestra intersit &c. *h. i. Hujus Seraphicæ Virginis, virginumque Matris admirabilis fuit œconomia, sed admirabilior a media, ei suggesta à divina suavi providentia, in effectum deducta ab ipsius singulari filiali fiducia in divina misericordia, bonitate paterna, ac providentia mirifica. De quibus in sequentibus, dum tamen non agetur nisi de illis mediis, quæ humanæ libertati, necessitati subservire possunt, in ejusque potestate aliquo modo sunt, proximè vel remotè, mediatè vel immediatè, electivè vel optativè, elicitivè vel ordinativè, vel dispositivè &c.*

* * *
* * *

CAPUT I.

De primo medio communitatis servandæ, scil. debito cultu Supremi Numinis.

1. HOc medium meritò assero primum ac fundamentale; de quo proinde meritò dico cum S. Apostolo 1. Cor. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Qui proinde sicut cum Patre & Spiritu S. primarius fuit primæ Sanctæ Communitatis inspirator, Auctor, ita in primario medio ad illam conservandam suggerendo dignatus est esse primus promulgator. Matth. 6. 31. *Nolite ergo soliciti esse, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt; quærite ergo primùm regnum Dei, & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergo soliciti esse in crastinum: crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.* h. i. ubi, (ut ait *D. Thom.*) inhibetur nimis anxia, inordinata, & immodica solicitudo, conjuncta diffidentiæ; non autem fovetur otiosorũ pigritia: sed erigitur nostra confidentia, in hoc fundamentali medio fundanda. Quod quicumque faciens, meritò dicere potest cum Apostolo: *Scio, cui credidi, & certus sum, quia potens est*, sapiens, verax, benignus, immo *Pater vester est*; quô verbo hic utitur Christus ad animandum nostram fiduciam. Hinc & pro pane quotidiano impetrando docet suos orare in eodem capite 6. Matth. dirigendo orationem

ad

ad Deum, ut *Pater* est, *Pater noster, qui es in cælis* &c. Quo titulo se Deum confidenter compellare posse gaudebat & gloriabatur S. P. N. *Franciscus.*

II. Credidit huic Patri cælesti *S. Ignatius Loyola*, qui frequenter dicere solebat: *habemus bonum Deum: utinam te homines noscerent!* Ante ipsum eidem Patri cælesti credidit, & confisus fuit S. P. N. *Franciscus*, dum dicere solebat *suam œconomiam consistere non nisi in duobus* (ut suprà jam dictum) *scil in Sanctæ vitæ studio, ac spe de Deo firmissima.* Dum & hoc *verbum dicere solitus erat unicuique singulatim, quotiescumque Fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat: jacta cogitatum tuum in Duo, & ipse te enutriet.* Ps. 54. 23. (*S. Bonav.* c. 2. §. 6.) Credidit eidem *S. Bonav.* suprà citatus, cum quo & J. *Taulerus* Doctor illuminatus ex Ordine Prædicatorum, ferm. 2. post Pascha, in sensu ferè & verbis coincidentes in eamdem sententiam: *ubi spiritalia pessum eunt, diu corporalia subsistere non valent.* Ergo hoc est spiritale aratrum Religiosorum omnium, scilicet *Opus Dei*; quod suis quàm maximè inculcat in Regula sua *S. Benedictus*, omnesque SS. Ordinum Fundatores. Hinc si, neglectô hoc aratrô, Religiosis suppetat temporalium subsidiorum abundantia, est signum manifestum non cælestis benedictionis, sed potius iræ, & maledictionis, ut ait *Thom. Staplet.* exemplificans à non inepto simili: Porcus, Bos, & anser dum impinguantur; dumque vituli lacti duarum vaccarum sugendo applicantur, indubiè macello

destinantur, morti transcribuntur. *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua.* Luc. 16.35. & Matth. 6.5 *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* in vita hac momentanea, scil. mercedē corporalem & carnalem, quam solum quæsierunt & dilexerunt, pro servitio sterili, ad oculum divinæ Majestati superficialiter exhibito. Sincera itaque Dei servitus præmunitur divinis benedictionibus ad sufficientiam. De quò Ribera in vita *S. Teresiæ* l. 2. c. 3. *S. Petrus de Alcantara miris modis paupertatem S. Teresiæ deprædicavit, & magnam in proventibus dixit consistere confusionē; quinimmò nihil illis opportunitatum ad vitam necessariarum defore spopondit, qui sibi sincerè & exanimo deservirent. Placuit hæc illi responsio, atque adeo satisfecit, ut cum è corrogata collataque vivere stipe jam penitus animo resolveret, omnes jam mundi facultates & thesauros sibi possidere videretur* h. i. Hæc quoque *S. Teresia.* (prout cit. Author l. 4. c. 19.) animæ suæ contentamentum in paupertate his verbis significat: *in iis, quæ ad paupertatem spectant, singularem mihi Dominus Deus videtur feciſſe gratiam, cùm ea etiam, quibus humanus carere usus non potest, habere non nisi ex eleemosyna fidelium accepta velim; adeo ut eo in loco maximopere commorari desiderem, ubi non nisi mendicatâ & collectâ vivitur stipe.* h. i.

III. Medium hoc Fratres suos non solùm verbo sed etiam exemplo docuit Mem. S. P. N. *Franciscus* Evangelicæ paupertatis amator mirificus: qui cùm pro approbatione sui Ordinis, Formulæque vitæ & suorum compareret coram sum-

summo Pontifice Innocentio III. (ut scribit *S. Bonav.* c. 3. vitæ ejus) jubetur ab eodem pro lumine desuper accipiendo , orationi instanter se dare, ut voluntatem Dei valeret pleniùs ac certiùs agnoscere. *Omnipotentis autem Dei famulus totum se conferens ad orandum , precibus devotis obtinuit, & quod exterius ipse proferret, & quid interiùs Papa sentiret. Nam cùm parabolam de divite Rege, cum muliere formosa & paupere contrahente gratanter , & de prole susceptâ præferente generantis Regis imaginem, ac per hoc educanda de mensa ipsius, sicut à Deo acceperat, retulisset; ex illius interpretatione subjunxit: non est formidandum, quod fame pereant æterni Regis Filii & heredes, qui ad imaginem Regis Christi per Spiritus S. virtutem de paupere matre nati & ipsi per Spiritum paupertatis sunt in Religione paupercula generandi. Si enim Rex cælorum imitatoribus suis regnum promittit æternum; quantò magis illa subministrabit, quæ communiter largitur bonis & malis?* h. i. Ex quo *S. Francisci* discursu non solùm Pontifex Summus summè ædificatus, sed etiam S. viri Fratres in Dei servitio constanti ac pio proposito , filialique in Deo confidentia sunt plurimùm confirmati ; prout sequitur.

IV. *Nam dum paupertatis evangelicæ amator Franciscus, auctoritate papali fretus cum fiducia multa cum sociis conferret in via, qualiter Regulam, quam susceperant, sincerè servarent: qualiter in omni sanctitate & justitia coram Deo incederent, qualiter in se ipsis proficerent , & essent aliis in exemplum &c. cum jam lassati essent ex diutur-*

turnitate laboris, esurientes in quodam loco solitudinis substiterunt. Sanè cùm omnis via deesset, quâ possent sibi de victu necessario providere, statim adfuit providentia Dei. Nam subitò apparuit homo offerens panem in manu, quem pauperculis Christi dedit, subitoque disparuit, incognitus unde venerit aut quò iret. Cognoscentes autem per hoc pauperes Fratres, supernum sibi in comitatu viri Dei adesse præsidium, magis dono liberalitatis divinæ, quàm cibo carnis propriæ sunt refecti. Insuper divina consolatione repleti statuerunt firmiter, & irrevocabiliter confirmaverunt, nullius inediæ aut tribulationis impulsu à sanctæ paupertatis resilire promisso. h. i.

V. Ex hoc tam fideli divinæ providentiæ præsidio, quæ præstò est omnibus regnum Dei primùm quærentibus, illique fideliter servientibus, cordatè & fundatè infert cit. *S. Bonav.* c. 7. §. 12. *Procul igitur à pauperibus Christi diffidentia omnis abscedat. Si enim paupertas Christi adeo copiosæ sufficientiæ fuit, ut subvenientium sibi defectus tam mira virtute suppleret, quòd nec cibus, nec potus, nec domus deesset; cùm pecuniæ, & artis, & naturæ facultas defecerat; multò magis illa meretur, quæ usitato divinæ providentiæ ordine communiter conceduntur.* h. i. Quantum ergo ad victualium suppeditationem, hoc primum fundamentum jaciendum, hic primus gradus, via propinquior, methodus securior; nam contra divinam providentiam nil prævalere potest humana industria, nec sine illa quidquam proficere. Proinde,

VI.

VI. Veri *S. Francisci* imitatores & Filii, sibi putent à Patre cælesti pauperum provisore primario dici, quod ab eodē in nocte *Francisco* familiater interrogatoriè dictum fuit: *Francisce, quis potest melius facere tibi? Dominus, an servus? dives an pauper? cùm Franciscus respondisset, quòd tam Dominus quàm dives facere melius potest, intulit statim: cur ergo relinquis pro servo Dominum, & pro paupere homine divitem Deum?* h.i. (*S. Bonav.* c. 1. §. 4. vitæ ejus) Prædicto summo Pontifici de alimentis, & vitæ subsidiis sciscitanti vir Dei *Franciscus* generosè & confidenter respondit: *Matrem quidem habemus pauperem, sed Patrem ditissimum.* h. i. Probatum est *S. Bernardi* proverbium: *Dei respectus, hominis profectus,* tam secundùm corpus, quàm animam. Wilst / daß dir dein Sach woll geling / Gott hab vor augen in allem Ding.

CAPUT II.

De Singulari confidentia habenda in Dei providentia; provitæ subsidiis impetrandis.

I. PLurima sunt, quæ nos excitant, monent, movent, inducunt, immò quasi impellunt ad spem nostram fiducialiter in Dei benigna & paterna providentia collocandum. Ad hoc enim *primò* nos excitat verbo suo conditor noster, pollicendo audientiam, addicendo suam assistentiam, devinciendo nobis suam omnipotentem

pro-

videntiam; ut de ea confidendo, in neceſſitatibus noſtris tam corporalibus quàm ſpiritalibus, præſidium ſperemus, alleviamentum ſentiamus. Hæc enim *attingens à fine uſque ad finem fortiter, ac diſponens omnia ſuaviter* (Sap. 6. 8.) jubet *conſiderare corvos, quia non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium, neque horreum, & tamen Deus paſcit eos*, Luc. 12. quantò magis homines divinæ ſe providentiæ confidenter ſubjicientes, & contemperantes? Proinde, Matth. 6. *ne ſoliciti ſitis* (anxiè) *animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini-. ſcit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.* Hanc divinæ providentiæ ſuavitatem in ſe & aliis expertum fuiſſe teſtatur S. Propheta Pſ. 36. *Junior fui, etenim ſenui: & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem* anxiè, perplexè, miſerè &c. ideoque monet unumquemq; pſ. 54. *jacta ſuper Dnm curam tuã & ipſe te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem juſto.* Quam confidentiam in nobis plus acuit *S. Petrus* 1. 5. *Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum, quia ipſi eſt cura de vobis.* Super quæ citata S. Scripturæ verba.

II. SS. PP. conſiderantes benignam Dei providentiam, noſtramque egentiam, & ex nobis ipſis inſufficientiam, erigunt animos noſtros ad virtuoſè & fortiter confidendum de illa in omni neceſſitate noſtra. Et quidem *S. Auguſt.* in pſ. 61. *Paſcet te, qui fecit te: qui paſcit latronem, non paſcet innocentem? ſi paſcit damnandos, non paſcet liberandos?* Idem ſerm. 6. de verbis Dom. *Omnem*

nem curam vestram super Dominum mittite, prorsus vos ipsos totos projicite in illum. Idem c. 15. solil. *Constanter Deo crede, eique te totum committe, quantum potes: ipse enim te ad te sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.* h. i. Idem de serm. Domini in monte: *quærentibus regnum Dei, & justitiam ejus, non debet subesse solicitudo, ne necessaria desint.* Et ven. *Beda* in c. 6. Marci: *tanta prædicatorum debet esse fiducia, ut præsentis vitæ sumptibus quamvis non provideant, tamen sibi hos non deesse certissimè sciant; ne, dum occupatur mens ad temporalia, minus aliis provideant æterna.* Idem cit. *S. August.* l. de eleem. confidentiam servorum Dei animat his verbis: *Tu Christiano, tu Dei servo tu bonis operibus dedito, tu Domino Deo charo aliquid putas defuturum? an putas, qui Christum pascit, à Christo ipse non pascitur? an putas, terrena deerunt, quibus cælestia & divina tribuuntur? unde hæc incredula cogitatio? unde impia & sacrilega ista meditatio? quid facit in domo Dei perfidum pectus? quid, qui Christo omnino non credit, appellatur & dicitur Christianus? Pharisæi sibi magis nomen congruit.* h. i. Et author operis imperfecti: *Deus est qui per singulos dies incrementa corporis tui facit, te non intelligente; si ergo in te ipso quotidie Dei providentia operatur, quomodo in necessariis tuis cessabit?* h. i. Insuper quod sine concursu hujus Dei providentiæ sit frustranea solicitudo nostra, ùt certum asserit *Lucas Burgensis* in c. 6. Matth, dum inquit: *Si rem tantillam vestra solicitudo non potest, scil. augere nonnihil*

statu-

staturam corporis; quomodo poterit corpus in vita servare, quantôvis annonæ opumque congestâ copiâ, nisi aspiret providentia Dei? Proinde consultum est, ut, quod cælestis sponsus suasit *S. Catharinæ Senensi*, nos omnes audiamus, & opere impleamus, *Cogita tu de me, quia ego cogitabo, & solicitus ero pro te.* Et hinc *nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Hebr. 10. 36. Vitæ plurimorum Sanctorum plenæ sunt exemplis hujus piæ & fructuosæ confidentiæ; è quibus aliqua pauca pro erectione pusillanimium hic adducam.

III. *Deus, dum subinde sinit, rem nostram ad extrema devenire, quasi compellit nos confidere in misericordia sua.* De quo in vitis Patrum Erem. Cùm *Abbas Fronto* & 70. Religiosi in steriliſſima solitudine Deo servientes, ingentes in spiritu facerent progressus; Deus fiduciam illorum experiri volens disposuit, ut panis & quævis alia sustentationis media iisdem deficerent. Monachi igitur, ad imitationem populi Hebræi, Abbati detrahere cœperunt, & contra illum murmurare, eò quòd illos è civitatibus eductos in vastam illam secũ conduxisset solitudinem, quia, ùt psalmista ait, *si non fuerint saturati, murmurabunt. Ps.* Unde jam omnino ad redeundum in civitatem se resolverant, & quamvis S. Prælatus sæpius eos ad sperandum in divina misericordia animare contenderet, in proposito deserendi locum persistebant; *nam jejunus venter non audit verba libenter.* Deus, igitur, ut illis, quàm sit liberalis & provida manus ejus erga illos, qui fi-

deliter

fideliter ipsi serviunt, ostenderet, Angelum quemdam ad virum divitem expedivit, qui ei in somno constituto diceret; tu epularis in divitiis splendidè, & servi mei in eremo indigent pane: tu ciba illos &c. hic non surdus auditor 65. camelos variis rebus comestibilibus onustos destinavit: qui ad monasterium dicti S. Abbatis pervenientes, illum & Monachos ejus incredibili gaudio affecerunt, & de cetero firmiùs in divina providentia sperare monuerunt. *Lege fusius apud Mansi disc. 9. n. 2.* NB. Simile quid legitur in Chronicis Ordinis nostri; & in Annalibus Patrum Capucinorum frequentissimè.

IV. *Sancti Religiosi per orationis instantiam, & confidentiam se dignos faciunt, qui ex Dei ærariò pascantur.* De quo hoc Refert Exemplum *Paulus Barry* in anno Sancto pro die 26. Julii. *S. Abbas Lupicinius*, numerosæ familiæ trium monasteriorum alimentandæ præpositus, solicitè spem omnem in Deo per orationem ferventem instanter posuit. Deus miseratus illius, & Monachorum devotorum, ei monstravit certum locum, ad quem singulis annis se contulit, sufficiente provisione pecuniarum se onerans, ex divino ærario accepta, quam dans dispensatori domus, suæ suorumque necessitatibus prospexit, à divina providentia cum suis mirabiliter & paternaliter sustentatus *Simile quid* legitur de *S. Hermanno Joseph Ordinis S. Norberti*, qui dum adhuc studiosus, devotus, at pauper esset; à B. V. M. quam tenerrimè colebat ei certus lapis ostensus, ut sub illo, necessitate pressus, pecuniam accipe-

ret, sibique provideret; sub quo tamen alii studiosi nil invenire potuerunt, utpote tantâ gratia divina & Mariana indigni.

V. Drexelius l. 1. c. 8. § 4. mentionem facit *Roberti primi Molismensis Abbatis, qui divinæ providentiæ studiosissimus cultor* volebat, ut sui omnes à liberalissima Dei providentia toti penderent, velut infans à matris uberibus: & omnia, quæ in usus suos necessaria habebant, semper eidé divinæ providentiæ in acceptis referrent. Jejunium, ajebat, & fames docebunt nos Deo fidere. NB. Interim hæc confidentia non debet esse præsidentia, nec insolens tentatio Dei. Deus operarios adjuvat, pascit, & animat: nugaces, tepidasque muscas à sua providentia repellit. Dixerat Christus Dominus: *scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* In quæ verba *S. Chrysost.* & *Euthymius* inquiunt: non dixit, *novit Deus*, sed *Pater vester*; ut eos profectò ad spem certiorem vocaret, & animaret, quò se filios ostenderent, paterna hac solicitudine non indignos. *Sis Filius, & Deus erit Pater tuus.* Itaque

VI. *Religiosi, aliique spirituales viri maximè confidere debent in divina providentia.* Causam hujus dat *Clemens Alexandrinus* l. 6. Stromatum: Deus quidem ut Pastor, singularum ovium curam gerit, eis verò maximè providendis gerit curam, qui aliis verbo & exemplo ad salutem multum prodesse possunt. Quod confirmans *Rupertus* in c. 10. Matth. ait: si totus ferè mundus esuriret, & pane indigeret; justum illum, in corde ejus domesticum (cujus in

ore

ore familiare est verbum Dei) non videbis derelictum: & hinc verum est, quod S. Scriptura dicit: *non interficiet Dnus animam justi.* Philip. c. 4. hinc dicit Apostolus, *nihil soliciti sitis, sed in omni oratione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* In quæ tamen verba *Lucas Burgensis* inquit: solicitudo quandoque importat diligentiam quærendi quod deest; & hæc est commendabilis, opponitur enim negligentiæ: quandoque anxietatem animi cum defectu spei, & timorem de non obtinendo id, circa quod solicitatur; & hanc prohibet. Christus confidentiam *B. Birgittæ* fidelis famulæ excitabat his verbis l. 6. revelation. c. 107. *Ego sum naturæ conditor, Dominus & reformator: ego sum etiam in necessitatibus adjutor, & defensor, & distributor. Et qui omnia habeo, & nullius egeo, & omnium mentes inspicio, inspirabo cordibus diligentium me: ut benefaciant desiderantibus me: nam etiam non diligentes me admoneo, ut benefaciant amicis meis, quatenus bonorum orationibus meliores fiant.* h. i.

VII. *Plus confidendum in divina providentia, quàm in pecunia, aut propria industria.* De quo ex vitis Patrum hoc pro documento audi exemplum. Quidam juvenis Monachus quærebat ex seniore, an non liceret sibi partem pecuniæ in futuros usus reservare? cui senior respondit: *hoc si feceris, scito, Deum nullam tui curam habiturum*, ut qui tibi ipsi providere studueris. Quo audito, Monachus statim pecuniam à se projecit, ut spem suam firmius in Deo collocare

posset. *De S. V. Gertrude* hoc singulariter adnotandum ad imitationis exemplum. Ipsa quæcumque à Domino receperat bona, soli confidentiæ fultæ divina providentia attribuit, æstimans illa eò magis gratuita, quantò merè gratis atque citra ullum meritum hoc nobile confidentiæ donum à Deo gratiarum omnium largitore accepisset. NB. *Hac confidentia in Deo* ita animabatur, recreabatur, & interiùs tranquillabatur, ut, cùm die quadam in ascensu collium ad decliviora recideret, hilarior in spiritu facta diceret: *amabilissime JESU, quàm bene mihi evenisset, si hic casus mihi mortis occasio, & ad te perveni di via fuisset!* Interrogata, an non ergo mallet ante mortem Sacramentis præmuniri; respondit, omnino quidem; iis tamen confidenter præfero divinam voluntatem, & providentiam. Hanc saluberrimam non ambigo ad mortem esse præparationem: propterea morte aut subita, aut diutina, prout illi placuerit, ad eum optatius est mihi venire. *O virtus Heroica! O confidentia admiranda! quæ tantò plus est meritoria, quò amplius sui ipsius resignatoria.*

VIII. *Christi promissio sit fundus vitalitius, seu nutritius Religiosorum pauperum.* De quo documentum & exemplum respice in Magno Magistro Hispanico, ac Zelatore animarum quæstuosissimo *Joanne Avila*, qui fuit coætaneus *S. Ignatio Loyolæ*, & *S. Philippo Nerio*. Qui paupertatem arctam amplectens, ut expeditior evangelio prædicando esset, sibi persuaserat nihil defuturum. Cumque plurimos annos eodem

vitæ

vitæ instituto transegissent, ajebat sibi optimum semper fundum fuisse illam Christi Domini pollicitationem: *quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis*: neque mensam hanc umquam fefellisse. NB.

IX. *Quò plures sunt Religiosi, Deo in claustro fideliter deservientes, eò non minor sed amplior Dei benedictio etiam in temporalibus subsidiis suppeditandis affulget & favet.* De quo in vitis Patrum hoc doctrinale exemplum. B. *Alferius* quondam suo Monasterio hanc legem præscripserat, scil. quòd numerus Religiosorum illius loci duodenarium nequaquam transcendere posset: hujusque legis hanc reddidit rationem, ne, si numerum excederent, sustentari de rebus monasterii non possent. At verò vicinus morti factus dictam legem retractavit, inquiens: ego quod de numero constitui, secundùm hominem dixi: nam quod mihi Dominus revelare dignatus est, in hoc monasterio innumerabilis multitudo ad ejus servitium colligenda est; nam, *qui eos ad regnum suum congregat, temporales etiam sumptus ministrabit.* Hinc meritò *Hugo Cardin.* verba illa Matth. 6. *respicite volatilia cæli*, interpretans ait: verisimiliter possunt hæc exponi de Religiosis, qui nec serunt, neque metunt, & nihil in terra quærunt, & ab omni mundana solicitudine semoti, cælestia quærunt. De his igitur potius quàm de aliis Christus dicit: *Et Pater vester cælestis pascit illa*: ipsi est cura de vobis Dum S. Abbas *Antonius* apud S. *Paulum* Eremitam hospitabatur, etiam annona duplicaba-

cabatur. Nec volebat Pater cæleſtis ut Paulo prandium imminueretur, qui Antonium miſerat, ut ei commenſalis in charitate jungeretur. Hoſpitalitas non minuit, ſed auget annonam; panis augetur, dum Chriſti lex impletur; dum ejus manibus benedicitur, augmentatur. NB. In hoc ſingularis divinæ providentiæ fructu & guſtu partem nacta *S. Franciſci* Familia, per totum orbem terrarum diffuſa gaudet ſe de paupertatis horreo à Patre & communi Proviſore pauperum paſci, qui etiam, quamvis non eſſent, niſi duo panes in mundo, unum ex his promiſit *S. Franciſco*, & veris Filiis ejus ac imitatoribus. NB. Attamen præadducto exemplo hoc cautè adponendum eſt, quòd ita mandantibus Summorum Pontificum Decretis, non ſint plures in conventibus recipiendi, quàm commodè vel ex communibus redditibus aut eleëmoſynis ali poſſint; maximè ſi eſſent Ordini inutiles, otioſi, delicati, aut oneroſi, pro ſolo numero ſolum augendo, ſine vero Spiritu fervoris Deo ſervi-endi.

X. *Dum Deus nonnunquam temporali inopia Religioſos affligi permittit, id fit ad virtutis ipſorum probationem, & meriti augmentum.* De quo *S. Auguſt.* de ſerm. Dom. inquit: Cùm legamus, in fame & ſiti Apoſtolos laboraſſe; non exiſtimemus hic Domini promiſſa titubare: Quandoquidem iſta ſunt adjutoria. Medicus iſte, cui nos totos commiſimus, novit, quando apponat, & quando detrahat, ſicut judicat nobis

nobis expedire. Si enim nobis aliquando defuerint (quod plerumque propter nostram exercitationem Deus sinit) non debilitat propositum nostrum, sed examinatum confirmat, h. i. Præterea electissimum Dei amicum fames coëgit fugere in Ægyptum, Gen. 12. Similiter & filios Jacob ex periculo pressuræ famis, annonam quærere in dissita terra Ægypti. Cum quo tamen manet, quòd

XI. *Paupertas religiosa amata generet & nutriat specialem ad Deum confidentiam.* De qua *S. Laurent. Justin.* de lig. vot. c. 1. inquit. Paupertas amata nutrix est confidentiæ, orationis adjutorium, peregrinationis exhortatio, & perfectionis porta, sine qua nemo coram Deo in Spiritu diu perdurare poterit, h. i.

XII. Diffidentia causat miseram egestatem. De quo *S. Bern.* de contemptu mundi ad clericos inquit: *Magis autem obsecro, relinquet omnia, nihil sibi retineat, ne modicum fermentum totam massam corrumpat: & solum sequatur Christum, jactans cogitatum suum in eo, enutriendus ab eo, & centuplum sine dubio recepturus. Nemo ergo cùm se viderit non omnia reliquisse, centuplum non accepisse miretur; pretiosa siquidem divina consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam.-- Indignus cælesti benedictione convincitur, qui eam dubio quærit affectu, duplici intentione, aliud sibi refugium parans, si non eam fortè obtinere*

tinere contingat. h. 1. Qui perfectiùs, & pluribus renuntiat, eum abundantius Deus sustentat. De quo Ven: *Beda* in Festo *S. Benedicti* sic inquit: *qui enim terrenis affectibus sive possessionibus pro Christi discipulatu renuntiaverit, quò plus in ejus amore profecerit, eò plures inveniet, qui se interno suscipere affectu, & suis gaudeant sustentare substantiis.* h. i.

Plenam hanc confidentiam in voluntaria egestate retinebat *Sanctus Philippus Nerius*, qui dicere solebat: *vellem, quòd ad tantam redigerer paupertatem, ut unico julio opus haberem, nec esset qui illum mihi daret:* h. i.

De hac fiducia firmissimè in Deo ponenda, dicitur 10. p. Constit. Soc. Jesu: *Quia Societas, quæ mediis humanis instituta non est, per ea nec conservari, nec augeri potest; sed per gratiam omnipotentis Dei ac Domini nostri JESU Christi: in eo solo spem constitui oportet quòd conservaturus sit & promoturus hoc opus, quod ad obsequium & laudem suam & auxilium animarum inchoare dignatus est. Et juxta spem hanc, primum medium & maximè consentaneum, orationum, & sacrificiorum erit* &c. h. i.

* * * * *
* * * *
* *
*

CAP.

CAPUT III.

De cavenda nimia diffidentia, nimiaque solicitudine, pro cura temporalium vitæ subsidiorum.

I. HAnc diffidentiam à Religiosis omnibus exterminare cupit *S. Bonav.* dum inquit in ps. 118. *De Deo debemus confidere, quòd non derelinquet nos, triplici ratione, utpote ratione divinæ potentiæ, ratione divinæ sapientiæ, & ratione divinæ benevolentiæ.* h. i. Et hoc est tri-membre fundamentum nostræ confidentiæ in Deo collocandæ, & diffidentiæ præcavendæ. Hoc fundamento nixa *S. V. Teresia* valde improbabat in monialibus suis, Conventus *S. Josephi* (procul dubio & in aliis religiosis) si post paupertatis voluntariæ electionem, & professionem nimis solicitè & anxie studerent sibi aliorum voluntates lucrari pro Eleëmosynis conferendis.

II. Verba *S. Teresiæ* nimiam curam & diffidentiam dissuadentis sunt hæc l. de via perfect. c. 2. *Nolite putare charissimæ, aliquid rerum ad victum necessariarum vobis defuturum, si modò de mundanis hominibus complacendo solicitæ non sitis: Equidem hoc vobis spondere & promittere aûsim. Nolite per humanam industriam & artes sustentationem corporis & victum vobis procurare; alioquin fame morieinini. & meritò quidem. Sed ad sponsum vestrum oculos attollite, ipse enim est, qui*

victum vobis dabit: si illi placeatis, vobis nolentes volentes de victu prospicient etiam illi, qui minus erga vos affecti sunt ac minùs diligunt, uti hoc jam sæpe per usum & experientiam & usu ipso vidistis. Si hoc facientes nihilominus fame vos mori contingat, næ beatæ moniales S. Josephi eritis & dicemini. Et subdit.

II. *Illi committenda rei hujus cura, qui omnia emovere potest, Domino, inquã, reddituum, & reditus possidentium: illius jussu & ductu huc venimus: illius verba certa sunt ac vera, fallere non possunt, aut deficere; antè cælum & terra deficient. Curemus ipsæ tantum, nec ubi ei desimus: & certa estote, illum nobis minimè defuturum. Si autem interdum eum vobis deesse videatis, hoc in majus commodum vestrum cedet, perinde ac Sanctis vita deficiebat, cùm propter nomen Domini interficiebantur.* h. i.

IV. Contentamentum suum in defectu necessariorum ostendit S. Teresia, dum inquit lc. *Per experientiam didici, quantum inde boni nobis accedat: quando enim minus nobis suppetit, tunc minùs sum solicita: & novit Dominus, me (prout quidem mihi videtur) magis anxiam & solicitam esse, cùm res plùs æquo suppetunt, quàm cùm multa nobis desunt. Nescio, an id inde proveniat, quòd Dominum tunc nobis id quamprimum subministrare observârim. -- Nolite, obsecro, mentem vestram hisce curis & anxietatibus distinere: & hoc à vobis per amorem Dei, velut in eleemosynam quàm studiosissimè contendo. --- Credite mihi charissimæ, Dominum aliquo modo in utilitatem & bonum ve-*

strum

strum mihi ostendisse, quantum in S. paupertate bonorum sit. Est porro hoc tantum bonum, ut omnia bona mundi in se complectatur : ingens quoque dominatus est. Iterum dico, eum super omnia totius mundi bona dominium habere, qui hæc ipsa negligit & contemnit. h. l.

V. Nimiam de rebus necessariis curam dissuadet S. Teresia religiosis, his verbis c. 30. vitæ suæ, dicens: *Tam pusillo & abjecto animo sumus, ut terram nobis defuturam credamus, mox ut corporis curam vel parum exuere, & spiritui nos dare voluimus; statim quippe ad attentionem, & animi recollectionem habendam nobis conferre videtur, ut, quæ corpori necessaria sunt, sufficienter suppetant; eò quòd anxia nimis de rebus necessariis curæ distractionem in oratione causent, orantemque inquietent. Piget me quòd tam parvam de Deo fiduciam, tantumque amoris proprii habeamus, ut hæc etiam cura nos angat & inquietet. Et sanè cùm spiritus tam parum, uti dico, proficit, nugæ quædam & frivola non minus nos inquietant & vexant, quàm alios magna & maximi momenti; atque interim nostro judicio spirituales nobis esse videmur.* h. l. Ad instructionem & confusionem tepidorum religiosorum.

VI. Pro fideli quoque sua sponsa & famula *Birgitta* solicitus fuit Christus etiam quoad temporalium subsidiorum sufficientiam, ut ita omnem ab ea excluderet diffidentiam. Verba illius ad eam l. 6. revelat. c. 107. sunt hæc: *Aquila videt ab alto, quis velit nocere pullis suis, & prævenit volatu, defendendo eos. Sic ego prævideo vobis salu-*

bria-

briora.--- Ego sum naturæ conditor, Dominus,& reformator. Ego sum etiam in necessitatibus adjutor,& defensor,& distributor. Sicut enim, qui habet equum sibi charum, non parcit prato suo etiam delectabili, ut ibi equus pascatur: sic ego, qui omnia habeo,& nullius egeo, & omnium mentes inspicio, inspirabo cordibus diligentium me, ut benefaciant desiderantibus me; nam etiam non diligentes me admoneo, ut benefaciant amicis meis, quatenus bonorum orationibus meliores fiant. h. i.

VII. Pro S.P.N *Francisco*, ejusque filiis Deo fideliter servientibus singularem divina providentia semper curam gessit. Unde èt hic Sanctus singulari prærogativa meruit à Deo benedici, ut Filiis suis in talibus necessitatibus invocatus specialiter opitulari possit. De quo divinæ providentiæ & bonitatis aperto testimonio hæc accipe ex vita ejusdem, auctore S. *Bonav.* c. 4. §. 10. *Multiplicatis jam fratribus, cœpit eos Pastor solicitus Franciscus in loco S. Mariæ de Portiuncula ad Generale Capitulum convocare, ut in funiculo distributionis divinæ, in terra paupertatis eorum, unicuique tribueret obedientiæ portionem. Ubi licet omnium necessariorum esset penuria, fratrumque multitudo ultra quinque millia conveniret aliquando; Divinâ tamen opitulante clementia,& victûs sufficientia suberat,& salus comitabatur corporea,& spiritualis jucunditas affluebat.* h. i. Renovavit ibi Christus Dominus antiqua miracula sua, quibus ex paucis panibus tot millia hominum pavit in deserto. Et, sicut habetur in Spec. vitæ S. *Francisci*,& sociorum ejus; inhibue-

rat

rat hic sanctus Pater & œconomus admirandus, ne ullus quidquam alimentorum procuraret, aut appararet; Deus enim potentiam suam esset ostensurus. Admirabantur nonnulli, & angebantur, timentes, ne infelicẽ talis quasi tentatio Dei sortiretur exitũ. At Pater & Sustentator pauperũ ostendit adorandæ providentiæ suæ brachiũ, commovendo corda hominũ, qui undequaque necessaria vitæ subsidia in abundantia comportabant; ut desuper in non modicum stuporem raperentur S. *Dominicus*, & DD. Eminentiss. Cardinales, qui novitate talis Capituli acciti convenerant: De hac S. P. *Francisci* prærogativa scribit alibi S. *Bonav.* c. 7. vitæ §. 9. *Sicque factum est, ut concivium S. Francisci inopiam, quam pecunia relevare non poterant, Francisci pauperies opulenta suppleret.* & §. 12. *Per merita sui pauperis Christus multiplicavit cibos in mari - - item de eleemosyna modica sibi, procurante* Deo, *collata, nautas à famis & mortis periculo per dies plurimos liberavit: ut ex hoc liquidò possit adverti, quòd omnipotentis Dei famulus, sicut in eductione aquæ de petra conformis exstitit Moysi; sic in multiplicatione victualium Elisæo: procul igitur à pauperibus Christi diffidentia omnis abscedat.* - - Meritò igitur divinæ providentiæ Filius *Franciscus, in omnibus quæ agebat, de sua diffidens industria, & de superna pietate confidens, per orationis instantiam totum in Domino cogitatum jactabat*, h. i. *Et quoniam in petendis eleemosynis non quæstûs agebatur cupidine, sed spiritûs libertate; Pater pauperum Deus specialem de ipso curam gerere videbatur*, h. i.

CA-

CAPUT IV.

De speciali confidentia, reponenda in præsidio B.V. Maria, pro impetrandis necessariis vitæ subsidiis.

I. EXperientiâ quætidianâ compertum est, quod illa Monasteria Religiosorum tam in temporalibus vitæ subsidiis, quàm in spiritualium charismatum adminiculis, honoris item ac optimi nominis titulis à Deo benedicantur singulariter, quæ singulari devotione tum in se, tum in aliis studiosè & filialiter collaborant cultui Mariano promovendo, & B. V. Mariæ Deiparæ specialis servitii pensum indies persolventes, sub ejus materno pallio quærunt temporale & spiritale præsidium. Unde illa meritò dicenda *Altrix pauperum Religiosorum*, prout illam nominavit Angelus serm. 3. ad *S. Birgittam*, de excellentia Virginis his verbis: *Hic idem Deus per te, O Maria Altrix pauperum, pauperi humano generi, ad æternum nutrimentum providebatur.* h. i.

II. S. P. N. *Franciscus* quia *Matrem Domini nostri Jesu Christi indicibili complectebatur amore, eò quòd Dominum Majestatis fratrem nobis effecerit, & per eam simus misericordiam consecuti; in ipsa post Christum præcipuè fidens, eam sui ac suorum Advocatam constituit.* (c. 5. vit. §. 2.) Hinc *et in Ecclesia Virginis Matris Dei moram faciente servo ipsius Francisco; & apud eam, quæ concepit*

Ver-

Verbum plenum gratiæ & veritatis, continuis insistente gemitibus, ut fieri dignaretur Advocata ipsius; meritis Matris misericordiæ concepit ac peperit spiritum evangelicæ veritatis, immo & apostolicæ paupertatis, & tam confidentialis pietatis. c. 3. §. 1.

III. Causam hujus suæ teneræ ac filialis devotionis ad Sacratissimam Matrem Verbi Incarnati contestatur pauperis S *Francisci* Religio in verbis Antiphonæ ad Magnificat Festi Immacul. Conceptionis ejusdem, dum canit: *Oculi tui divini* &c. Oculos divinos, id est, oculos imitatores divinorum oculorum prædicat in ipsa, propter hanc similitudinis rationem; nam sicut Oculi Majestatis divinæ illuc maximè per favorem specialis gratiæ respiciunt, ubi major est necessitas; ita èt oculi B. V. M. quæ sicut creditur ab Ecclesia esse Mater Auctoris, sic & ab eadem jure *Misericordiæ Mater* appellatur. *Hos divinos & misericordes oculos* nequaquam passa est esse otiosos in nuptiis Canæ Galilææ; quibus ut interesset, felici omine advocata fuit; nam & verecundiæ sponsorum & inopiæ materna pietate prospexit; & cujus inopiæ relevandæ causam Sponsi insinuare verecundabantur, ipsa materno oculo, pietatis verbo, misericordiæque visceribus aspexit, detexit, sublevavit. *Et in pane* utique etiam subveniisset pia Miseratrix, si ejus defectum conspexisset, utpote quæ Mater Panis Angelorum effecta in domo panis concepit, & pavit eum, à quo pascuntur omnia. *Ad cujus* sacratissimæ Nativitatis & Incarnationis Verbi humanati quia singularem devotio-

tionem habuit *B. Franciſcus à puero Jeſu* Diſcalc. utique ab eo & Sacratiſſima Matre ejus potuit facilè ſubſidia quæcumque temporalia pro pauperum ſublevatione impetrare; prout legitur in vita ejus. *Vade, & tu fac ſimiliter.*

IV. Plena ſunt Chronica variarum Religionum, Annales, Hiſtoriæ Monaſteriorum; qualiter B. V. M. in temporalibus neceſſitatibus ſuis clientibus ùt fideliſſima ſubventrix ac auxiliatrix adminiculo fuerit. Vocatur hinc meritò à *S. Bonav.* in Litaniis ſpecialibus ad ipſam, *Mammilla parvulorum & orphanorum, caleſtiſque curiæ pincerna.* Idem de ipſa in cantico: *Quemadmodum infans ſine nutrice non poteſt vivere; ita nec ſine Domina noſtra potes habere ſalutem. Sitiat ergo anima tua ad ipſam, tene eam, nec dimitte, donec benedixerit tibi.* h. i. Idem ad ſingularem ejus cultum hortatur Religioſos omnes in pſalterio Mariano Pſ. 17. *Religioſi omnes honorate illam, quia ipſa eſt adjutrix, & veſtra ſpecialis Advocata, & totius Religionis mirabile firmamentum.* Et pſ. 36. *Sperate in illa Religioſi & clauſtrales: confidite in illa Clerici & ſæculares: melius eſt modicum cum gratia illius, quàm theſauri argentei, & lapides pretioſi.* h. i. Illam meritò aliqui invocant ſub hoc confidentiæ titulo: *S. Maria de fideli providentia*; de qua Feſtum celebratur 18. Jan. *J. Nadaſus* in anno cæleſti. Hanc confidentiam ad Matrem ſuam ſuaſit *S. Franciſca* viduæ Romanæ Chriſtus dicens: *Aſpice Matrem meam, & ne de te ſis ſolicita.*

Porro ad honorem Sanctiſſimi Nominis MARIA hos pſalmos accipe ex prædicto pſalterio

Ma-

Mariano S. Bonaventuræ, confidentia filiali plenos, & ad honorem ejus in necessitate tam corporali, quam spiritali recitandos, maximè à Religiosis, pro conservatione vitæ communis regularis, quæ subsistit ac fulcitur & spiritali, & corporali piæ Matris subventione in affectu & effectu maternali.

MARIA

Mater, & Nutrix Religiosorum.

MAgna multitudo dulcedinis tuæ Domina, quam præparasti diligentibus & sperantibus in te. Esto refugium pauperum in tribulatione: quia tu es baculus pauperum & miserorum. Inveniant, quæso, gratiam apud Deum, qui te in suis necessitatibus invocabunt, *Psalm. 132.*

MUlta & mirabilia sunt dona tua Domina: incomparabilia sunt munera gratiarum tuarum. *ps. 39. B.V. Maria*, Deus operibus manuum tuarum benedixit. *Ps. 1.* In pulchritudine pacis, & requie opulenta cibabis nos post laborem peregrinationis nostræ *ps. 9.* Oculi tui in pauperem respiciunt: & manus tuæ ad pupillum & viduam sunt extentæ. *psal. 10.*

MIserere mei Domina, miserere mei: quia tu es lux, & spes omnium confidentium in te. *ps. 46.*

Gyrum terræ sola circuis, ut subvenias invocantibus te. *psal.*15. *Beata Maria* intelligis super egenum & pauperem , in tuis laudibus permanentem. *psal.* 40. Tu es genitrix vitæ meæ,& Altrix reparatoris carnis meæ. *psal.* 41. Tu es Lactatrix Salvatoris animæ meæ, initium & finis totius salutis meæ. *ibid.*

MIserere mei Domina,& ora pro nobis : in lætitiam bonam converte mœstitiam nostram. *psal* 66. Pauperes servos tuos, Domina,felici confœderatione conjunge Christo. *psal.*48. Esuriem parvulorum tuorum fructu ventris tui refice & sustenta. *ibid.* Effunde gratiam tuam super me: & solitam clementiã tuam ne subtrahas à me. *ps.*30.

MAjor est charitas tua cunctis divitiis: & gratia tua super aurum , & lapidem pretiosum. *psal.* 107. Miserere mei fulgentissima Regina cæli : & præsta consolationem de gratia tua. *psal.* 105. Misericordia tua super omnem carnem: & eleëmosyna tua usque ad extremum terræ. *Psal.*112. *Gloria Patri,& Filio &c.*

ADjutorium nostrum in virtute sit Nominis tui, O Maria : per te omnia opera nostra dirigantur. *psalm.*122.Exulta anima mea, & lætare in illa : quia multa sunt laudatoribus ejus bona præparata. *psalm.* 43. Beneficiis tuis plenus est mundus: superant cælestia , penetrant èt inferna, *psal.* 45.

ASæculis æternis non deficiet clementia tua : & misericordia tua in generatione & generationem. *psal.*104. Ego in solitudine exspecto consolationem tuam: & in cubili meo attendo miseri-

cor-

cordiam tuam. *psal.*54. Tu es Mater pulchræ dilectionis, & anchora spei: portus indulgentiæ, & janua salutis. *Psal.*56.

AD illam currite cum devotione sancta: & de bonis suis participabit vobis. *psal.* 80. Gratias Deo & tibi, Mater pia, de omnibus quæ assecutus sum de pietate & misericordia tua. *psal.*76. Gratia tua relevat pauperem in adversitate: & invocatio tui Nominis immittit ei confidentiam bonam. *Ps.*86.

ANimam imbecillem sustentat eloquium tuum: & labia tua esurientem animam refocillant. *psal.* 106. Propera ad visitandum servos tuos: sub tegumento manus tuæ illæsi conserventur. *ps.* 108. Disperge gratiam tuam pauperibus tuis: esurientes refove & egenos. *psal.*111. Sustine devotos ante tribunal Christi: suscipe causam eorum in manibus tuis. *psal.*113.

AD te levavi oculos meos, Mater Christi: per quam venit solatium omni carni. *psal.*120. Esto virgo defensatrix nostra; & ante Deum Advocata propitia. *psal.*123. Benedic Domina te benedicentes: & ne avertas ab eis gratiosum vultum tuum. *psal.*126. Da nobis in Nomine tuo fiduciam: & confundantur adversarii nostri. *psal.*131. *Gloria Patri &c.*

REcordare Domina, & loquere pro nobis bona: non dimittimus te, donec mereamur à te benedici. *psal* 14. Respice paupertatem meam gloriosa Virgo; miseriam & angustiam meam ne tardes removere. *psal.*65. Recordare Domina pau-

perum & miserorum: & sustenta eos ope refrigerii sancti tui. *psal.97.* Per virginalem conceptum tuum da mihi in te confidentiam : & per admirabilem partum tuum lætifica animam meam. *Psal.101.*

REspice voluntatem cordis mei: & affectionem meam fac tibi beneplacentem. *psalm 108.* Da nobis in Nomine tuo fiduciam : & confundantur adversarii nostri. *Psal. 131.* Consolare nos in terra peregrinationis nostræ : & releva paupertatem nostram. *psal.131.* Bona naturalia conserva in nobis : & bona gratiæ per te multiplicentur. *Psal. 135.*

REcreet nos tuæ pacis dulcedo; & serenet corda nostra lux misericordiæ tuæ. *psal. 138.* Clamemus humiles ad puerperam Virginem : offeramus ei planctus & suspiria nostra. Non invenitur propitiatio sine illa : nec salus sine fructu illius. *psal. 136.* Oculi nostri sperant in te Domina : mitte nobis cibum & escam delectantem. *Psal.143.*

REfice viscera nostra de sempiternis deliciis: eleva de terrenis affectionem nostram. *psal.143.* Concupiscentiam supernorum accende in cordibus nostris : & de gaudiis paradisi velis nos recreare. *psal. ibid.* Levemus corda nostra cum manibus ad illam; & suam influentiam sentiamus. *Psal.* 147.

REcordare pia paupertatis nostræ: O benedicta, in manibus tuis reposita est nostra salus. *Cant.* Tu vena misericordiæ : tu Sponsa, & Mater Regis æterni. Tu mediatrix Dei & hominum, amatrix

trix mortalium, cæleſtium illuminatrix. *Idem in Hymno.* Ecce Domina Salvatrix mea: fiducialiter agam in te, & non timebo. *Idem in Cant. Gloria Patri, &c.*

INtercede pro nobis ſalutifera *Maria* Mater Dei, quæ Angelorum & hominum ſalutem peperiſti. *pſal.* 59. Tu es ſolatium noſtrum, in laboribus ſubventio optima. *pſal.* 32. Intercede pro me Domina apud Chriſtum tuum; neque derelinquas me in morte, neque in vita. *pſal.* 83. Tu es mater illuminationis cordis mei: tu es nutrix, refove mentem meam. *pſal.* 40. Tuitioni tuæ ſe commendat tota ſubſtantia mea. *ibid.*

IMpetra nobis Domina amicitiam Jeſu Chriſti: & cuſtodi nos, ne perdamus innocentiam noſtram. *pſalm.* 135. Tu es pax beata cordium atque ſalus. *pſal.* 46. Benedictum ſit cor tuum Domina, quo ardenter & ſinceriter Filium Dei dilexiſti. *pſal.* 65. Omnis ſalus de corde tuo ſcaturizat. *pſal.* 79. Juſtitiæ regula in corde tuo. *Pſal.* 94.

IN te qui habent ſpem & confidentiam, beati: & beati, qui per te ſuſcipient felicitatem æternam. *Pſal.* 108. Tu es via veniendi ad Chriſtum: Beatus qui appropinquaverit ad te. *pſal.* 117. Qui fugerit te, non inveniet viam pacis. *ibid.* Domina mea laudem meam ne deſpexeris; & hoc meum obſequium digneris acceptare. *pſal.* 108.

IN te dulcis MARIA ſperamus: nos defendas in æternum. *Idem in Hymn.* Illumina tenebras ſedentium in umbra mortis: & eas luce dilectiſſimi Filii tui digneris illuſtrare. *Idem in Cant.* Operuit cælos gloria tua: & miſericordia tua plena eſt ter-

ra. *Idem.* Cùm exierit ſpiritus meus Domina, ſit tibi commendatus : & in terra ignota præſta illi ducatum *Pſal.*145.

ILlumina vias,& ſemitas noſtras: ut noſcamus, quæ beneplacita ſunt Deo. *pſalm.* 135. In quacunque die innocavero te, exaudi me: & multiplica virtutem in anima mea. *pſalm.* 137. Da nobis panem lacrymarum Virgo Sancta,& dolorem peccatorum in terra incolatus noſtri. *pſ.*131 Redde nobis propitium benedictum fructum ventris tui; ut Spiritus ſancti gratia repleamur. *ibid.* *Gloria Patri &c.*

AUxilium tuum, & gratiam tuam nobis impende, in omni tribulatione noſtra. *pſal.* 120. O Domina chariſſima mea, velut gallina rege me mirabili poſſeſſione tua. Tuus totus ego ſum; & omnia mea tua ſunt, Virgo ſuper omnia benedicta. Pone te ùt ſignaculum ſuper cor meum; quia fortis ùt mors dilectio tua. *Idem in Cant.*

AB omni perturbatione libera ſervos tuos: & fac eos vivere ſub pace & protectione tua. *pſal.*137. Pater & mater mea dereliquerunt me: Maria autem aſſumpſit me. *Idem in cant.* Quid pro tuis beneficiis retribuam niſi me totum? Domina ſuſcipe me. Vernaculus tuus ſum ego: minimus in familia tua. *pſal.* 115.

AD te levavi oculos meos Regina, quæ regnas in cælis. *pſ.*122. Angelorum,& hominum te laudat omnis lingua: & ante te omnia genua curvantur. *pſalm.* 120. Adjuva me, & ſalvus ero, Domina inundi : fac me ſemper ſtare in timore tuo. *pſal.*118. Tu enim ſalus mea in Domino; quæ me morti adjudicatum liberaſti. *Ibid.*

Ad

AD Dominum accede, rogatura pro nobis; ut per te nostra peccata deleantur. *ps.*119. Quibus auxiliata fueris Domina, erit refrigerium pacis: & à quibus averteris vultum tuum, non erit spes ad salutem. *ps.*99. Compatere animæ meæ, & dirige illam: De benedictione fructus ventris tui da mihi sustentationem. *psal.* 115.

AVe gratia plena, Dominus tecum. Per te salus mundi reparatur. *ps.*49. O *D*omina mea adjuva me: gratiam tuam largire animæ meæ. *psal.*53. Innova signa, & immuta mirabilia: sentiamus adjutorium brachii tui. *psal.*55. Lætifica nos dulcifluo sono oris tui: & liquore tuo roseo perfunde corda nostra *ps.*55. Protegat me semper gratia tua: præsentia tua illustret finem meum. *psal.*66. *Gloria Patri &c.*

NB. *MARIA est desertum speciosum, est lignum fructuosum, de quo dicitur Joel.* 2. *Et lignum attulit fructum suum. Nolite ergo timere animalia Dei, nolite timere fideles Christi, quòd inedia deficiatis; cùm plena pascua in deserto, plenum fructum in ligno, plenum etiam pabulum in præsepio habeatis.* S. Bonavent. in Speculo B. M. V. Hæc ad *S. Petrum Nolascum* ajebat: *Fili mi, ne dubites de paupertate; quia te non deseram: studeas, ac servias Filio meo, ac mihi.*

* * * *
* * *
* *
*

ORATIO,

Ad B. V. Mariam Ordinis noſtri protectricem, pro conſervatione ejuſdem, extracta ex medulla vitæ S. Bernardi.

O Amabiliſſima Virgo, Congregationum fidelium, ac præcipuè religioſarum Mater ac Protectrix, quæ ſub tua protectione militant, ac favore tuo regularem diſciplinam obſervant: memor eſto hujus minimæ Congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio; eam promove, & in poſterum conſerva, noſque ùt clientes tuos reſpice: paupertate, caſtitate, obedientia, humilitate, & ſpiritû orationis conſpicuos efficias, & ab omni malo præſertim relaxationis defendere digneris, Amen. *Nos cum Prole pia bene* ✠ *dic ſacra Virgo Maria.*

Ad pariendum teneriorem in nobis confidentiam ad ipſam adhortatur *S. Bonav.* Memoriali 13. his verbis. *Glorioſam Reginam Domini noſtri Matrem benedictam in ſummo habeas omni tempore venerationis affectu; & in cunctis ad eam neceſſitatibus, periculis, & preſſuris, tamquam ad refugium tutiſſimum te convertas, ipſius tutelæ præſidium flagitando; eamque intutam ſuſcipiens Advocatam, devotiſſimè ac ſecurè tuam ei cauſam committas, quia Mater eſt miſericordiæ.* h. i.

VII.

VII. Cultui Mariano meritò addunt devoti Religiosi cultum, seu devotionem specialem ac confidentiam ad *Sanctissimum sponsum ejus Josephum*. *Mirum* est, quàm eximiam simul & efficacem ad hunc *electissimum Christi Nutritium* *Seraphica Virgo Teresia* habuerit devotionem! ille fuit Procurator ejus, provisor, defensor, Architectus, Dispensator, conservator, Nutritius, Advocatus, immo Pater: Pecuniam pro fabrica conventuum ille procuravit, annonam apportavit, animos adversantium *S. Teresiæ* pacavit, conciliavit, Monasteria ordinavit, intus & extra protexit: proinde hujus *Sancti Patris sui Josephi* effigiem vel statuam ubique januis affigi, aut super Postes columnarũ collocari jussit; & singulariter illum præ omnibus Sanctis, post B. V. M. honorari suasit & jussit. Et sicut ipsa Beatissimæ V. MARIÆ Claves sui regiminis monasterii reverenter obtulit, credidit & resignavit; sic & hunc Sanctissimo Sponso ejus externam & internam domus gubernationem, tutelam, ac paternam defensionem commisit, eventu sane felicissimô, utpote in spiritalibus & temporalibus per ipsius præsidium amplius benedicta. Eam meritò in hac tenera & filiali devotione sequuntur omnes Religiosi. Fidelis est hic Pater-Familias, cui Redemptor noster nutriendam credidit carnem suam, ejusque fidei conjugali conservandam commisit Matrem suam Benedictam super omnes creaturas.

VIII. Religiosi tenentur insuper specialem ad suarum Religionum Fundatores ac Com-pa-

tronos habere devotionis confidentiam, pro Religionis conservatione tam per corporale subsidium, quàm spiritale præsidium. Indubiè enim ipsi Religionum suarum sunt à Deo constituti Patroni, Tutores, & Advocati, ut specialem gratiam conservandi religiosi status, Sinceris Regulæ observatoribus, ac vitæ suæ sequacibus impetrent. Huic devotioni in nostra Religione Seraphica, confidentia pleni subjungimus singularem devotionem quotidianam ad Thaumaturgum Sanctum, Ordinis nostri Decus, & Gloriam, *D. Antonium de Padua*: ad quem Sanctum devotio specialis, in nobismetipsis & in aliis aucta & promota, nostrum est optimum aratrum, securissimus census, pensio cælestis. Hic Sanctus quia, Deo volente & deputante est provisor Generalis omnium aliorum sive Religiosorum sive sæcularium, eum specialiter invocantium, & colentium; quantò magis erit Fratrum suorum, eum in vitæ regularitate devotè imitantium, quorum est *Compar inclytus*, ut canitur in Missa ejus? Narratum habeo ab aliquo Religioso Provinciæ illius, in qua olim habitavit *S. Antonius de Padua*, in Civitate, quæ vocatur *Podium*, quòd, durante ibidem convocato Capitulo, cùm esset penuria in victualibus, ille in primis benedixerit puteum, ✠ ita ut ex illo coquus quidem aquam pro necessitate sua, at Pincerna vinum hauserit, quò usque duravit Capitulum, & de aliis victualibus ipse quoque ad religiosam sufficientiam ibi providit. Usque huc non est abbreviata *manus Dei*, nec *S. Antonii*. *Confidentiæ urna ex puteo divi-*

divinarum miserationum extrahere potest omne bonum. Libri, & fidelium experientiæ, communisque omnium sensus & opinio attestantur & approbant, hunc Sanctum quasi alterum Joseph provisorem Ægypti, esse in Ecclesia Dei. NB. Plurimùm ædificatus fui ante aliquot annos, dum S. Theolog. Lectorem agerem Augustæ Trevirorum, & vocarer ad infirmam pauperem, *S. Antonio Paduano* apprimè devotam mulierculam: in cujus tuguriolo dum conspicarer, quòd carthaceam *S. Antonii Pad.* imaginem, quam ei petenti antehac dederam, pennarii promptuarii januæ affixisset, interrogavi, quænã hæc esset devotio, quæ intentio; cur non inter alias Sanctas imagines in suo Altariolo collocasset? respondit mihi devota anima: *datâ operâ id feci; elegi enim S. Antonium Pad. in panis Provisorem, ut si hujus in promptuario fuerit defectus, ipse se ipsum moneat, mihique paternè provideat, & nomen suum bonum apud me non amittat.* En! quàm sincera devotio, quàm pia intentio, quàm firma confidentia in hac simplici anima! Non poterat *S. Antonius* tam firmæ confidentiæ se negare; quæ eum solicitabat immo quasi necessitabat Panem procurare.



CA-

CAPUT V.

De mutua inter Religiosos concordia, quæ est apprimè necessarium medium ad Regularis vitæ exactam communitatem.

I. TRitum illud ex *Sallustio* adagium; *concordiâ parvæ res crescunt; discordiâ maximæ res dilabuntur*; Die Einigkeit kleins Gut vermehrt: Uneinigkeit groß Gut verzehrt. citat & æstimat *S. Bonaventura*, adhortando suos Religiosos ad mutuam concordiam. Sine hac impossibile est, vivere in perfecta communitate; nam ex defectu illius oriuntur privata peculia; & ex his amplius dissipatur concordia, ita ut discordia, & peculia sint sibi quasi ad invicem causa. Ex opposito, concordia fovet communitatem, & communitas parit & conciliat concordiam; per quam membra inter se cohærent, & ab invicem juvantur, ac corroborantur; sicut in simili hoc ipsum aptè exponit *Discipulus* serm. 56. *Sicut in civitate, inquit, unus murus aut turris corroboratur ex alio; sic in corpore congregationis unus per alium in bono solidatur*, adjuvatur, sublevatur &c. De hac *S. Rupertus* in 6. cant. inquit, quòd per eam congregatio uniatur, ac fortis ad victoriam reddatur, & ad multa bona corporis & animæ disponatur, sicut castrorum ordinata acies constipata & densata, nullibi per

discor-

discordiam, aut disjunctionem animarum interrupta. Ad hanc respicit facies hujus 5ti libri in impressa icone, cujus figuræ additum : *hos idem junxit amor.* Qui si nos non jungat, sanè & apertè hostis exercitum dissipat : *regnum autem in se ipso divisum desolabitur*, (juxta verbum Christi) & quò ad spiritualia, & quò ad temporalia; veluti si quisque de ingenti Cumulo ignitorum carbonum sumat unicum, singulos à singulis sejungendo, in omnibus ignem dispositivè extinguit. *Vis unita fortior.* Patet in Monasteriis, in quibus Religiosi ex privatis peculiis miserè & sordidè vixerunt, at in communi conferentes cum religiosa sufficientia & proximorum ædificatione vivere commodiùs & uberiùs potuerunt, propter manifestam Dei benedictionem inibi abundantiùs relucentem & cooperantem.

II. Ad hanc concordiam requiritur, ut subditi cum Superiore idem velint, nolint, intendant, optent, ament oderint, respuant, eligant, quærant; eamdem Regulam sequantnr, idem Refectorium frequentent, eamdem mensam habeant; non plus præ altero habere appetant, exemptiones præ aliis non quærant (ceteris paribus) Hæc pacifica concordia si juxta monitum Apostoli, Philip. 4. 7. *custodiat corda & intelligentias vestras in Christo JESU*: *quis est, qui vobis nocere possit, si boni æmulatores fueritis?* 1. Petr. 3. *Igitur acquiesce ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos* (Job 22. 21.) tam corporales quàm spiritales. De quibus intelligendus Isai. 32. 19.

sede-

ſedebit populus meus in multitudine pacis (ſeu concordiæ) *in tabernaculis fiduciæ, & requie opulenta.* Hæc concordia utique generat fiduciam, & bifariam opulentiam. Ad illam inſtanter & frequenter adhortatur Apoſtolus. Hebr. 12. 14. *pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum,* nec habebit profectum. Jerem. 29. 7. *Quærite pacem civitatis, ad quam tranſmigrare vos feci* (id eſt, ſtatum veſtræ Religionis) *& orate pro ea ad Deum; quia in pace illius erit pax vobis.* Id eſt, ſi in toto monaſterio ad invicem fuerit inter ſingulos pacis concordia, unuſquiſque bene pacatus & contentus erit. Itaque *quæ pacis ſunt, ſectemur, & quæ ædificationis ſunt, in invicem cuſtodiamus.* Rom. 14. 19. Ad quod id ipſum ferventer & vehementer adhortatur idem Apoſtolus 1. cor. c. 10. *Obſecro vos Fratres per nomen Domini noſtri JESU Chriſti, ut idipſum dicatis omnes & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* De hac S. Petrus. 1. 4. 8. *ante omnia mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes.* Nam *in tribus placitum eſt Spiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier ſibi bene conſentientes.* Eccl. 25. 1. Sicut ergo ad oculum patet, impoſſibile eſſe, poſſe ibi bonam œconomiam vigere, ubi vir & mulier diſſentiunt ab invicem, ita pariter in Monaſterio, in quo vir eſt Superior, Communitas autem ei concredita eſt ſponſa ejus. Ergo meritò dicit pſalmiſta pſ. 132. *Ecce, quàm bonum, & quàm jucun-*

cundum, habitare fratres in unum! Est bonum & jucundum etiam temporali & corporali fructu. De quo *S. Hieron. verè bonum, verè jucundum: unum fratrem dimisimus, & ecce quantos recipimus?* qui pro nobis æquè ac pro se orant, laborant, curant, satagunt, conquirunt. &c.

Pro communitate omnes laborent; ut faciunt canoræ & variegatæ aves, quæ non sibi privatim annonam congerunt, sed communi mensæ. Homo per peccatum infectus avidè quærit peculiaria, cùm tamen ante peccatum fuerint omnia communia. Communia bona nullus faciat sibi peculiaria, imitando in hoc exemplum Salvatoris, qui Matth. 17. non ex communi penu, sed ex ore piscis didrachma pro sua persona solvit; ut ostenderet (ait S. Hieron.) *se privatis usibus insumere noluisse, quod communi bono deputatum erat.* Propter hanc peculiaritatis arrogationem Petrus corripitur à Christo, in monte Thabor, Marci 9. dum diceret, *faciamus hic tria tabernacula.* Nam (ut ait D. Bern.) *Petrus visâ Dei Majestate, commune bonum intra privatum suum visus est concludisse: & quo omnes frui debebant, ipse solus frui volebat*; contra illud: charitas non quærit, quæ sua sunt. Hinc verissimè dixit in sua Epist. Pastorali R. P. N. Generalis *Jacobus de Bagna cavallo: nil illa quæstio solita valet: quare non vivitur vitâ communi? quia nulla viget charitas. Quia ego aliam subnecto quæstionem, dicens: quare non viget charitas!* R. *quia non vivitur vita communi: & tepida illa vocabula* meum & tuum *dominantur, quam gladii acutissimi*

mi

mi Religiosorum corda transfigunt. Quandoreligiosus secum statuerit bono publico intendere, viam communem vivere, linquendo proprium, & maledictam sanguisugam, quæ dicit affer, affer, fovereret hæc nostra Religio omnibus bonis. h. i.

III. In hac *unitatis concordia* maximè sibi complacebat S. *Franciscus Xaverius* l. 2. epist. dicens. *quid aliud est Societas JESU, quàm Societas amoris & concordiæ?* Hanc autem qualificat S. *Bern.* serm. 28. cant. dicens: *volo autem, ut in ea* (unitatis concordia) *sic maneas, non quasi unus ex omnibus, sed quasi cum omnibus unus: latè expande sinum, & ex omni genere piarum affectionum claude inter viscera tua, ut omnibus omnia fias, & congaudere paratus, & compati; gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, ut amorem & unionem cum omnibus habeas.* h. i. Lucrosam rem esse hanc unitatis, & dilectionis concordiam, ajebat ex Soc. JESU *Petrus Faber*, experientiâ & scripturâ constare, quò quis in proximos sublevandos, adjuvandos, supportandos benignior fuerit, eò largiorem ei occurrere solitam misericordiam Dei etiam ultro sine precibus. Proinde hoc glorioßimæ signum conscientiæ esse ajebat S. *Bonav.* proximum adjuvare, supportare, sublevare. *Stemus simul*, ajebant ad invicem S. P. *Franciscus*, & *S. Dominicus*; *& in omnibus adjuvabit nos Deus.*

IV. *Frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma*, Prov. 10. Immo quasi fasciculus sagittarum, quæ disjunctæ facilè franguntur, at unitæ minimè. Piscatores illi piscibus opulenti

facti

facti sunt, qui alios de navi vocantes (Luc. 5.) concorditer cum illis traxerunt rete plenum magnis piscibus: ita & religiosi. Si multi canes singuli singulos seorsim lepores insequantur, frequenter irrito eventu, nullum capiunt; at certiori, si plures canes leporem eumdem. Ita & lucrum à singulis divisim quæsitum est incertum; at probatum & ratum bonum, quod à multis communiter, ex communi sensu, pro communi bono quæritur, plus à Deo benedicitur, & plus proficit ad salutem animæ & corporis, capientibus. *Funiculus triplex difficilè rumpitur* Eccli. 4. unitas dat firmitatem, conjunctio dat participationem, ut quisque ex alterius additione plus habeat, quàm ex privata habitione. E contra multitudo inordinata confusio est, dispersio est, ruptio est, perditio est. Cape exemplum, aut simile. Tytheus lapis, quamvis grandis sit, innatat tamen undis, comminutus verò mox subsidit. Sic Religiosi concordiâ sustinentur, & sublevantur, qui discordiâ pessum eunt & submerguntur.

V. *Concordia* hæc ut infructuosa non maneat, supportet, necesse est, alios: *sicut in ædificio* (ait *S. Gregor.*) *lapis lapidem portat; & si onus detrectaret, omnia corruerent.* Dum autem ita invicem portant, seipsos, & murum, & totum ædificium conservant. Sic &c. Huc facit aptissima similitudo à *S. August.* adducta serm. 23. de Apost. cervi, inquit, cùm insulas tranant, ita sibi mutuò onera, & capita sustentant per concordem alternationem & sublevationem, ut primus, quando

fatigatus est, post omnes recedat, & ipse pariter supra penultimi tergum caput cum pondere cornuum reclinet, & ita vicissim, donec omnes feliciter tranando ad virentia pascua veniant. Imitentur Religiosi, ut sufficientia pascua inveniant. Et si hoc cervi, quid non facient Religiosi? maximè cùm, teste *S. Augustino*, *nihil sic probet amicum, quàm oneris amici portatio.* Hinc & Apostolus Gal. 6. 16. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* At

VI. Sicut *concordia* bonorum ex bono corde, bono fine, bono modo, bono ordine, necessarium bonum est in communitate Religiosorum ; ita è contra *Concordia* malorum, ex malo corde, malo fine, malo modo, ad resistendum scil. ordinationi Regulæ, superiorum piæ intentioni &c. Intestinum & serpentinum est in Religione malum, dissipans omne bonum: quod proinde S. *Communitas expressius plangit, sentit differentiùs, & vigilantiùs cavendum existimat, utpote intestinum & domesticum malum, S. Bernard.* serm. 29. in cant. Hæc concordia noxia parit animorum non conjunctionem, sed contradictionem ; tandemque resolvitur in fatale odium, in mutuæ charitatis exterminium, in rei oeconomicæ exitium, in communitatis vix reparabile detrimentum; cui tantum nocet, quantum navi, si asseres ejus in carina perforentur, aut sejungantur, ut naufragium sit certius, & periculum submersionis evidentius. Hanc pestilentem concordiam

diam à Monasteriis omnibus proscribere intendit *S. Gregor.* l. 33. Moral. dum inquit: *Sicut noxium esse solet, si unitas desit bonis, ita perniciosum est, si sit in malis: perversos quippe unitas corroborat dum concordant, & tantò magis incorrigibiles, quantò magis unanimes facit.* Per hanc concordiam pestiferam, omne bonum in Religiosis talibus vel impeditur vel inficitur, vel effunditur, vel corrumpitur, vel in vitium convertitur, ùt acetum in vinum.

CAPUT VI.

Concordia Religiosorum plurima parit bona inter illos; nobile est Patrimonium.

I. DE quo *S. Bern.* serm. 29. in cant. *Nonne præsentis Congregationis filii omnes vos estis? singuli alterutrum fratres? quid ergo à foris vos conturbare, aut contristare possit, si intus benè estis, & fraterna pace gaudetis? quamobrem æmulamini charismata meliora, ut bonos vos præbeatis æmulatores: charisma peroptimum charitas est. Hoc igitur est quod dico, pax vobis à vobis sit, & omne quod extrinsecus minui videtur, non terret, quia non nocet. Nam è contrario quidquid foris blanditur, nulla est profectò consolatio si intus, quod absit seminarium discordiæ germinaverit.* h. l.

II. *Discordia*, Mater multorum malorum, solicitè evitanda. De qua S. *Bern.* lc. *longè, quæso à vobis facite semper hoc abominabile malum; vos,*

qui experti estis, & quotidie experimini, quàm bonum, & quàm jucundum sit habitare fratres in unũ si tamen in unum, & non in scandalũ, alioqui nec jucundum planè, nec bonum, sed pessimum, ac molestissimum. Væ autem homini illi per quem unitatis vinculum turbatur: judicium profectò portabit, quicumque est ille. Antè mihi contingat mori, quàm audire in vobis quempiam justè clamitantem: filii Matris meæ pugnaverunt contra me. h.i.

III. *Concordia* odit divisionem. In Proœm. Regula: *S. August. in unũ estis congregati, ut unanimes habitetis in domo, & sit vobis anima una, & cor unũ in Deo,* ait Hugo Victor: *si in unum congregati sumus corporaliter, ut simul habitemus spiritualiter oportet: non enim prodest, si nos contineat una domus, & separet diversa voluntas: plus enim attendit Deus unitatẽ animi, quàm loci.* h. i. Salustius contra Catilinam: *Idem velle atque nolle eadem firma amicitia est.* Et Seneca epist. 109. *Dulcissimũ honestissimumq; est, idem velle, atq; idẽ nolle.* Similiter sentit J. Cassian. collat. 16. c. 3. *in his tantùm indirupta potest dilectio permanere, in quibus unum propositum, ac voluntas, unum velle atque nolle consistit.* Ad idipsum adhortatur Apost. Philip. 2. 2. *implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes idipsum sapientes.* In quæ verba S. Hilarius: *hoc Apostoli gaudium est, idipsum nos sapere, amore eodem contineri, per unius sensus sententiã unanimes permanere.* Addit Picinell: *hoc debent facere Religiosi prudentes, quibus cordi est salus publica, & decor ordinis.* Insuper Hugo Victor. cit. in Regulam S.

Augustin.

Auguſt. *Ecce in una domo ſumus plures homines, diverſi mores, diverſa corda, diverſæ animæ, Hæc omnia debet conjungere in unum una intentio, & amor unus in Deum. Debemus ergo in hoc eſſe unius animi, & unius voluntatis, ut ſerviamus Deo, & ut diligamus eum ex toto corde, & ex tota anima* h. i.

IV. *Concordia facit unius moris in domo.* pſal. 67. 7. Ad quod ipſum obtinendum idem Spiritus debet omnes confœderare. Cujus exemplum nobis ad imitationem dedit Pater ſpirituum Num. 12, 17. dicens Moyſi: *auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris.* In quæ verba Petrus Damiani: *de ſpiritu Moyſis vires dediſſe Dominus dicitur, ut & ordinatores, & ordinatos unum debere ſpiritum habere perſpicuum doceatur; quatenus Rectores Eccleſiæ nequaquam inter ſe diverſa ſentiant, unde ſchiſmata & hæreſes peſtilentes emergant; ſed unum omnes concorditer doceant, atq; in unitate ſpiritus unanimiter vivant.* h. i. Proinde conjunctio debet eſſe non ſolùm cordium, ſed etiam intentionum, & operationum, ut qui ad unum finem collimant, ad eumdem conjunctione animorum tendant & collaborent. De quo eſt figura, Ezech c. 1. Animalia quatuor ibant anteorſum, quò impellebat Spiritus *nec revertebantur, cùm ambularent: junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum.* &c. præclarum hoc eſſe prototypon charitatis & conjunctionis inter religioſos, conſtantiſq; propoſiti eorum, ait *Picinellus.* Hanc concordiæ unitatem amplius deſcri-

bit Apost. ad Philip. 2. 10. *Si quæ consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si quæ societas spiritus, si quæ viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes, nihil per contentionẽ, nec per inanem gloriam facientes, non quæ sua sunt, singuli considerãtes, sed quæ aliorũ h.i.*

V. *Concordia*, mutuaque charitas conciliatur, & fovetur per exactæ obedientiæ studium. Nam, ut discurrit *Lohnerus*, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, id est, si subditi bene conveniant in obediendo uni tertio, scil. Superiori, etiã bene inter se conveniunt, & per mutuam charitatem concordant. Unde bene dixit S. *Franciscus Borgia*, quòd per tria conservetur Societas JESU, scil. 1. per orationem quotidianam mentalem integræ horæ, quæ conjungit nos Deo; 2. per obedientiam perfectam, quæ conjungendo nos per charitatis subjectionem cum Superiore, jungit nos ad invicem; 3. per persecutiones exteriores, ac invidentias, per quas abstrahimur à sæculo. Optimè ergo exactam obedientiam *Rrodriquez* comparat holstorio, per quod omnia complanantur & æquantur, magnaq; inter membra Religionis introducitur unio, & æqualitas. *Ad hanc unionem*, animorumque concordiam, singulis Religiosis fortiùs inculcandam facit, quòd S. *Teresia* ex Christi revelatione didicerit, ex 4. principalibus, per quæ provectum sortitura esset Religio PP. Carmelit. Discalc. esse unum, si Superiores fuerint inter se concordes & unanimes. Hæc *unanimitatis cohærentia* sit etiam Superiores inter & sub-

subditos; nam ejus defectus plurima parit mala, quæ agnovit *Chrysost.* in epist. Rom. ubi inquit: *nihil enim est, quod Ecclesiam Dei ita destruere & dissolvere potest, ut quando discipuli Magistris, & patribus Filii, & principibus subditi non magno studio cohærent.* h. i. non mirum; quia juxta vocem Christi, regnum in se divisum desolabitur.

VI. De hac *unione animorum*, & concordia solicitè amanda & conservanda dicitur in 8. p. Constitut. Soc. JESU c. 1. *Quò difficilius est membra hujus Congregationis cum suo Capite, & inter se invicem uniri.-- eò impensiùs, quæ juvant ad unionem, quærenda sunt: quandoquidem nec conservari, nec regi, atque adeo nec finem, ad quem tendit Societas ad majorem Dei gloriam, consequi potest, si inter se & cum Capite suo membra ejus unita non fuerint.-- Et quidem circa animorum unionem, quædam ex parte subditorum, quædam ex parte Superiorum, quædam ex utrorumq; parte juvabunt. Ex parte subditorũ juverit, magnam turbam hominum ad professionem non admitti: nec quoscumque sed selectos homines retineri: multitudo enim magna eorum, qui vitia sua non bene domuerunt, ut ordinem non fert, ita nec unionem.--Et quia hujusmodi unio magnâ ex parte per obedientiæ vinculum conficitur; hæc semper in suo vigore conservanda est.-- Subordinatione conservata, unio, quæ in ea quàm maximè consistit, aspirante gratia Dei, conservabitur. Si quis divisionis, vel dissensionis eorum qui unà vivunt, inter se vel cum suo capite auctor esse cerneretur; diligentissimè ab ea Congregatione, velut pestis quæ eam*

poteſt ſummopere inficere, ſi præſens remedium non adhibeatur ſeparandus eſt. -- Præcipuum utriuſq; partis vinculum, ad membrorum inter ſe & cum Capite ſuo unionem, amor eſt Dei, ac Domini noſtri JESU *Chriſti: cum cujus divina ac ſumma bonitate, ſi ſuperior & inferiores valde uniti fuerint, perfacile inter ſe ipſos unientur: idq; per eumdem illum amorem fiet, qui à Deo deſcendens ad omnes proximos pertinget* h. i. Hinc & p. 9. c. 2. *inter dotes varias, quibus ornari Præpoſitum Generalem optandum eſt, omnium prima hæc erit, ut cum Deo ac Domino noſtro quàm maximè conjunctus, & familiaris, tam in oratione, quàm in omnibus ſuis actionibus ſit; ut eô uberiùs ab ipſo, ùt boni totius fonte, univerſo corpori Societatis abundantẽ donorum, ac gratiarum ejus participationem, ac multum valoris & efficaciæ omnibus illis rationibus, quibus ad animarum auxilium utetur, impetret.* h. i.

CAPUT VII.

De charitate ad externum proximum habenda.

I. QUoniam juxta verbum Chriſti, luc. 6. 38. *date & dabitur vobis*, lucroſa res eſt charitas ad proximũ, & miſericordia; hinc, *quod vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*: ſi parcâ manum ad ſubveniendum proximo in operibus miſericordiæ tum corporalibus, tum ſpiritualibus habueritis, etiã manus divina contracta erit vobis;

&

& ipse occludet corda, & retrahet manus benefacere potentium. Qui magnos vult capere pisces, piscículum hamo affigit. Religiosi magis dediti operibus misericordiæ magis benedicuntur à Deo etiam in temporalibus; nam Christus suo verbo deesse nequit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, non solùm in futuro, sed etiam in hoc sæculo, non solùm in anima, sed etiam in corpore. Hinc verissimum dicit Scriptura Prov. 11. 17. *Benefacit animæ suæ vir misericors*, id est, alteri benefaciendo, simul insuper sibi ipsi indirectè benefacit, dum sibi fructus ex opere charitatis accrescit veluti granum frumenti (ut ait *D. Basil.*) projectum in terram, fructum reddit, & lucrum uberius parit seminanti. De quo & *S. Gregor.* in Regístro: *Quidquid tribuitur pauperi, si subtili consideratione pensetur, non est donum, sed mutuum; quia, quod datur, multiplicato sine dubio fructu recipitur.* h. i.

II. Opus angelicum, & valde fructuosum est etiam temporaliter, si pauperes Religiosi ex paupere penu pauperibus libenter communicent. De quo eleganter doctrinaliter *S. Chrysol.* homil. de eleemosyna: *Manus pauperis est Abrahæ sinus, ubi, quidquid pauper acceperit, mox reponit. Thesaurus cæli est manus pauperis, quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in cælum. Manus pauperis est gazophylacium Christi, quia quidquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, ut accipias cælum: da nummum, ut accipias regnum: da micam, ut accipias totum: da pauperi, ut des tibi; quia quidquid pauperi dederis,*

tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. h. i. Aptè ad hæc quoque ait Hugo Cardinalis, quòd viri misericordiæ dum miserias aliorum sublevant, in propriis egentiis & miseriis sublevari merentur. Dumque in hoc parci & avari sunt, sibi ipsis etiam temporali dispendio nocent. De quo *Lanzizius* ex Soc. Jesu exemplũ narrat, quòd *Rodriquez* viderit quondã dæmones nube densa, protrusâ supra vineam, illam grandine frequenti penitus destruxisse, ideoque jussus est à Deo Superiori significare, id ob defectum spei, & parcitatem ipsius contigisse. Proinde *beatius est magis dare quàm accipere*, quod est verbum Domini Jesu, Act. 20. 35.

III. *S. Franciscus* Pater noster singulariter fuit à Deo benedictus benedictione temporali & spiritali, eò quòd singularem ostenderit semper miserationem ad alios egentes: Dum vestem dedit malè vestito militi, vidit de nocte Christum, speciosum palatium cum militaribus armis rependentem, dicente Christo: *Tua erunt hæc omnia, & militum tuorum.* Franciscana Religio gloriatur in eodem Christo promissore largissimo, totum mundũ esse suum, ad suum obsequium, & beneficium, si Francisci virtutes imitari non destiterit. Meritò *S. Franciscus* cum Job dicebat: *Pater eram pauperum*, quia magno charitatis officio studium misericordiæ vertit in donum naturæ: & dum externis pauperibus succurrere non destitit, suis pauperibus Filiis divinæ beneficia largitatis abundè præsto esse semper expertus fuit. Et qui in se ipso paupertatis egestatem vix sublevabat,

in

in aliis eam tolerare vix poterat, quin sublevaret; sibi pauperi durus, aliis pauperibus benignus: invidus alienæ inopiæ ex compassione pia, suam verò sufferens ex virtute ingenita. Sat dives erat *Franciscus*, cui Conditor efficiebatur census. Quod idem satis agnovit *S. Birgitta* c. 70. revelat. extravag. quæ cùm argueretur de nimis profusa liberalitate à suo dispensatore, cùm tamen ipsamet indigeret; respondit plena charitatis & confidentiæ: *Demus, cùm habemus, quia benignus Deus largus est nobis dare, cùm indigemus.* h. i.

IV. Superior qui nimis parcus & avarus est tum erga suos subditos, tum erga externos vel pauperes, vel hospites, ex hoc fine, ut majorem substantiam conglomerando, Monasterii bona augeat, areas dilatet, ædificia ampliet, magnumque sibi nomen acquirat, ipsius annona minorabitur, benedictio in temporalibus subtrahetur, & instar spumæ marinæ deficiet, juxta illud Prov. 28. 22. *Vir qui festinat ditari, & aliis invidet, ignorat, quòd egestas superveniet ei.* Hinc tales Superiores monet Apostolus Heb. 13. 5. *Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus; ipse enim dixit: non te deseram, neque derelinquam; ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor &c.* De tali Superiore indiscreto, ac inhumano verificatur, quod dicit *Innocentius* de vil. cond. hum. *nec patientibus compatitur, nec miseris subvenit, vel miseretur, sed offendit Deum, offendit proximum, offendit seipsum; nam Deo detinet debita, proximo denegat necessaria, sibi subtrahit opportuna: Deo ingratus, proximo impius, sibi crudelis.* h. i.

Non

Non oportet plùs amare pecuniam, quàm proximi animam: sed potiùs *pecuniæ oportet imperare, non servire. Pecuniâ si uti scias, ancilla est; si nescias, Domina.* Seneca in prov.

V. *Charitas ad proximum* est fœnus Deo placitum, fœneranti fructuosum, dupliciter lucrosum: nam, *qui miseretur pauperis, Domino fœneratur.* Hinc *S. Ambrosius, quid hoc melius bono, si pauperibus largiaris, in quo tibi Deum debitorem quadam pietatis fœneratione constituas?* sit ergo (ut ait *D. August.* in psal.) *Augmentum charitatis imminutio cupiditatis*; ne, ubi regnat nimia cupiditas, refrigescat debita charitas. *Si Deum amemus, nummos omnino non amabimus* contra Deū. *Erit tibi nummus instrumentum peregrinationis, quo utaris ad necessitatem, non ad irritamentum cupiditatis.* Hæc *D. August.* Nimia anxietas de non sufficientia, displicet Deo, nec proficit anxio: melius sensit, qui dixit psal. 22.1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocabit.* De hoc plenæ sunt historiæ Sanctorum.

VI. *Hospitalitas*, maximè erga Sacerdotes, Clericos, Religiosos (neutiquam tamen ad apostatas, ceteris paribus) pauperes, advenas, peregrinos, afflictos, parvulos fame pressos ac nudos, & orphanos &c. in omnium ordinatarum Religionum constitutionibus præcipitur; attamen talis, quæ nec recipientibus, nec receptis sit occasio aut causa excessivæ inordinationis. Hinc quàm maximè placet, quod de hoc lego statutum in *Constitut. Canon. Præmonstrat.* D. 2. c. 21.

c. 21. §. 11. ubi decernitur, *ut in quacumque hospitum receptione hoc observetur, ut animi vultûsque hilaritas eis exhibeatur*: *& omni luxu ac ostentatione rescissis, juxta religiosam mediocritatem sufficienter cujusque necessitati, non voluptati satisfiat.* h. i, Unde hospitalitatem non jubet rationabilis charitas exhiberi iis; qui delicias & voluptates quærunt apud Religiosos, nullo alio motivo saniore incitati. Porro, cùm charitas, quæ exhibetur hospiti propter Christum, ipsimet censenda sit exhiberi Christo, (ut ajunt, & experti sunt *D. August.* & *D. Gregor.*) hinc pari reverentia, affectuque obsequium hospiti est impendendum; quod indubiè Christus (cui nihil perit) multipliciter remunerabit ibi, ubi minùs speraverit, qui exhibuit. Hinc apud dictos, aliosque Sanctos (qui hospitalitatis claruêre virtute) indubitata fuit persuasio, hospitalitatem Monasteria non depauperare, sed conservare, *date, & dabitur*: justissimum est, Conditori exigenti reddere in hospite, quod dedit hac conditione.

VII. Quoniam etiam in Constitutionibus nostris præcipitur, ut saltem bis in septimana pauperibus plebeis ad ostium mendicantibus, id, quod Fratribus residuum est, in eleëmosynam erogetur, juxta illud: *quod superest, date eleemosynam*, &: *gratis accepistis, gratis date*; Cura hinc Superiorum exposcit, ut id, quod his desolatis pauperibus, & caris Christi membris erogandum est, quamvis sit quoad substantiam vile & exile, tamen sit mundum, cum charitate accommodatum, ex cordis sinceritate benignè dispensatum ita,

quasi

quasi esset pro seipsis, seu potius cum tanta devotionis fide, charitatis affectu, humilitatis sensu, ac si ipsimet Christo in mendico petenti porrigerent. Ita fecit copiosè à Deo remuneratus *S. Ludovicus* Rex Galliæ, qui flexis genibus pauperibus serviebat, quasi suis Dominis, immo ùt Christo. Idem de multis aliis Sanctis legitur. Dives Christus qui in paupere recipit, id abundè retribuit: quod hoc canali effluit, id aliâ ignotâ venâ abundè refluit. Quoad hoc me multùm ædificavit devota consuetudo, quam vidi practicari prope Augustam Trevirorum in aliquo Monasterio *S. Benedicti* à Reverendissimo D. Prælato (cujus memoria sit in benedictione) qui accumbens, primam & meliorem portionem è communi catino extrahebat pro Christo, id est, pro paupere; si etiam pro infirmo, major erat charitatis ostensio, & meriti augmentatio. Deus non obliviscitur hujus operis, sed benedictos benedicit amplius. Hinc & Religiosi illi multum commendandi, qui, amore virtutis, & Jesu olim pauperis, sibi quantumvis minutula in prandio aut cœna subtrahūt, ut Christo in paupere detur, quorum plurimi sunt, qui egestate pressi nesciunt, quid sit ad satietatem manducare panem siccum.

VIII. De hospitibus excipiendis hoc statuit Regula S. *Benedicti: Omnes supervenientes hospites tamquam Christus suscipiatur; quia ipse dicturus est: hospes fui, & suscepistis me. Et omnibus congruus honor exhibeatur, maximè domesticis fidei, & peregrinis &c.* h. i.

CA-

CAPUT VIII.

De amanda Religiosa paupertate à Superiore & subditis regularibus.

I. JUre asserо *amorem religiosæ Paupertatis* numerandum inter media tum spiritalia; tum quasi corporalia communitatis religiosæ faciliùs conservandæ, seu cum religiosa sufficientia vivendi in communi. *Cujus ratio est*; quia ille duo beneficia (ut ait *D. Bonav.*) confert Religiosis, 1. ut sint paucis contenti, 2. ut non facilè murmurent. Non est autem intentio mea, ut, quæ in hoc Cap. dicentur, sint Superioribus occasio sordidæ parcitatis, nec subditis injustæ contra me indignationis; sed potiùs exercendæ utrobique virtutis. De illo autem malo aliorum mentem & verba, quàm propriam proferre, & devotis Religiosis proponere. De quo *Alphonsus* à Jesu Maria in suo Consiliario Spirituali, disc. 13. consil. 5. ita discurrit.

II. Oportet, ut Prælatus sit præditus magna spiritûs paupertate, sibique honori ducat, si eam accuratè servet; quod assequetur, si suum sensum sensui *D. Bonav* accommodârit: *Quantò intimiùs*, ait hic lc. suprà, *paupertatem dilexeris, tantò subtiliùs de necessitate judicabis.* Quemadmodum autem perfecta paupertas in subditis non permittit pro eorum peculiari usu alicujus rei nisi omnino necessariæ concupiscentiam, vel admissionem; pari modo ut in uno perfecta sit Prælato, opus est, ut ipsi impendiorum communium certos statuat

tuat limites, quibus servatis omnem superfluitatem à se proscribat. Debet proinde paupertas Prælati ita esse circumscripta pro expensis communibus, sicuti est subditi restricta pro specialibus. Paupertas ergo & moderatio instar margaritæ in pretio est habenda. Eapropter magna Mater nostra *Teresia* paupertatis valorem & utilitatem plenè perspectas habens, dicere solebat, se plùs dolere, quando omnia habebat in copia, quàm si alicujus rei defectum & penuriam patiebatur. Et hoc multa cum ratione; quia affluentia plerumque relaxationem inducit, necessitatis verò alicujus tolerantia est lapis lydius veræ paupertatis, divinæque providentiæ argumentum. Deus enim promissione firmavit, se habiturum curam eorum, qui omnia amore ejus reliquissent, suumque fuissent imitati exemplum, cautionem præstante Petro Apostolo in hæc verba: *Quoniam ipsi cura est de vobis.* 1. Petri 5. 7. *h. i.* Pergit.

III. Magna ergo cum ratione, ut Lucas Evangelista refert c. 22. 35. est percontatus noster Salvator suos quondam discipulos, utrum aliquid defuerit ipsis, dum eos sine mantica, sine nummis, & nudipedes misit? *Quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerũt, nihil.* Pauperũ enim evangelicorũ provisio fundatur in modo vivendi pauperis instar, quo si se gesserint modo, numquam permittet Deus, ut taliter rerum temporalium subsidio sint destituti, quò minùs vitam traducere possint. Et in hoc sensu accipit Seraphicus Doctor *Bonav.* illam Davidis sententiam, quâ dicitur:

tur: *divites eguerunt, & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Psal 33. 11. Divitiis affluentes famem & necessitatem sunt passi; quærentes verò Deum nullius rei habuêre penuriam. Propterea ita subjungit idem *Seraphicus Doctor* de perfect. vitæ c. 3. NB. *Si paupertatem, quam professi estis, contempseritis, omnium bonorum tam temporalium, quàm spiritualium egenes eritis.* NB. q. d. Dum ex institutiratione, & vitæ conditione, pauperes more divitum victitare volunt, tum Deus in pœnam talis modi vivendi, privat eos & corporis & animæ bonis, quæ eis quà pauperibus sua munificentia largitus fuerat. *h. i. Pergit.*

IV. Ipsa etiam experientia docet, superfluas, quas Prælati in sumptuosis fabricis, & pretiosis Sacristiæ ornatibus, aliisque similibus modum excedentibus facturis & operibus facere sunt soliti expensas, plerumque redundare in subditorum collectionis, silentii, & conversationis cum Deo detrimentum, ipsosque hac ratione omnem spiritum perdere; quæ deinde causa est, ut sensim necessariis destituantur. Magnopere cavendum est Prælato, ne præfecturam in suum commodum, lautumque vivendi modum convertat; sed imitetur in paupertate Christum Jesum, ut ratione hujus imitationis suis subditis jure dicere possit, quod Apostolus in hæc verba suis dixit Corinthus 1 Cor. 4. 16. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Identidem proinde recogitet secum, se communita-

tis caput existere ; res autem monstri similis esset , si capat egentis & nudi corporis vellet esse locuples , omnibusque ad vitam necessariis superfluè instructum. *h. i.* Ad quod cordatiùs exhortatur *Sanctus Bonaventura* , in memorialo dicens : *Zelans sacratissimam paupertatem in omnibus , quæ ad te spectant ; asperitatem, vilitatem , & parcitatem habeas , quantum potes : non tamen in aliis requiras : sed potiùs lætus & gaudens de omni consolatione fraterna, eis, sicut oportet , obsequendo , & ministrando assistas , omni consolatione eos reputans esse dignos.* h. i. Pergit præcit. auctor.

V. *Prima ergo doctrina à Prælato subditis danda est paupertatis exemplum* , in cunctis monstrandum rebus ad usum suum spectantibus. Hac docendi methodo usus est Redemptor noster cum iis , qui scholæ suæ accenseri cupiebant. Cuidam enim illorum pro discipulo se offerenti , ante omnia considerandam & imitandam suam per raram paupertatem proposuit, dicens Matth. 8. 19. *Accedens unus scriba* , ait illi : Magister sequar te, quocumque ieris. Et dicit illi Jesus : *Vulpes foveas habent , & volucres cæli nidos ; filius autem hominis non habet , ubi caput reclinet.* Quo sapientissimo responso providentissimus Magister instruere Prælatos voluit, quòd , nisi in hac virtute bene sint fundati , suis subditis numquam satis persuadere possint primæ perfectionis evangelicæ fundamenta , quæ sunt submissio animi , & perfectus rerum omnium

tempo-

temporalium despicatus. Hujus rei gratiâ consulit *D. Bonav.* Superioris ritè fungi volenti officio, ut in usu rerum necessariarum sit admodum frugalis & moderatus pro se ipso, totumque quod aliquam pompam vel curiositatem sapere potest, excelso contemnat animo, singularemque intendat curam, ut totum quod ad suum habet usum, prædicet paupertatem. De quo *S. Bonav. loc. cit in libro 4. suprà. Hucusque citatus auctor.* Porro *S. August.* suam de paupertatis fructu in Regula addit sententiam, dum inquit: *Illi se existiment ditiores, qui fuerint in sustinenda parcitate fortiores: Melius est enim minùs egere, quàm plus habere.* h. i. Et S. Chrysost. *Egestas propter Christum tolerata martyrem facit.*

VI. Porrò hic *paupertatis sensus & affectus* in Superiore, *generat* in eo (Deo sic remunerante virtutis meritum.) *majorem ad Deum confidentiam*, & in egestate voluntariâ saporem. De quo *Sanctus Bernardinus* serm. 2. de paupertate doctrinalem hanc adducit *Parabolam.* Rex quidam duas filias habuit, unam pulcherrimam, aliam turpissimam: pulchra appetebatur ab omnibus, & honorabatur; turpem verò nullus nedum amare, sed nec videre volebat. Hæc autem amarissimè flebat in conspectu Regis: Cui Rex: noli flere dilectissima Filia mea; nam qui in sponsam duxerit sororem tuam, nihil secum accipiet nisi pulchritudinem ejus; qui verò sponsam acceperit te, dabo illi regnum meum. *Explicatur Parabola.* Filia pulchra est glorioſa sæculi vita,

plena divitiis, deliciis, & magnificentia: filia verò turpis paupertas voluntaria est, plena penuriis, plena cruciatibus, plena despectionibus. Tamen voluntariis pauperibus solatio est, penuriam pati, cruciatibus fatigari, & ab insensato mundo despici. Hanc turpem filiam qui acceperit in uxorem, promittit ei Dominus regnum suum dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* h. i.

VII. *Dictâ hac fiduciâ* Religiosus quilibet sibi maximè devincit Dei amicitiam, & providentiam; si nimirum impleverit, quod dicitur Sap. 1. 1. *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Hoc fecit & experta fuit S. V. *Gertrudis* (Blos. cap. 13. Monil. spir.) quæ tantam fiduciam de divina misericordia concepit, ut neque pericula aut tribulationes, neque temporalium rerum damna, aut quæcumque alia infortunia, sicut nec proprii defectus & errores illam movere, aut contristare potuerint; quoniam certa erat, hæc omnia tam bona quàm mala, divinâ providentiâ sic ordinante, in animæ suæ bonum, & spirituale incrementum cedere. Unde Christus huic Sanctæ Virgini apparuit, & ut eam magis in hac pia fiducia confirmaret, ait: *Fiducia illa, quam homo in me solo collocat, credendo, posse, scire, & velle me ipsum fiducialiter juvare in omnibus, cor mihi transfigit, tantamque pietati meæ violentiam facit, ut non possim non ei gratificari, & manus porrigere, ob gustum, quem ex eo, quòd totus à me pendeat, capio.* h. i.

VIII.

VIII. *Paupertatis* necessitas & utilitas breviter insinuatur p. 10. Const. Soc. Jesu his verbis: *Quia paupertas velut propugnaculum est Religionibus, ut eas in statu suo, & disciplina conservet, & à compluribus hostibus defendat (unde etiam dæmon enititur illud variis rationibus evertere) refert plurimum ad conservationem & augmentum totius hujus corporis, procul admodum omnem avaritiæ speciem ablegasse* &c. h. i.

De eadem bene dixit *Ludovicus à S. Petro* Carmel. Leod. in sua disciplina monastica: *Sicuti juxta philosophos, turpissimè errat, qui errat in principiis; ita qui paupertatem offendit, contra unum ex præcipuis religiosæ vitæ principiis impingit; nam in paupertate evangelica suggerenda totus desudavit Christus Dominus, voce, mente, manu: voce ad doctrinam; mente ad consilium; manu ad exemplum: docens verbo, inspirans consilio, consecrans exemplo.* h. i. ex Tertull. & S. Bernardo. Quamvis mundi judicium sit longè aliud; de quo S. Gregor. in moral. *Quid namque stultius videtur mundo?, quàm possessa relinquere, paupertatem eligere?* &c.

CAPUT IX.

Despicientia rerum temporalium probat virtutis heroicæ radicationem, conciliatque majorem cum Deo amicitiam, & ejus providentiæ favorem.

1. FUndatè dicit l. 1. imit. c. 18. §. 5. *O! quantus fervor omnium Religiosorum in principio suæ institutionis fuit! quanta æmulatio virtutis! quàm magna disciplinæ viguit! quanta reverentia, & obedientia sub Regula Magistri!* &c. c. 25. §. 8. *Satis arctati sunt sub disciplina claustrali; rarò exeunt, abstractè vivunt, pauperrimè comedunt, grossè vestiuntur, multùm laborant, parum loquuntur, diu vigilant, maturè surgunt, orationes prolongant, frequenter legunt, & se in omni disciplina custodiunt, &c.* Illi sciverunt æstimare virtutis pretium, paupertatis valorem, rerum fluxarum labilitatem, ac deceptoriam inanitatem. Verecundamur meritò, & ingenti rubore suffundimur, dum eamdem paupertatem cum illis vovimus, quam tamen tamquam odibile bonum fugimus, alienamus à nobis, horremus, odimus, & tamquam fatuam hujus mundi simiam irridemus; immo interdum pudet nos pauperes esse, videri, haberi, & ùt tales tractari ab aliis. Perizomatibus pauperum Christi nuditatem nostræ virtutis contegimus, cujus tamen amorem à nobis maximè alie-

alienum scimus. Sic mundum decipimus, non derelinquimus: paupertatis titulum vendicamus nobis & arrogamus, quem tamen aliqui indigni gerimus. Utinam justa hæc nostra confusio esset antiquæ & emortuæ in nobis hujus evangelicæ margaritæ resuscitatio! Ad quam vigeriosiùs auspicandum, proderit Heroica antiquorum Sanctæ paupertatis exempla in medium adducere, qui fuerunt Deo ideo amici chari, quia in paupertate perfecti imitatores Christi.

II. *S. Amatum* amatorem mirabilem evangelicæ paupertatis (de quo Surius in vita) invisit certus Episcopus, ejusque ingenti inopiæ sublevandæ liberalem eleëmosynam obtulit. Quam cùm vir sanctus acceptare constanter renueret, eam Episcopus clam altariolo, in quo Sanctus Eremita sacrificare solebat, impositam reliquit. *Amatus* igitur altera die videns ibi depositam pecuniam, in profundam vallem abjecit dicens: *Deus pars mea est, vobis autem non indigeo.* II. Pariter cùm *Sancta Melania* venisset ad tuguriolum pauperrimum *S. Ephæstionis* Eremicolæ, & pecuniam oblatam, sed ab illo recusatam reposuisset in sportula ibi ad parietem hærente, recommendando se precibus ejus; S. Eremita pecuniam illam in flumen projecit, malendo, ut per aquas nataret, quàm ut suam mentem inquietaret, & fluctuare faceret. III. S. *Spiridion*, quia Imperatori Constantino suis precibus sanitatem restituit, in gratitudinis vicem sibi ab eo ingentis auri vim offerri vidit: quam de-

testatus recusando ait : O Cæsar, non est æquum, ut amicitiam odio & invidia remuneres: magnum suscepi iter, ut obedirem tibi : & pro tanto labore nunc vis mihi dare aurum, quod est causa omnis mali ?

III. De primis *S. Francisci* Sociis scribit *S. Bonav.* in vita ejus cap. 4. §. 2. & 7. paupertatis evangelicæ mirandum exemplum & fructum, dum inquit : *Secundùm S. paupertatis formam in labore multo & inopia victitabant --- Ipsa quoque rerum penuria suprabundans eis videbatur ubertas; dum juxta consilium Sapientis, Eccli 29. 30. pro magno ipsis minimum complacebat. Sanè cùm ad infidelium partes aliqui ex fratribus pervenissent, contigit, ut quidam Saracenus pietate commotus pecuniam eis offerret pro necessario victu: illis autem recusantibus accipere, admiratus homo, cernens, quòd inopes essent. Intellecto tandem, quòd pauperes effecti amore Dei, pecuniam possidere nolebant; tanta est eis affectione conjunctus, ut offerret se ad ministrandum omnia necessaria, quamdiu facultatum sibi aliquid supereesset. O inæstimabilis pretiositas paupertatis ! cujus miranda virtute mens feritatis barbaricæ in tantam miserationis est i mutata dulcedinem ! horrendum est proinde ac nefarium scelus, ut hanc margaritam nobilem vir Christianus conculcet, quam tanta veneratione extulit Saracenus.* h. i.

IV. *Pelagius* in vitis Patrum lib. 6. num. 19. memorat insigne paupertatis heroicæ exemplum hisce verbis : vir admodum locuples venit

in

in eremum Schythi, deferens secum plurimum auri, ut illus loci presbyter id distribueret Monachis indigentibus. Cui cùm Presbyter diceret, non indigent Fratres pecunia; at ille nollet requiescere; mandavit Senior, ut omne aurum poneretur ad fores Ecclesiæ, quò quisque Monachus acciperet, quantum vellet. Mirum! cùm omnes ingrederentur, & audirent præconem, nullus tamen ex omnibus fuit, qui obolum acciperet: immo nonnulli explicatam pecuniam nec aspexerunt. Probè enim noverant hi Sancti Monachi, paupertatem esse optimum monachi thesaurum; &, qui illo destitutus est, pauper sine merito, & hinc miserabilis dicendus est. Hanc porro panperiem utpote à Christo præscriptum ad perfectionem medium omnes Apostoli exoscculati sunt, ut *Eusebius* loquitur, & tamquam sponsam coluerunt omnes Ordinum Fundatores, ita ut *Cassianus* dicat collat. 7. c. 8. Multa millia monachorum sunt, qui post abrenuntiationem nec denarium habent, nec habere voluerunt, etsi in abundantia oblati fuerint. Hic heroicus in ipsis paupertatis amor & inopiæ ingentem in ipsis ad Deum fiduciam peperit; quod fatetur *S. Chrysost.* in lib. quòd nemo læditur nisi à se ipso, ubi inquit: *quid Apostolos penuria rerum temporalium læsit? nonne infame, & siti, & nuditate degebant, & pro his clari magis, & magnifici habebantur, atque ingentem per hoc fiduciam quæsierunt apud Deum?*

V. NB. Ex memoratis tamen exemplis nullus pius & prudens lector sumet occasionem ta-

xandi, ſuggillandi, judicandi, ac contemnendi Religioſos illos, quibus in communi à ſede Apoſtolica indultæ ſunt poſſeſſiones, ut quietiùs ſinguli quicumque Deo vacarent, quique ideo indigent tractare pecunias, recipere, in neceſſaria alimenta, & veſtimenta, fabricas monaſterii, & alia neceſſaria expendere. Nunc enim cùm multiplicata ſint Religioſorum Monaſteria, impoſſibile eſt, poſſe omnes ex mendicato vivere (cùm tamen plurimi ſint ordinum mendicantium Religioſi) maximè cùm tempus jam ſit, de quo Chriſtus dixit: *refrigeſcet charitas & abundabit iniquitas multorum*, Matth. 24. Proinde tales Religioſi non ſunt ullatenus condemnandi tamquam imperfecti poſitivè, aut tranſgreſſores vitæ evangelicæ quaſi præceptæ; nam & in hoc ſe Chriſti imitatores probant, qui nonnumquam loculos habuiſſe legitur, ad condeſcendendum infirmis & imperfectis, qui eis carere vel nolunt, vel non poſſunt: ſubinde etiam arctiſſimam paupertatem ſervavit; prout adnotarunt *D. Bonav.* & *D. Thomas* & ante ipſos *D. Auguſt.* & ven. *Beda*. Proinde bene diſtinguendum eſt, quod, aptè ad hunc diſcurſum, ait Gloſſa ordinaria ſuper illud Marci 19. *quàm difficilè qui pecunias habent &c. Aliud eſt pecuniam habere: aliud, amare. Multi habent, & non amant: & multi non habent, & amant.* Item: *Alii & habent, & amant: alii verò non habere, nec amare ſe gaudent, qui tutiores ſunt, & quidem cum Apoſtolo dicere poſſunt: mihi mundus Crucifixus eſt, & ego mundo.* h. i. Ex his modis

unus

unus est indifferens & licitus, unus insuper bonus & meritorius, alius melior, alius optimus.

VI. De pecunia, & aliis possessionibus competentibus Religiosis ita inquit *D. Thom.* 2. 2. q. 188. a. 7. in corp. *Tribus gradibus Religionum triplex gradus paupertatis competit. Nam illis Religionibus, quæ ordinantur ad corporales actiones activæ vitæ, competit habere abundantiam divitiarum communium. Illis autem Religionibus, quæ sunt ordinatæ ad contemplandum, magis competit habere possessiones moderatas; nisi simul oporteat tales Religiosos per se vel per alios hospitalitatem tenere, & pauperibus subvenire. Illis autem, quæ ordinantur ad contemplata aliis tradenda, competit vitam habere maximè ab exterioribus solicitudinibus expeditam. Quod quidem fit, dum modica, quæ sunt necessaria vitæ, congruo tempore procurata conservantur. h. i.* Ex quibus patet, quòd *S. Thomas* apertè asserat, congruum esse, ut ab aliquibus Religiosis possessiones teneantur, quæ sine pecuniarum tractatione & expositione hoc tempore nullatenus haberi possunt. Et *S. Hieron.* super Matth. inquit, *respondemus, quòd rem pauperum in suos usus convertere nefas putavit, scil. solvendo tributum: quia inter illos pauperes præcipuè erant discipuli, in quorum necessitates pecunia loculorum Christi expendebatur. Dicit enim Joan. 4. Discipuli abierunt in civitatem, ut cibos emerent. & Joan. 13 dicitur, quòd discipuli putabant, quia loculos habebat Judas, quòd dixisset ei Jesus: eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem Festum; aut egenis aliquid daret.* Et D. Thom.

opusc.

opusc. 19. c. 6. *Nec Dominus loculos habuit, quasi aliàs ei non potuisset provideri, sed ut infirmorum gerens personam, ut sibi licitum crederent, quod à Christo observatum viderent.* Et Ven. *Beda* in Luc. 12. *ubi non hoc præceptum esse putandum est, ut nil pecuniæ reservetur à Sanctis, vel suis scil. vel pauperum usibus suggerendæ: cùm & ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam Ecclesiam suam loculos habuisse legatur, & à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, aliisque indigentiis tribuens; sed ne Deo propter ista serviatur, & ob inopiæ timorem justitia deseratur.* h. i.

V. S. *Bonav.* de paupertate Christi, ait: ex *his glossis manifestè apparet, quòd modus habendi loculos in Domino, in nullo minuit paupertatem. Sic enim Dominus condescendit infirmitati & necessitati, ut tamen salva esset forma paupertatis, & exemplum, quòd præcipuè monstrare venerat hominibus.* Idem expressiùs in apolog. pauperum sic ait. *Unigenitus Dei cùm dives esset in omnes, pro nobis adeo factus est egenus, ut alieno cibo vesceretur. Non sine magni dispensatione divini consilii loculos fecit deferri; quorum tamen custodiæ illum deputavit discipulum, quem furem & proditorem præsciebat esse futurum: habuit enim loculos Christus* 1. ad consolandum infirmos, 2. ad repellendũ improbos, 3. ad informandum perfectos. Unde & hujusmodi actus, scil. habere loculos in Christo, 1. *respectu infirmorum fuit condescensivus*, ad consolandum eos, qui propriis loculis carere nolunt. 2. *respectu impiorum fuit actus commonitorius primò*

mò *quidem ad refellendum hæreticos, qui loculos reprobant, & detestantur*, 2dò *Commonitorius fuit ad deterrendum avaros, qui loculos concupiscunt. Quamquam enim ad mitigationem cupiditatis, Dominus Judæ loculos commisisset, ipse tamen adeo cupiditatis igne exarsit, ut ipsum Dominum pretio parvo venumdaret.* 3 respectu verò perfectorum fuit actus informatorius. *Siquidem quantum ad modum habendi, forma fuit perfectionis in Ecclesiasticis personis, maximè cœnobitis; ut ad exemplum Christi, & discipulorum ejus, nullus sibi quidquã appropriet, sed habeant omnia communia. Unde* August. super Joann. *habebat Dominus loculos, & à fidelibus oblata conservans, suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum Ecclesiastica pecuniæ forma est instituta; ut intelligeremus quod præcipit, non cogitandum de crastino esse, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ reservaretur à Sanctis, sed ne Deo propter ista serviatur.* h. i. NB. Hæ auctoritates SS. PP. ad hoc adductæ sunt, ut probent, quòd in possessione & usu pecuniæ à communitatibus religiosis *per se* non committatur prævaricatio, cùm ipsis suffragetur & necessitas, Christique exemplum & Sanctorum.

VI. Ut ad materiam Capitis, à qua nonnihil digressus, redeam; sciendum est, quòd Religiosi singuli exactè servando Regulas S. paupertatis, eo ipso simul studeant conservationi *règularis communitatis*: Dum nim. intra terminos religiosæ sufficientiæ utuntur victualibus, & non nisi congruo ac fixo tempore, non exorbitantes, non

gulæ

gulæ indulgentes, ſed neceſſitati conſulentes: item res Monaſterii communibus ac privatis uſibus deputatas ſolicitiori cura cuſtodientes, quàm ſi eſſent aut eſſe poſſent Domini earum, eaſque deberent magno ſumptu & labore procurare; vel acſi eſſent res ſacræ, cultui divino deputatæ, & Chriſto propriæ. Hoc enim modo continget, ut ſumptibus inutilibus ac ſuperfluis parcatur, proinde ex modico diutius communitati provideri queat; quod modicum ſæpe multiplicat Dei benedictio fecundiſſima ad ſolatium ſervorum ſuorum, etiamſi ex lapidibus neceſſe foret creare panes ut manducent. *h.i.*

VII. Demum ad ſincerum amorem tam *ſacræ communitatis*, quàm *religioſæ paupertatis* Regulares omnes exſtimulare debet vehemens deſiderium, ac fideliſſima admonitio & exhortatio S. Congregat. Em. DD. Cardinal. in decreto edito 1693. 18. Julii ſub moderno SSmo Innocentio XII. his verbis: *Ad extremum eadem S. Congregatio Regulares omnes cujuſcunq; ordinis & inſtituti ſint, Sanctitatis ſuæ verbis ſerio admonet, & in Domino obteſtatur, ut omni mora poſtpoſita, ſicuti filios obedientiæ decet, ad Regulæ, quam amplexi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant & componant, decretiſque Apoſtolicis, pro æterna eorum ſalute editis ſincerè ac fideliter pareant; nec ab eorum obſervantia inanibus interpretationibus, & fallaciis, aut relaxationum prætextibus ad excuſandas excuſationes in peccatis abduci ſe ſinant; ſed profeſſionis ſuæ memores, quâ ſe totos Dei obſequio manciparunt, ſuſceptum Chriſtianæ perfectionis iter arduum*

duum quidem, sed divinæ charitatis dulcedine aspersum, abjectis terrenarum rerum curis alacriter prosequantur. Nimis enim turpe esset, eos ad sæcularia desideria, quibus semel, assistente Domino, renuntiârunt, animum revocare, & obligatam Deo, qui non irridetur, primam fidem irritam facere. Meminerint, se ad peculiarem Salvatoris nostri sequelam vocatos, qui cum dives esset, propter nos egenus factus est, veterumque illorum fidelium glorioſos imitatores, ac veluti heredes esse, quorum erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia: dividebatur autem singulis prout cuique opus erat; ideoque in regularis vitæ, ac præcipuè Sanctæ paupertatis, quæ est parens quadam, generatioque virtutum, proposito perseverent, omnem solicitudinem suam projicientes in eum, cujus oculi in pauperes respiciunt, qui non derelinquit sperantes in se, sed dives in misericordia, centuplum & vitam æternam, propter nomen suum relinquentibus omnia repromisit. h. i. Ad exactiùs autem observandum S. Paupertatis Regulam, *quos ad hoc non inducere & movere valuit amor virtutis, & obligatio votorũ, saltem compellat & stringat timor pœnarum, quibus Deus voti paupertatis violatores punit non tantùm in hac, sed & magis in altera vita: de quibus quidem supra actum lib. 3 at hic plura subjicientur. De quibus proinde sit. &c.*

CA-

CAPUT X.

De horrendis pœnis Violatorum Sanctæ Paupertatis, in morte, & post mortem; qui in vita plurimum nocent regulari communitati.

I. A*Ffectus cupiditatis ad res quantumvis viles, aut sensualitas ad illas, impedit aut enervat meritum religiosi pauperis:* & talis religiosus licèt nihil possideat, non tamen propterea pauper dicendus est, ait *S. Bonav.* quia *loculos mentis* retinet. Et, ut ait post *S. Augusf. D. Gregorius*, Deus in remunerando renuntiantes sæculo, potiùs attendit ad affectum, quàm censum, & plus nocet rerum cupiditas, quàm actualis rerum detentivitas, ita loquendo. Idipsum præclarè claro ostendit exemplo Jo. Diac. in vita cit. *Gregorii Magni* c. 40. Nam cùm Eremita quidam magnæ virtutis, multorumque annorum, interno desiderio futuræ gloriæ assequendæ, & ejusdem gradus pro nunc agnoscendi piè stimulatus fuisset; cognovit à Domino, se in gloria parem cum *S. Papa Gregorio* remunerationem adepturum. Ille ex hinc suspensus hæsit, considerans, an ergo nil plus meruisset vitæ suæ austerirate & rigida paupertate, quàm magnus ille Pontifex mundo undique circumseptus, mundique honoribus & divitiis sublimis ? sed in somnis, docente Patre luminum, meruit vellicantis scrupuli discussionem

nem percipere, cum hac informatione : *Cùm divitem non faciat possessio, sed cupido ; cur audes paupertatem tuam divitiis servi mei Gregorii comparare? utpote qui dilectionis sensualitate magis comprobaris illã felẽ, quam quotidie palpas & foves, amare, quã Gregorius divitias omnes, quas cõtemnit, negligit, immo pauperibus tam liberaliter distribuit?* His auditis, pressiùs sensit Eremitæ animus, didicitque subtiliorem esse veræ paupertatis viam & gradum, quàm ipse hucusque didicisset. Meritò itaqte dixit *Balthasar* Alvarez eximiæ vir sanctimoniæ, Confessarius inclytus *S. Teresiæ: nemo sibi de illustrationibus sensus, & spiritualibus consolationibus blandiatur, nisi hilari vultu hunc bolum evangelicæ paupertatis deglutierit.*

II. De *religiosis munuscula aliunde oblata recipientibus aut offerentibus in fraudẽ S. paupertatis sine licentia*, hæc tradit *Abraham à S. Clara* in Grammatica Religiosa serm. de paup. p. 2. Contemnamus omnia à notis seu amicis oblata munera, recogitantes quòd hæcce munuscula sint hamus diaboli; quo plurimos religiosos decipit, & illaqueat; cùm per similia oblata initio quidem à perfectione religiosa, & fervore animi abstrahat, postmodum eos ad laxitatem emolliat, emollitosque in varia peccata, præcipuè in sæculi amorem impellat, & tandem infelices ad acharontem præcipites agat. O! si liceret vel ad momentum aures ad portas inferi accommodare; procul dubio, quòd in re ita sit, ipsimet audiremus, cùm millenas maledictiones erga similes crudeles be-

nefactores effutire perciperemus. Caveamus itaque ab hiſce munuſculis tamquam ab aſpide & baſiliſco, ni ſalutem noſtram magnis periculis exponere velimus, h. i. De quo *Boverius* in Annal. Capucin, terribile narrat exemplum. Quidam namque religoſus Ord. *S. Franciſci*, cùm ab omnibus crederetur vitæ eſſe laudabilis, in morte conſtitutus, ad quodvis nihil aliud reſpondit, quàm: *non eſt opus Sacramentis, quia damnatus ſum.* Geminam ſuæ damnationis cauſam aperuit; quarum una erant excuſationes; altera, quòd plura munuſcula ſpiritualia abſque majorum ſcitu tam dare quàm accipere fuerit ſolitus, veritus repulſam, ſi licentiam petiiſſet *Alium quoque* V. Roſaria ad infernum detulerunt, quæ clam comparata deſtinârat cognatis. Et licet ob id conſcientiæ ſtimulis agitaretur; nihil tamen umquam ſignificavit confeſſario, cogitans rem eſſe admodum levem. Inventa ſunt à morte ejus Roſaria hæc in cameræ genuflexorio abſcondita. Exemplum hoc fuſiùs recenſet *Boverius* ad An. 1570. Eheu! O verè mortalium infeliciſſimos! qui etſi in magno rigore vitam traduxerint quoad alia, multùm jejunaverint, media nocte ſurrexerint, orationem prolongârint; nihilominus tamen pro his omnibus auſteritatibus nihil meriti receperunt, quoniam hæ aliàs ex ſe bona opera infecerunt, vitiarunt, mortificarunt, immo hoc occiderunt hæ illicitæ donationes & acceptiones. Quis igitur ſibi ab his non caveat, ne pariter in tale infortunium incidat!

III. *Donationes & receptiones munusculorum furtivæ, acriter puniuntur ab Ordinum SS. Fundatoribus.* De quo *Abraham à S. Clara* cit. refert ex M. S. Ingolst. Soc. Jesu, quòd *S. Ignatius Loyola* zelosissimus paupertatis amator in hujus violatore statuerit hoc exemplum. Nam Anno 1556. ultimo Maji in Festo SS. Trinitatis jussit *P. Sebastianum Romæum* Rectorem publicam disciplinam facere in medio refectorii per unum *miserere*, & præterea in parva mensa comedere cum solo pane & vino, sequenti verò die etiam nihil comedere, priusquam quosdam orbiculos Sacros (Agnus Dei vocant,) ad ipsum tulisset, eò quòd absque expressa licentia Superioris, quibusdam suæ Societatis Religiosis ejusmodi munuscula distribuisset. O verè ardens divini amoris igne & zelo Ignati! Hanc sui Patris severitatem forte rescíens B. Aloysius, ne ignominiæ notam apud eum (tunc jam existentem in cælis) incurreret, tam accuratè hanc paupertatis regulam servabat, ut rogatus ab alio pro papyro, non priùs dederit, quàm obtentâ à Superiore facultate dandi. Item *Thomas Sanchez* eruditissimum lumen ejusdem Societ. absque facultate nihil dabat aut accipiebat licèt minutissimũ, &, ut ipse scribit, nec filum. Et hæc in ipso erat non puerilis aut muliebris scrupulositas, ut aliquis cavillari posset, sed tenera conscientiositas, & paupertatis subtilissima & exactissima observantia. Rursus Ven *Joannes Berchman* ex eadem SS. Societate, ob sanctimoniæ laudem quasi Angelus in tetris, per totam vitam deplorasse legitur,

quòd aliquando fratri cuidam imaginem dedisset, non impetratâ à Superiore facultate, quem tamen quæsierat, facilèque consensurum putarat.

IV. *Pauper Religiosus nil audet de superfluo in mensa, sine licentia dare pauperibus. Boverius* Exemplum adducit in Annal. 1573. Fratri cuidam apparuit Satan sub specie B. V. M. petens panem. Frater errore delusus tempore prandii panem furtivè in manicam injicit (contra communem prohibitionem) finitâque mensâ expectanti phantasmati porrigit. Quo facto Dæmon repente mutatâ formâ hominem pedibus arripuit, & ferè abripuisset, ni unus audito fratris clamore advocasset reliquos; qui fusis ad Deum precibus furtivum eleëmosynarium tandem hosti eripuerunt. *Rursus* Religiosus nil clam sibi accipere & abscondere potest. absque conscie ægravamine. Hinc *S. August.* in Regula furti condemnat eum, qui aliquid celaverit. *In Annal. Capucin.* 1589. in conventu Armarienſi in Belgio, Clericus ægrotus de salute desperare cœperat, Guardiano causam roganti dixit, dæmonem adfuisse, & ob scopas, inconsulto superiore occultatas damnatū dixisse; sed Guardianus, re indicata, quietum esse jussit. *Alius itidem* ex eodem ordine 1579. ante visitationem in cella quædam absconderat: & eadem nocte ab alio visus est in inferno pendere de patibulo, habereque de pedibus pendula omnia quæ occultaverat. Quod visum cùm deindè occultator intellexisset, vitium correxit.

V. *Inutilis consumptio aut superflua alicujus rei eo-*

contra paupertatem, graviter punitur post hanc vitam. Narrat *Boverius* 1581. quòd Frater Bernardus Sacerdos ex ordine suo moriturus conflictabatur cum Satana. Objiciebat hic ei violatam paupertatem quòd plus lini cerati consumpsisset de nocte, quàm necessitas exigeret. Interim præsentes Fratres pro salute ipsius recitabant litanias: ipse verò ad singulas Sanctorum invocationes nil aliud respondit, quàm *tam modicum, tam modicum, tam modicum*, idque cum ingenti stupore mentis. Mirantibus fratribus, & cùm ad se rediisset, quærentibus, quid his verbis voluerit, respondit: ad judicium stabam, in quo dæmon accusator postquam ex omnibus lini frustulis, quæ absque necessitate combusseram, ingens volumen composuisset, illud mihi gravissimè objecit, & tamquam reum læsæ paupertatis coarguit. Non poteram satis mirari tam levia examinari tam rigidè: inde erupi in hæc verba, *tam modicum.* &c. *Verè mi Frater, judicia Dei horrenda sunt, maximè dum de votorum violatione agitur! verè dixit Apostolus: Deus non irridetur*, cui vovetur, cui promittitur. *Alius* graviter in judicio punitur, eò quod ultima frustula candelæ jam ferè combustæ abjecerit, sine respectu violatæ paupertatis.

VI. Ex eodem Ordine 1571. *P. Otho* post mortem amico apparens dixit, se quidem salvum ac beatum, sed post tam rigidum examen, ut Deus judex etiam de candela in locis communibus ardente examinaverit. Quid fiet

proprietariis, dum tantilli paupertatis excessus non negliguntur? *Terribilius audi 1603.* Quidam Senex ejusdem ordinis cùm post nocturnam synaxim in hieme descenderet in coquinam, ut sese calefaceret, offendit ibi duos ex altero mũdo caculas, seu culinaria quasi mancipia, qui prunas ferreis rastris dispergentes parabant locũ tertio, qui fratrem veru infixum humeris inferebat in craticula supra prunas torrendum. Horruit senex, & abituriens detentus ab uno est, atque interrogatus, num fratrem nosceret; quo negante, ait ille, hic erat culinæ præfectus, ac non observata lege paupertatis, ligna nimis profusè comburebat. Qua de causa tam diu ex divino judicio ustulandus est hoc loco, donec novissimum quadrantem exsolverit. O! *verè judicia Dei abyssus multa! Quàm pauci Religiosi hæc considerant, hæc prævident!*

VII. Non absonè proprietatis vitium S. *Benedictus* in Regula appellat nequissimum, *Cassianus* receptaculum vitiorum, malorumque omnium radicem, & inextricabilem nequitiæ fomitem. *S. Gregorius Magnus* ait, proprietarium non habere cor Monachi, & ubi locorum hoc vitium se insinuârit, ibi concordiam & charitatem manere non posse. Est autem proprietas NB. tam subtile malum, ut teste *S. Gregorio Nysseno*, ii, qui in omnia vitia dominium tenuerunt clari virtutibus, huic tamen vitio obviare satis haud potuerint; quo-

quoniam pluribus involutum excusationum vanissimarum technis est. *Audi terribile exemplum*, quod cit. narrat *Boverius* circa annum 1569. Contigit, ut ex fratribus alterius Ordinis, octo simul ad Capucinos transirent. Rogati causam dixerunt, Guardianum ipsorum haud ita pridem tam horrenda morte defunctum esse, ut, nisi sibi melius consulerent, non immeritò similia timerent. Cùm enim ex confectis à se flabellis pavonaceis, aliisq; curiosis sericis signaculis multum pecuniæ corrasisset, ita tandem fœtere cœpit, ut ejus præsentiam nemo tolerare potuerit. Sejunctum ergo cùm fratres aliquando inviserent, viderunt capite de lecto miserabiliter pendere, atque à monstrosa fele ad collum graviter lacerari, ac suffocari. Cùm fratres in abactione telis se multùm fatigarent, ægrotus inquit, *non cum fele, sed cum damone vobis res est:* hoc supplicium mihi vitæ turpitudo, concupiscentia, violata paupertas, ac spreta Regula: observantia peperit. Discite vos meo exemplo meliora: damnatus à Deo ad tartara rapior. Quibus dictis, inter horrendum stridorem, à fele præfocatus emisit animam.

VIII. *Horribilius quiddam evenit cuidam Capucino* (*Boverius* in annal. Anno 1589.) qui allectus alterius Breviario, id clam subtraxit & abscondit, sperans brevi se locum mutaturum, ubi eo absq; suspicione uti posset. Qui Breviarium amiserat, Guardiano indicavit, rogans ut fratres

moneret de restitutione. Id quidem factum; sed restitutio non secuta. Unde concitatior Guardianus per S. Obedientiam edixit, ut, quicumque breviarium abstulisset, antiquo usu-factario redderet: sed frustraneo eventu. Jam dies declinabat in vesperam, & Sacrista templum clausurus descendebat ad Ecclesiam. Nondum ad fores venerat; & ecce quidam in nigri monachi habitu ingreditur, qui conversus ad sacristam, obsecro te, inquit, tantisper linque apertas fores, donec quod meum est, tollam, & inde efferam. Sacrista miratus nigri advenæ dictum, rem detulit ad Guardianum, secumque duxit ad Ecclesiam; qui, qui conspecto peregrino nigro affectato Monacho, inquit: quid hic loci repetis? & niger ait: est inter tuos, qui quod meum est, possidet; jube omnes adesse, & ostendam. Guardianus accitos omnes personato Monacho proposuit; qui, ut conspexit Breviarii furem, illico unico momento pedibus arreptum per aëra vivum in omnium oculis avexit ad orcum, Breviario de manica excusso. Ita cognitum fuit, quis hic niger, quis fur, & quæ pœna debeatur violatoribus voti paupertatis.

IX. *Regulas paupertatis excedentes in construendis monasteriis seu cellis acriter postmodum à divina justitia puniuntur.* Narrante *Bovero* 1554. cùm P. *Franciscus* Astensis 2dus Capucinorum Generalis Minister Romanam Provinciam visitaret, venit ad quoddam sui Ordinis

Cœnobium, in quo ipsi Cella admodum splendidè exstructa, atque ornata pro diversorio assignata est. Peractâ cœnâ, cùm Pater in lectulo quiesceret, fores cellæ molliter pulsatæ sunt, ac si quis ingressum postularet. Audiit id verbum, & per verbum *Deo gratias* pulsantem admisit; sed nemo intravit. Tandem non semel ingeminato pulsu, dictoque *Deo gratias*, Guardianus exstructor cellæ, ac jam pridem defunctus ingressus est. Bis terve cellam obambulabat in silentio; demum in hæc verba prorupit: *Maledicta cella! propter te solam ad inferos damnatus heu miser abscedo*; his dictis, disparuit.

Alter ejusdem Ordinis 1547. quòd Ecclesiam præter communis paupertatis leges extendere voluerit, damnatus est. *Unus etiam*, quòd cellam sibi splendidiorem exstruxerit, ad tartara raptus est, quamvis hic sub *S. Francisco* in familia laxiore militaverit.

X. Ex his recensitis horrendis exemplis chare Frater facilè videre poteris, quàm metuenda sint judicia Dei circa violatores paupertatis voti. NB. *cogita præterea* apud temetipsum, quid, si tu ex his miserrimis Religiosis fuisses unus, & nunc jam infernali incendio æternùm urereris? quare age Deo gratias, quòd non posuerit te in exemplar, quô alii tuo damnô meliora saperent; sed quòd posuerit tibi alios ante oculos, quò cautior alienis periculis fias, ac S. paupertatis studiosior. Declina ergo minima, quæ huic voto adversari videntur, & non facilè committes majora. Et è con-

trà, ut loquitur Ecclesiasticus 19.1. Si spernis modica, paulatim decides. Quapropter ne tandem cum memoratis infelicissimis Cœnobitis ad tartara decedas, noli cum eis nunc contemnere modica. Et modica non manent, si viam ad laxitatem sensim sternant, si Superiores ea urgeant, & tu interim ex mala consuetudine obmurmures, contemnas, ac quasi indifferentia non cures. *Rogo te per judicem animæ tuæ, ne illum contemnas, ne hanc amittas.*

CAPUT XI.

Proprietarii, inobedientes, laxi, sensuales, & qui sunt sui cerebri, Religiosi, maximè nocent regulari communitati, & graviter in purgatorio punientur, si hic culpas plenè non expiarint & emendarint.

I. PRoducam hic aliquot exempla, quæ ex vita *S. Franciscæ Discalceatissæ* in libro exemplo à se digesto recenset *P. Martinus Cochem* Ord. FF. Min. Capucinorum, qui multos præclaros libros ad pietatis Christi fidelium augmentum, eorumdemq; animarũ salutem conscripsit, & typo evulgavit, cum non modico pietatis quæstu, ac devotionis fructu.

Prior quidam ex Provincia Andaluziæ prænobili familiâ oriundus, durante officio Priorâtûs, cùm non liceret sibi intra claustrum vesci carnibus, quæsivit sæpe occasionem cum certo Socio apud suos consanguineos prandendi, & carnibus

nibus vescendi (erat enim delicatis assuetus, & plus sibi aliquid licere putabat). Angebat utrumque conscientia; sed hanc putabant se sufficienter emundare, dum invicem hanc transgressionem confiterentur, quamvis sine requisito dolore & proposito. Hic post mortem in terribili specie apparuit *Beatæ Franciscæ*, dicens: terribile purgatorium sustinere debui propter hanc meam delicioſitatem; & communis vitæ transgressionem: &, nisi *S. Mater Teresia* mihi à me invocata in extremis succurrisset, ferè in extremis desperassem, ob nimias angustias, quas mihi apparentes dæmones ingerebant. Hic in vita sæpe Prioris functus officio, visusque valde exemplaris vitæ.

II. Anima alterius Carmelitæ eidem apparuit, habens ingens frigidissimumque saxum supra stomachum suum, in pœnam, quòd sine licentia portasset pectorale ex panno pro stomachi debilitate fovenda. *Anima Monialis* apparuit eidem, dicens se in quatuor locis pati purgatorium, scil. in choro, in promptuario, in cella, & pòst in igneo puteo, propter duplicem culpam, 1. quia pecuniam & ornatum detinebat pro ornanda statua devotæ Matris *Catharinæ à Christo*; ad hoc licentiam quidem habebat, sed datam sibi, ut condescenderetur ejus fragilitati seu sensualitati, ne, si non concederetur, indignaretur. 2. quia indevotè recitasset Horas Canonicas. O! quàm multæ Moniales eamdem cum hac trahunt lineam! *Anima alterius Monialis* Priorissæ ejusdē Ord. eidem apparuit post 15. annos in purgatorio transactos, ob aliqua ad Monasterium spectantia alienata il-

licitè. Interrogata, an ergo ſabbatinum S. Scapularis privilegiũ non profuiſſet eidẽ; reſpondit, quòd illud privilegiũ ſi paucis profit, inde veniat, quia pauci conditiones prærequiſitas implent. *Horũ Anima alterius Monialis laicæ* eidẽ poſt 10. annorum purgatorium apparuit, petens ejus ſuffragium pro liberatione. Interrogata, quid maxime in Religioſis diſpliceret Deo; reſpondit, quod in tribus Deus habeat diſplicentiam magnam, ſcil. 1. in defectu perfectæ obedientiæ, 2. in defectu debitæ reverentiæ Superioribus, 3. nimiùm indulgendo proprio amori, judicio proprii cerebri, ſenſualitati, & propriæ opinionis pertinaciæ. *Iniſ. per alia anima* cujuſdam olim Prioriſſæ apparuit eidẽ (quam dicit ſe vidiſſe in agone miracula facere ſe Pampelonæ, ubi fuerat Prioriſſa) dicens, ſe graviter torqueri in purgatorio ob duo, 1. quia non exactè ſervaſſet Regulas, Conſtitutiones & mandata Superiorum majorum, 2. quia non ſatis ſeruſſuas ſubditas ad earum obſervantiam adſtrinxiſſet.

III. Eidem in cœmeterio apparuit anima Monialis defunctæ, dicens ſe 17. annis torqueri in purgatorio, ob triplicem cauſam, 1. quia nimium ſenſualem amorem habui ad certam Sororem, propter eam apud Prioriſſam cauſavi inquietudinem, 3. propter alios in Ordine commiſſos defectus, qui mihi pariebant in eodem faſtidium. Mone quoque Sorores quatuor, 1. ut frequentius aquâ benedictâ ſepulchra mortuarum aſpergant, 2. ut ſint ferventiores in obedientia, 3. *in paupertatis obſervantia*, 4. in abrenuntiatione propriæ voluntatis.

Alia

Alia Soror Franciſca nomine eidem apparuit, dicens, ſe torqueri adhuc in purgatorio, ob has 3. cauſas, 1 non vixi in Ordine, ùt debui; nam ſæpe multa conata fui facere, citra obedientiam, licèt non mortaliter peccârim. 2. Cùm eſſem Prioriſſa, debilibus nimiùm condeſcendi. 3. tempus ſubinde inutiliter impendi. Poſt tres menſes denuò apparuit, & ferventiùs orare juſſit pro redemptione, inſuper admonens, ut *Moniales punctuatim communitatis ſequerentur exercitia*; quæ non obirent ſuperficialiter, ſed cum mentis elevatione ad ſingula: inſuper ſtatas preces horarias ritè exſolverent. *Alia Monialis* poſt 12. annorum gravem infirmitatem apparuit eidem, referens, quòd punctualiſſimam in altero mundo oporteat Regulares reddere Deo rationem de occaſione neglecta, tempore malè impenſo, de gratiæ talento in terram foſſo, & de minimis quantumvis hic non curatis. Addebat: *habeto curam exactam obedientiæ, & paupertatis; nam tranſgreſſiones horum votorum rigidè in altero mundo puniuntur. Eidem apparuit anima* alterius Monialis, dicens, Deum expoſcere exactam rationem obſervatæ vel neglectæ paupertatis religioſæ, ac obedientiæ, & ſe ob harum tranſgreſſionem adhuc puniri. Sed, numquid, ajebat *B. Franciſca*, quia ſcrupuloſa eras, minùs tranſgreſſa fuiſti; reſpondit illa: ſcrupuloſitas mihi plus nocuit, nam propter eam confeſſarius mihi nimium condeſcendit, nolens me contriſtare; nec eidem exactè parêre volui.

IV. *Alia anima Monialis* ex Conventu S. Petri

tri Pampelonæ apparuit eidem, suam ei indicans purgatorii pœnam, dicens se adhuc pati propter levitates, jocos, nugas, garrulitates in sæculo commissa, quæ per Ordinis observantiam necdum essent remissa; eò quia non ritè expleviſſet, quæ Ordinis erant obligationes. *Alia ex eodem Ordine Monialis* eidem in forma ignea apparuit, dicens se grave purgatorium pati ob duo, 1. quia sensualitati olfactus nimis indulserat. 2. quia multa superflua in cella habuerat: ora S. Matrem *Teresiam* pro me. At hæc *B. Franciscæ* oranti pro illa anima apparuit indignabundo & averso vultu, ajens: *Meritò hæc tormenta patitur; fuit enim nimis tepida & laxa in observantia Regulæ & Constitutionum: ideoque non fuit vera filia mea.* Ex nova Castilia *apparuit alia Monialis* ex eodem Ordine, causas sui purgatorii has 2. allegans: 1. quæsivi frequenter & nimis sedulò corporales commoditates: 2. delicias in cibis ut gustarem, sæpe meas infirmitates contra veritatem exaggeravi, & servitricibus infirmarum gravamina non necessaria causavi. Jam 30. annis sum in purgatorio. Nostra *S. Mater Teresia mihi maximè adversatur; nam illa post Deum illa est, quæ in judicio se opponit Religiosis tepidis & negligentibus sui Ordinis.* Quæ quid & de *S. P. N. Francisco* legitur in Chronicis nostris; ut jam tum suprà memoratum est; prout scribit in vita ejus *S. Bonav.* c 8. n. 2. *Fratres, qui Religionum iniquis violarent operibus, maledictionis ejus gravissimam incurrebant sententiam. A te, Domine, inquit, Sanctissime, & à tota cælesti curia, & à me parvulo tuo sint maledicti,*

qui

qui suo malo exemplo confundunt & destruunt, quod per sanctos Fratres Ordinis hujus ædificasti, & ædificare non cessas. h. i.

VI. Eidem *B Franciscæ* inclusæ ad vacandum orationi apparuit anima alicujus defuncti Patris, qui fuit unus ex primis zelatoribus reformationis vir multæ mortificationis, observantiæ, & plurimarum virtutum, qui ideoque putabatur rectà sine purgatorio ad cælos evolasse; attamen 25. annis purgatorii pœnas sustinuerat, eò quòd nimis pertinaciter proprio judicio inhæserit. Petiit preces pro se, & ut alii Superiores avisarentur, ne in idē vitium inciderent. *Ob eamdem causam* alius ejusdem Ordinis Religiosus 33. annis pœnas purgatorii sustinuit, eò quòd propriam sententiam alienæ prætulerit semper, quamvis alioquin fuerit vir multæ mortificationis & pœnitentiæ. *Dicebat insuper, quòd etiam minimi defectus in purgatorio rigidè puniantur, nisi quis in vita exactè conatus fuerit suo statui conformiter vivere.* NB. Addebat, quòd multi ex Fratribus & Monialibus sui Ordinis essent in purgatorio, immo & ipse Pater Generalis quantumvis eximius zelator reformationis, quem etiam Deus miraculis illustrârat, fuisset tribus annis in purgatorio. NB. *Quid ergo fiet Religiosis tepidis? quid dissolutis? quid negligentoribus? quid transgressoribus? si etiam ferventes zelatores ibi districtiùs examinentur, & tam diu purgentur?*

CAPUT XII.

Plurimum refert ad vitæ regularis communitatem exactè conservandam, si Superiores studeant exactè suo officio in omnibus satisfacere.

NB. *CUrandum est autem, ut ille, cui Rectoris officium imponitur, magni sit exempli, magnæ ædificationis, magnæ etiam mortificationis in omnibus pravis inclinationibus, & in obedientia præcipuè ac humilitate probatus; qui donum etiam discretionis habeat, ad gubernandum idoneus, in rebus agendis versatus, in spiritualibus exercitatus sit; qui severitatem suo tempore & loco cum benignitate miscere noverit; qui solicitus, qui patiens laborum, qui etiã in literis eruditus sit; & demum ejusmodi, cui confidere Superiores possint.. Rectoris officium erit, inprimis oratione ac sanctis desideriis totum Collegium velut humeris suis sustinere: deinde curare, ut Constitutiones observentur; omnibus collegialibus cum omni solicitudine invigilare, eosdemque ab iis quæ nocere possint domi & foris, defendere, tum præveniendo, tum etiam, si quid mali audierit, remedium adhibendo, ut ad singulorum & universale bonum convenit---sanitatem eorum conservando--eos, qui officia gerunt domestica, prudenter constituendo; & quomodo suis fungantur officiis, considerando &c.* p. 4. Constit. Societ. Jesu c. 10.

I. Qualiter Superiores seu animarum Pastores ritè officio suo fungi, & obligationi suæ satisfacere debeant, in serm. Domin. 2dæ post Pascha doctrinaliter demonstrat *Joannes Taulerus* clarissimus & illuminatus Theologus S. Theolog. Doctor

Doctor ex celeberrimo Ordine Prædicatorum: aitque illos id tunc perfectiùs facturos, si magis exemplum Salvatoris summique Pastoris Jesu Christi imitari fuerint conati. Proinde excludit meritò & omnino rejicit illos tamquam ineptos & indignos, qui seipsos huic periculosissimo officio ingerunt, vel etiã qui vocati ad illud, aliud sectantur, quærunt, & intendũt, quàm purè Dei gloriam, & animarum salutẽ. Tales enim omnes mercenarii sunt, & in mille versantur periculis. Qui si exploratum haberent, quantus tremor, quanta eos invadet angustia, cùm districto judici de qualibet anima, & de causis ac negotiis omnibus sibi commissis rationem sunt reddituri, tabescerent fortasse præ dolore corda ipsorum, & plangerent sese noctuque diuque. *h. i. Pergit.*

II. Illi verò, quibus absque eorum solicitatione ex ordinatione divina (*Omnis enim potestas à D. Deo est*, Rom. 13) tale aliquod officium impositum est, tales se animo benigno ac voluntario exhibere curabunt, ut neque divino honori aliqua per eos injuria fiat, neque ipsi notabiliter deordinentur, & à justitia exorbitent, neque oves demum illis commissæ in aliquo negligantur. Hoc autem, ut dixi, ex animo spontè atque libenter facere debebunt. Qui enim immoderatiùs subire recusant quod obedientia injungit, molestissimam & gravem sibi reddunt vitam suam; parvum namque opus si animo involuntario fiat, plùs gravabit, quã multa ac magna spontè alacriterque peracta. Interim tamen *laudabile est, nolentem ad officia pertrahi.* Et impendiò prodest, multa in eis adversa

ſuſtinere;& ubi auxilium ſimul&conſilium quærenduui eſſet, non niſi dolorem & perplexitatem reportare,vel etiam repulſam pati ; &, ubi obedientia præſtanda foret , rebelles atque contrarios ſubditos experiri. *h. i.*

III. *Deſcribit onus Prælatorum.* Et revera hac tempeſtate præeſſe aliis,& certis ejuſmodi officiis fungi, modo iiſdem dignè velis ſatisfacere,non ad otium, ſed ad negotium immenſum vocari eſt, immo *grandis cruciatus eſt, & crux pene intolerabilis.* Attamen hanc ipſam crucem , quicumque vocatur àDeo ad eam,in ſuos recipiet humeros illius amore ac contemplatione , qui propter homines miſerabilem olim crucem ſuſtulit, & Patri ſuo ad mortem uſque obediens fuit:animoq; demiſſo cum perfecta & humili ſui reſignatione Deo ſe dedet, ſubjicietque ad perferendum onus iſtud, quamdiu aliis placuerit , quibus promptam debet obedientiam: nec aliquod ex ſua ineptitudine ac impoſſibilitate velamen excuſationis adducet. Dum enim id quod faciendum eſt , quantum ipſi conſtat , meliori modo exequitur, officio ſuo facit ſatis,licèt alioqui rectiùs fieri poſſet. Itaq; Deum potiùs in omnibus quàm aliquod temporale commodum ſpectabit,hoc diligenter cavens, ne quantum in ipſo eſt,aliqua lædatur ovium in anima ſua. *h. i.*

IV. *Converſatio Superioris deſcribitur.* Communis quoque erit & affabilis inimicis æquè ùt amicis:hoc enim pacem magnam parit. Juniores quoque cura vigilantiori ſub fræno continebit: *Malè ſiquidem educata juventus totam ſæpe congregationem perturbat.* Suaviter ſerius erit, & potius

ex

ex amore quàm timore præcipiet. Quod vires suas excedit, ad Superiores suos referet. Ubi mordere non licet, saltem latratus quosdam dabit. Si vitam piam & sanctam in subditis suis ex toto perficere non valet, hoc tantum curet, ne deficiat, & ne malitia sub ipso vires sumat & incrementum. Certè si tritam & vetustiorem vestem consuere nolis, fieri non potest, quin brevi spatio tota laceretur. *Ubi spiritalia passim eunt, diu corporalia subsistere non valent. Qui modica negligit, paulatim decidit.* Eccli. 19. & corruit in majora. Ante omnia verò subditis suis ubique bona in se ipso præbebit exempla, & potius opere quã verbo instituet. *h. i.*

V. *Patientia necessaria.* Unum est, quod eum patienter ferre oportebit, hoc est, quòd dum omnem suam diligentiam alicui rei impenderit, totum alii sinistrè interpretentur, & in calumniam vertent; & quibus maximè benefacere studet, ab illis plura gravioraque mala sustineat, quemadmodum & ipsi factum legimus Salvatori. Hæc & similia patienter ferenda sunt; non enim potest quis omnibus æquè placere. Si quis autem omnibus æquè placere voluerit, sæpius Deo & veritati displicebit. *Malorum hominum convitia bonorũ laus est.* Ad hæc curandum illi erit, ut intra domũ suam improbam societatem, & foris noxiam familiaritatem tota virtute dissipet, sive impediat. Qua in re ubi fecerit, quod in ipso est, immunis erit apud Deum. Væ autem congregationi illi, ubi duo hæc defecerint: illa namque primò quidem pace destituetur, dehinc etiam ignominiæ notam incurret. Sed dicet fortasse aliquis, hoc si facere

voluero, repente mihi odium conciliabo, & fraudabor pace mea. Ad quod ego: *Felix talis perturbatio & molestia, quæ æternam pacem adducit. Et væ illis, qui multa idcirco dissimulant, ut cordis sui pacem habeant integram.* De quibus Jeremias ait c. 6. *Sanabant contritionem populi mei ad ignominiam, dicentes, pax, pax, cùm non esset pax.* Tales suam quietem & commoditatem sectantur, honores & dignitates ambiunt, & hæc religiosæ honestatis interitu, dum excessus corrigere non audent, ne displiceant, sibi mercantur. *Væ illis, quia receperunt mercedem suam.* h. i.

VI. *Recta intentio Superioris.* Bonus verò Pastor sive Prælatus purè Dei laudem & gloriam quærit, instar Domini Salvatoris, qui æterni Patris sui, non suam quærebat gloriam, & ideo crucis ignominiam libenter sustinuit. Ex hujus imitatione, quicumque verus est Pastor, quidquid sibi eveniat, non sibi factam queratur injuriam, donec ex graviter sauciati capitis vulneribus sanguis copiosè per faciem defluat, & terram humectet, quemadmodum sanctis Martyribus legimus accidisse. NB. Olim non nisi perfectissimi ac resignatissimi homines ad dignitates & officia trahebantur, non autē qui privatis inhiarent lucris & propria venarentur commoda. Unde quodinme est, id omnibus in quacumque dignitate vel prælatione constitutis do consilii, ut semper ima sive fundum humilitatis sese demittant, parvitatem nihilque suum ob oculos habeant, omnem superbiam devitent, conditionis suæ attendant fragilitatem, & quàm celeriter ex hac vita sint migraturi. *h. i.* VII. *Mo-*

VII. *Modus reprehendendi ſubditos.* Dum ergo aliquem reprehendere volunt, ſeſe priùs reprehendant, & quantum fieri poteſt, malum ſtudeant vincere in bono; non enim Satanas Satanam expellit: ſicque ex corde manſueto mitia & dura proferant verba; prout res ipſa, & cauſæ exigere videbuntur. Ante omnia divinam augere ac promovere cultum, id eis vel maximè cordi erit; ita tamen aliis intendēt, ut ſeipſos minimè negligant. --- Hæc tamen non idcirco dixerim, quòd aliquis ſe ad prælationis onera ſubeunda (quod heu multi faciunt) debeat ſe offerre; ſed ut, qui ad hæc à Deo vocati ſunt, jugum iſtud æquanimiter ferāt, & diligenter faciant, quod in ipſis eſt, hoc ſecum cogitantes, quòd, ſi iſta ſibi onera non eſſent impoſita, alia fortaſſe pejora eis accidiſſent: certi, quòd Dominus Deus, cujus gloriam purè quærunt, quique hæc eis onera impoſuit, etiam pro ipſorum maxima ſalute ad ſuam gloriam eos dirigere, ac eis providere & velit, & poſſit. *h. i.*

Officium Prælati duobus punctis breviter deſcribitur, ſcil. bene agere, & bene regere, 1. Eſd. 4. *Una manu opus faciebant, alterâ gladium tenebant.* De hoc gladio *S. Hieron.* ait: *non eſt crudelitas, crimina pro Deo punire, ſed pietas.* Et *Pelagius Papa* relatus 23 q. 5. c. quali poſt, ait: *nec quidquam majus eſt, unde Deo ſacrificium poſſitis offerre, quā ſi id ordinetis, ut hi, qui in ſuam & aliorum perniciem debachantur, competenti debeant vigore compeſci.* h. i. Ad illos tamen, ſicut & ad omnes paternum habeant Superiores animum, tam corporum, quàm animarum curam habentes; ut poſ-

sint in veritate dicere, quod dixit quidam Abbas Eremi Thebaid: *Sacco tegimur, sed probè textus ut sit, requiro: leguminibus vescimur, sed cum diligentia condiantur.-- ne primogenitos crucis inconsultis jejuniis, aut ærumnosa nuditate cruciemus---- vestiti psalmos decantabunt: cibo refecti opus facient; recreati crucem complectentur: & si nos illis optimi Patres fuerimus, ipsi sibi cælestes fient tyranni.* h. i.

VIII. *Reformationem Ordinis attentantes gravem persecutionem patientur.* Patet id in *S. Carolo Archiepiscopo Mediolanensi*; qui cùm renovare tentasset Religionem *Fratrum Humiliatorum* (quorum auctoritate Apostolica Protector erat) & scandalosam libertatem pristina Regularum observatione constringere; quatuor ex præfatis Fratribus ceterorum Capita, qui diligebant magis tenebras quàm lucem, & reformationem oppidò aversabantur, *nec tamen subterfugere propter vehementissimum zelum & authoritatem Protectoris poterant*, in necem illius perfidissimè ita conspirarunt, ut unus eorum *Hieronymus Farina* Presbyter, 40. argenteis subarratus, cædis se ministrum fore polliceretur. Is igitur à Dæmone veluti alter Judas ductus & instigatus, anno 1566. 26 Octobris, sub primam noctis horam, cùm pro consuetudine precibus vacantem *D. Carolum* in Archiepiscopali Oratorio comperisset; musicis cantantibus verba evangelii: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet*; quatuor cubitorum ferè intervallo distans, bombardam duorum & semi-palmorum bene oneratam globo & minutioribus glandulis

in

in eum disploſit, ſic ut globus impeteret medium dorſum, exterarum pilularum aliquæ veſtimenta ipſius penetrarent ad carnem uſque, aliæ tabulam ligneam craſſitie unius digiti, quædam oppoſitum murum notabilibus rupturis offenderent. Ad hæc, circumſtantes ocyus erigi, expalleſcere, trepidare: ſolus *Carolus*, qui duritiem globi expertus fuerat, genibus curvatis abſque ullo timoris indicio conquievit. Quia tamen vehementia ictus eum nonnihihil verſus altare protruſerat, ne occiſus putaretur, complicatis manibus ſuſtulit ſemel caput in cælum, & ſimul ceterorum ſedatis animis inchoatã orationem ſitu corporis immobili conſummavit. Poſtmodum ad cubile reverſus deprehendit Rochetum quidem à globo infectum eſſe, velut etiam cetera veſtimenta, minimè tamen perforata. In dorſo interim apparebat lividus tumor à globo inflictus, qui in terram quaſi reverenter ad pedes *Caroli* cecidit, abſq; eo quòd vel minimam cruoris guttulam excuſſiſſet. Perſtitit deinde hoc veſtigium ad fidem rei, donec defungeretur *Carolus*. Et Doct. medici & quotquot locum globo tactum contemplati ſunt, ſtatim inauditum caſum pro certo & manifeſto miraculo habendum ac divulgandum cenſuerunt; quod idem judicium fuit Ducis Albuquercii Gubernatoris Mediolanenſis in edicto publico, quod eadem nocte ad comprehendendum ſacrilegum parricidam affixerat: nec incaſſum; captus quippe cum ſociis ſceleris, pœnam capitalem luit. Et *Pius V.* Religionem illorũ, partim odio infandi criminis, partim quia impoſſibile videbatur eam redigere

ad instituti sui primævam observationem, extinxit. *Ita verbo-tenus habetur in historia vitæ.*

CAPUT XIII.

Superiorum paterna, at contemperata condescensio ad subditos, est medium conservans regularem vitæ communitatem.

I. SI Superiores nimis affabiles & familiares suis se subditis faciant, se viles & contemptibiles in eorum mente se faciunt; si è contra nimis duros in omnibus sese exhibeant, charitatem & confidentiam eorū ad se impediunt: & illos involuntarios sentiunt, dum ad mendicandum, conquerendum, aut laborandum eos emittere volunt. Utrumque impedit vitæ communis sociabilem stabilitatem; itaque temperamentum debet esse, extremorum exclusivum, & medii observativum. Si Superior humili quadam animi benignitate animos suorū lucrari potuerit, libentiùs ad vitam communem amplectendam se resolvent: & si charitatis mansuetudinem ostenderint erga illos, magis eos facient sibi devinctos, trahetque ad omnem voluntatem suam, si secundùm divinam regulata fuerit. At in his omnibus studebit medium virtutis attingere; prout suprà insinuavimus. Alioquin infelici omine eveniet, quod *S. Aug.* 2. civit. 16 prædixit: *Si lex jubens adsit, & Spiritus juvans desit, etiam reatus prævaricationis accedit.* id est, si Superior velit leges multas subditis imponere, nec tamen spiritu paternæ pietatis illos adjuvare; & sibi, & subditis occasio seu causa erit peccati.

II. Con-

II. *Condescensio* illa debet esse contemperata taliter, qualiter præscribit *S. Gregor.* l. 1. Registri, epist. 24. *Sic servanda est virtus humilitatis, ut non solvantur jura regiminis; ne, dum Prælatus quisque plus se quàm decet, dejicit, subditorum vitam restringere disciplinæ vinculo non possit.* Hinc illa caveat, quæ contemptum pariunt, ex quo relaxatur vis gubernandi. De quo *S. Chrisost.* homil. 13. *In his quidem quæ ad se pertinent, si contemnatur, sanè constantissimè ferat; ita enim per patientiam virtus prædicationis ostenditur: verùm in his, quæ aliorum tangunt salutem, contemptui non pateat; id quippe non mansuetudinis est, sed stultitiæ.* Præterea cùm *non omnia omnibus*, nec omni tempore *expediant*, ut dicit Ecclesiast. 37. 31. potiùs obesset, quàm prodesset aliquorum humoribus, quorum sensus & cogitatio prona sunt ad malum ab adolescentia sua; quique non possunt uti condescensione superiorum; sed potius cederet eis in occasionem laxioris vitæ, eversionem disciplinæ, ac materiam scandali: Et in quibus proinde verificaretur, quod dicitur Prov. 29. 21. *Qui delicatè à pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.* insuper Prov. 14. 12. *Est via, quæ videtur homini recta, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Ex hoc enim sæpe inordinationes & relaxationes reprehensibiles irrepserunt in Ordines religiosos, quæ postea in pessimos degenerarunt abusus & corruptelas. Fatetur quidem *D. Thom.* quòd si naturæ subditorum tractabiliores sint, & eis expedire videatur, Superior debeat vel possit se ac-

commodare sententiæ *D. Pauli* Thessal. *Facti sumus parvuli in medio vestri, tamquam si nutrix foveat filios suos*: & inquit Angelicus Doctor: *tamquam nutrix, quæ scilicet condescendit infanti, balbutiendo ei loquens, ut puer loqui discat; & in gestibus ei etiam condescendit: omnibus omnia factus sum &c.* Si autem Superior nimia condescensione usûs fuerit, prima quidem fronte conciliabit sibi animos talium subditorum, maximè si ad laxitatem proniores fuerint; & eas, qui religiosiores fuerint, sibi aversos faciet, immo in fine omnes sentiet contra se querelas effutientes corde indignabundo. Quod agnovit *Climacus* de officio Pastoris sic loquens: *Qui verò secundùm apparentiam in benignitate, & condescensione talibus indulgentiam donat, in tempore exitus facit se miserabiliter maledici, sicut qui eos magis seduxit, & non profectus utilitatem fecit.*

III. Ubi autem Prælati bonô exemplô, doctrinâ, oratione, & possibili accuratione conati sunt satisfacere cunctis officiorum suorum partibus, Deus eorum conatibus aderit, dans provectum & effectum illum, qui divinæ placuerit providentiæ, ad communitati adsistendum, cujus ipse Pater erit, & provisor, & gubernator, & conservator. Proinde ipse expleti & contenti esse possunt (ut loquitur *Alfonsus à JESU Maria* disc. 13. consil. ult.) tali enim modo perfecêre, quod Deus ab ipsis requirit, ac divinæ gessêre morem voluntati, quæ omnis veræ consolationis, animique expletionis fons, & origo est. Nec ipsos moveat, aut ægrè habeat, quòd in sua communitate

tate cernere debeat nonnullos imperfectos, & remisso fervore enerviter viventes, qui ex regimine ipsorum eum, quem optarunt, non hauriunt animæ suæ fructum, immo præter hos etiam reperiantur in eadem communitate, qui facilè conquerantur, eumque affligant. conturbent, & persequantur. *Necesse est enim, ut veniant scandala*, Matth. 18. 7. Quid mirum? in parva communitate, cujus Prælatus fuit ipse Christus, unus fuit nequam & diabolus, & tamen ab ipso toleratus. Absit; ut propter hoc despondeat animum, immo potius amplius animum erigat, perque confidentiam in Deo roboret; quamvis in aëre arasse, aut supra petram seminasse sibi videatur: Deus enim etiam petram in terram optimam convertere tandem potest. *Habentes igitur talem fidem, multa fiducia utimur*, 2. Cor. 3. 12.

IV. *Cupimus autem unumquemque vestrum eamdem ostendere solicitudinem ad expletionem spei usque in finem, ut non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide & patientia hereditabunt promissiones.* Hebr. 6. 11. Hoc proinde est, quod Salvator noster (teste S. J. *Chrysost.*) sub parabola Satoris docere nos voluit, ut, attentô eô, quod divinus sator fecit & quotidie facit, ad idem præstandum nobis animum adderet, prout patet ex his ejus verbis in Matth. cit. à *D. Thom.* in in cat. aur. *Per hanc parabolam discipulos erudit, etsi plures audientium eos fuerint qui pereunt, ut non propter hoc desides sint: quia nec propter hoc Dominus, qui omnia prævidit, destitit à seminando.* Tales Prælati sciant, quòd impenso non frustran-

di

di sint labore, quamvis omnibus adhibitis mediis nihil proficiant. Immo (ut ait cit. auctor) è contra, si in his cum moderatione debita indefessi sint occupationibus, tum Deus faciet ipsis favores speciales & non absimiles illis, quales Deus fecit Moysi, dum conat⁹ fuit populum murmurantē per desertum deducere, pro iisque orare, ipsisq; quo poterat modo providere cum premerentur fame & siti: is parum profecit in duræ cervicis populo; & tamen in omni virtute, & maximè in Dei amicitia profecit plurimùm.

V. Interim Superiores quicumque S. *Bernardi* salubetrimo monito se conformare studeant, qui inquit in sententi. *Vigilant illi super gregem, propter tria, videl. ad disciplinam, ad custodiam ad preces: ad disciplinam, propter morum correctionem; ad custodiam, propter diabolicam suggestionem; ad preces, propter tentationum instantiam: In disciplina rigor est justitiæ, in custodia spiritus consilii, in prece effectus compassionis.* h. i:

CAPUT XIV.

Labor corporalis, mendicatio, & ad alios mendicantes miseratio, sunt medium conducens ad regularem vita communitatem conservandum.

1. *LAbor corporalis* (qui tamen non est omnium) est medium maximè proportionatum ad hoc, ut religiosi in communi vivere possint; quia videl. per eum acquiruntur necessaria vitæ subsidia. Quem & verbo & exemplo suo sæpe recommendat *S. Paulus Apostolus*: Summopere dilexit, suisque fratribus mandavit S. P. N. *Franciscus*; qui maluit ut ex labore, quàm ex continua mendicatione (si fieri posset) fratres victitarent, propter tres causas, 1. quia præceptum divinum est, homini prævaricatori & pœnitentiam acturo datum: *in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* 2. ne nimis obruerent homines. 3. ne alios pauperes forte plùs egentes defraudarentur, utpote quib⁹ deperiret id, quòd jam his fuisset datum. Idem S. P. N: hæc de labore præcipit in Regula c. 5. *Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & devotè, ita, quòd excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis & devotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deservire. De mercede verò laboris pro se & suis fratribus corporis necessaria recipiant &c.* De labo-

re

re hæc dicit in testamento suo, quod, insignitus sacris stigmatibus, Spiritu S. plenus prope finem vitæ suæ nobis reliquit. *Ego manibus meis laborabam: & volo laborare: & omnes alii fratres mei firmiter volo quòd laborent de laboritio quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt, addiscant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum, & ad repellendum otiositatem* h. i. Et de eo *S. Bonav.* in vita ejus c. 5. v. 5. sic inquit: *Otium autem omnium malarum cogitationum sentinam docebat summopere fugiendum: exemplô demonstrans, rebellem carnem & pigram disciplinis continuis, & fructuosis laboribus esse domandam. Unde corpus suum fratrem asinum appellabat, tamquam laboriosis supponendum oneribus, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo, sustentandum, Si quem verò cernebat otiosum & vagum, aliorum velle manducare labores, fratrem muscam nominandum censebat, eò quòd talis nihil boni faciens, sed benefacta inficiens, vilem & abominabilem se omnibus reddat. Propter quod dixit aliquando: volo fratres meos laborare. & exercitari; ne otio dediti, per illicita corde & lingua vagentur.* h. i.

II. De labore manuali sequentia in Regula sua præscribit *S. Benedictus* c. *48. Si autem necessitas loci, aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur: quia tunc verè monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt; Sicut & Patres nostri & Apostoli. Omnia tamen mensuratè fiant, propter pusillanimes. Ante omnia sanè deputentur unus aut duo seniores,*

res, qui circumeant monasterium, horis quibus vacant Fratres lectioni, & videant, ne forte inveniatur frater acediosus, qui vacat otio, aut fabulis, & non est intentus lectioni, & non solùm sibi inutilis est, sed etiam alios extollit -- Si quis verò ita negligens & desidiosus fuerit, ut non velit, aut non possit meditari aut legere, injungatur ei opus quòd faciat, & non vacet. Fratribus infirmis vel delicatis talis opera aut ars injungatur, ut nec otiosi sint, nec violentia operis opprimantur, ut effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est. h. i.

III. De labore hoc præcipitur in magno Regulario in Regula cujusdam Magistri §. 12. *Monachos semper oportet laborare, & sine solicitudine vitam suam transigere. Omnia quaecumque laboraverint, excepto pane exiguo, & vestimento, pauperibus distribuant. Cura pauperum semper facienda est; & omnia nostra cum charitate fiant, & sine charitate infructosa sunt opera nostra ante Deum.* Et §. 14. hæc discernit. *Non magnopere curandum est, quo modo unusquisque laboret; sed quomodo unusquisque vivat. Quomodo res, & ratio, & situs loci unicuique permiserit, semper laborandum est, & lex Dei, qua, sive visibilia sive invisibilia continet, observanda est.* h. i. Et in majori Regulario Respondit Dominus per Magistrum. *Omnis homo in vita saculi hujus tribus rebus excitatur, laborat, & studet; peregrinus in via, miles in pugna, Imperator in palatio, agricola in agro, mercenarius in negotio, omnes excitantur & laborant, ut habeant, dum vivunt, unde vesti-*

vestiantur, calcientur, & vivant. Sed quibus Dominus servitii sui contulit donum, & ostendit eis non satis de præsenti sæculo cogitare, quia hæc omnia pertranseunt, & omnia ista quæ videmus & utimur, paucorum in nobis dierum sunt usu, & momentanea cum vitæ nostræ tempore transeunt. h. i.

IV. Alii quoque Ordinum fundatores Religiosis suis manuale laboritium ad corporis exercitium præceperunt. *S. Bernardus* amator ipse laboris manualis, quamvis corpore esset debilis & tenellus, laborem exigit à Monachis, tamquam opus pœnitentiæ, & humiliationis: unde in speculo monachorum jubet ita per diem fatigari laboribus, ut *lassus veniat ad stratum.* Sed in hoc magna discretio adhibenda est ab eis, maximè qui deputati sunt divino officio noctuque diuque in choro persolvendo, & literariis insuper occupationibus incumbere debent. Ad has & illas spiritus fit promptior (ut experientia docet) per manualem laborem moderatum, aliudve corporis exercitium, vg itinerationem modicam, ludum aliqualiter Membra externa occupantem &c. at per nimium opprimitur, aut impeditur, & hinc fit ineptior. *Porro Cartusienses* nullum ad habitum admittunt, nisi is habeat animum, ut possit, ad corporis exercitium, spiritûsque fomentum & erectionem, certo aliquo manuali labore se occupare. *Ratio Congua est*; quia homo mortalis, communiter non est aptus, nec sufficiens arcum semper habere intensum & intentum spiritalibus ac cæleſtibus, nisi placida interruptione

corporalem & quietem & occupationem, excitetur, animetur, roboretur, & nonnihil pausare sinatur.

De labore hoc decernitur p. 3. constit. Soc. Jesu c. 2. *Ut non expedit, tanto labore corporali quemquam onerari, ut spiritus obruatur, & corpus detrimentum patiatur; ita aliqua corporalis exercitatio, quæ utrumque juvet, omnibus communiter convenit, etiã illis qui mentalibus exercitiis debent insistere; quæ quidem externis interrumpi deberent, & non continuari, nec sine mensura discretionis assumi.* h. i. Et p. 10. *Moderatio laborum animi & corporis, & in Constitutionibus, quæ ad neutrum extremum rigoris vel dissolutionis vergant (ut sic melius observari possint) mediocritas conferet ad durationem, & totius corporis in suo statu conservationem.* h. i. Et p. 3. c. 1. *Omnes quamdiu corpore bene valent, in spiritualibus vel exterioribus rebus habeant, in quo occupentur. Et qui officium vel ministerium aliquod certum habent, ut de auxilio providendum est eis si sit necessarium; ita cùm vacant, aliis rebus occupari deberent; ne otium malorum omnium origo, quoad ejus fieri possit, domi nostræ locum habeat.* h. i.

V. In labore præbuit exemplum *D. Paulus* 1. Thess. 2. *Nocte & die laborantes, ne quem vestrûm gravaremus*, utique in acquirendo necessarium victum & amictum. De qua procuratione dicit *S. August.* de serm. Dom. in monte, exponens illud, *Nolite soliciti esse &c.* & dicit: *Satis apparet, Dominum nostrum non hoc improbare, si quis humano modo illa procuret; sed si quis propter ista Deo*

militet. h.i. De quo *S. Bonav.* in Regul. c. 5. docet: *Sciendum, quòd omne genus hominum ad aliquod exercitii genus utile, pro loco & tempore obligatur præceptoriè, ut dicitur in Genesi c. 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo: unde qui ad majora apti non sunt, præcepto Apostoli labore sunt corporeo exercendi. Dicit enim ipse: audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes (2. Thessal. 3.) his autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus &c. impium est autem, illud, quod otiosis & curiosis dicitur, velle ad alios extendere, qui sublimioribus, & utilioribus sunt intenti.* h.i. De quibus in sequenti Capite.

VI. In labore corporali meritò computatur *mendicatio*, seu *quæstuatio*, quæ sicut corpori est satis operosa, onerosa, molesta, ac fastidiosa, utinam & spiritui mendicantium foret semper pariter meritoria & fructuosa! attamen hoc si non fiat, est ex particularium vitio seu defectu mendicantium. Huic mendicationi meritò applicari gaudent Guardiani verbum S. P. N. *Fratres illi, quibus Dominus dedit gratiam* mendicandi, mendicent *fideliter & devotè &c.* prout suprà. Super quæ verba *S. Bonav.* lc. inquit: *in hac gratia laborandi intelligo vires corporis, & habitum artis acquisitum, ac habilitatem, etiam artem acquirendi. Laborent fideliter respectu sui & proximi, & devotè respectu Dei, ut scil labor ipse in gloriã Dei dirigatur. De cujusmodi autem laboris genere loquatur, patet ex rationibus laboris, quæ sunt tres, scil. exclusio otiositatis, inflammatio devotionis, adeptio etiam sustentationis necessariæ corporalis.* h.i.

Ut

Ut autem molestum hoc & valde onerosum mendicandi per civitates & pagos onus, Fratribus fieret portatu suavius & acceptius, spe lucri (non corporalis solum, quod in pingui eleëmosyna putant consistere) spiritalis eos animarunt Summi Pontifices, inter quos, Urbanus VIII. Fratribus pro amore Dei quæstuantibus 40. dierum indulgentiam liberaliter concessêre. Tales autem Quæstores seu Terminarios, ut vocant, ornent multæ virtutes, quibus allecti sæculares libentiùs erogent eis eleëmosynas. Insint eis exemplaritas, devotio, morum compositio, vultûs verecundia, laborum patientia, obsequendi omnibus promptitudo, humilis reverensque ad omnes subjectio, morum comitas, sobrietas, vigilantia, amor pro sua Religione, & animi gratitudo, mansuetudo in verbis ac moribꝰ, abstinentia, & fervor &c. de quibus fusiùs agere non est propositi mei. Absint autẽ eis nimia loquacitas, scurilitas, temulentia, indevotio, tepor, somnolentia, otiositas, ingratitudo, irreverentia, irresignatio, inobedientia, capitositas, impatientia, ira, murmuratio, acedia. Diligenter custodiant linguam suam, oculos, aures, manus, & cor. Imitentur S. Paulũ, *Omnibus omnia factus sum.* Ex proposito non sint bajuli literarum aut rumorũ incertorũ: Attamen obsequia charitatis & gratitudinis non prohibentur eis. Sequantur exemplum Fr. *Felicis Capucini*, qui jubebat habere rosarium in manu, oculos fixos in terram, cor erectum in cælum. Monitum S.P.N *Francisci* audiant & sequantur, qui Fratribus per obedientiam à se emissis hæc instructionis dabat ver-

verba, ad cordis cautelam, consolationem, & munimentum. *Estote*, ajebat, *in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graves, & in beneficiis grati: quia pro his omnibus regnum vobis praparatur æternum.* h. i. Scio quòd insuper Guardiani in suis terminariis, ut sint magis proficui conventui, & grati, requirant aliquam naturalem eloquentiam, & amicam affabilitatem, per quam possint se omnium moribus, occasionibus insinuare, contemperare, corda & aures hominum emollire (nam non omnes dant eleëmosynam purè propter Deum) hæc dona non sunt contemnenda; interim his prævalet, si sacerdos Terminarius exemplari vita, concione apta, fervore in animarum lucro, Sacramentorumque sibi licita dispensatione affectum & manum lucretur benefactorum. Insuper superbiam evitent ubique, cedant, & deferant libenter aliis; nam *cedere majori bene stat pro Fratre Minori.*

VII. Ne autem Benefactores indignè ferant Religiosorum mendicantium quæstuationem, aut molestiâ, vel tædio afficiantur; dignentur audire, quæ ad ipsorum informationem, & nostram consolationem loquitur *S. Bonav.* circa Regulam S. P. N. q. 8. *Plures modò mendicantes sunt in Ecclesia de diversis ordinibus: & quod nobis solum dabatur integrum, nunc minutatim dividitur in plures; unde cogimur nunc latius tantò vagari, quò minus in locis sin-*

singulis datur nobis. Quod enim aliquando offerebatur nobis non quærentibus, nunc vix per diversa minutatim colligimus cum rubore. Et oportet nos petere; quia non petentibus parum datur, dum ex multitudine petentium homines sunt lassati. Qui autem per se nihil habent, necesse est, eos omnia quibus indigent, ab aliis postulare, vel carere; nisi velint illicitè acquirere, vel quocunque modo apud alios deservire; vel nisi gratis eis donetur. h. i.

VIII. De mendicatione hac religiosis & licita & meritoria hæc dicit *Laurent. de Peyrinis* Genuens. supram. cit. Tom. 1. q. 1. c. 24. §. 1. in object. 6. *Nec per hoc damno quæstuationes; nam per ipsas datur crebrius devotis amicis, & fidelibus occasio eleëmosynas faciendi, & consequenter merendi. Et quæstuarii Fratres etiam ipsi multum merentur, & obedientiam faciendo &, quod maximum duco, eleëmosynas petendo: nam non levi mercede emit, qui precatur, ut ait Apuleius. Et Seneca l. 2. de beneficiis c. 1. nulla res cariùs emitur, quàm quæ precibus empta est.* h. i.

IX. Cùm autem dicat Evangelium: *quod vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Hinc, sicuti Religiosi mendicantes læti vident manus aliorum in suis sibi necessitatibus extentas; manus proprias ad alios mendicantes, dum possibilitas adest, non ser-

vent contractas : imitantes in hoc exemplum S. P. *Francisci*, De quo *S.Bonav.* in vita c. 8. Pauperum amator *Franciscus clementiam habebat ingenitam, quam superinfusa Christi pietas duplicabat. Itaque liquescebat animus ejus ad pauperes & infirmos : & quibus non poterat manum, exhibebat affectum -- Dicebat enim: dum pauperem vides O Frater, speculum tibi proponitur Domini, & pauperis Matris ejus : in infirmis similiter infirmitates, quas assumpsit, considera. Cùmque in pauperibus cunctis & ipse christianissimus pauper effigiem Christi profiteretur; siquæ etiam necessaria vitæ sibi collata fuissent, eis occurrentibus non solùm liberaliter conferebat, verùm etiam ac si illorum propria essent, judicabat esse reddenda.* h. i. De eodem adhuc sæculari existente scribit idem S. *Bonavent.* c. 1. vitæ. *Pauperibus mendicantibus non solum sua, verum etiam se ipsum cupiebat impendere : aliquando vestimenta exuens, aliquando dissuens, aliquando scindens, ad largiendum eis, cum præ manibus alia non haberet. Sacerdotibus etiam pauperibus reverenter subveniebat & piè, præcipuè in ornamentis Altaris; quò & cultûs divini particeps fieret, & cultorum inopiæ supplementa præberet.* h. i. Ex hac miseratione sua tam pia hoc unum lucratus est dives in paupertate *Franciscus*, quòd suæ *paupertatis horreum*, seu, ut melius dicam, *divinæ providentiæ gazophylacium* erga hunc paupertatis amatorem, & pauperculam familiam ejus, numquam absumatur,

matur, numquam exhauriatur, sed, instar putei aquarum viventium, semper saliat, numquam exsiccetur. Pro qua *gratia continua* Grex pauperum religiosorum non habet, quod Deo retribuat, nisi *continuum Deo gratias* in omni oratione & operatione sua.

CAPUT XV.

Labor Literarius est etiam congruum medium ad conservandum religiosorum communitatem, seu vitam communem. Status Religiosus non facilè mutandus.

1. DE hoc loquitur *S. Bonav.* in c. 5. Regulæ: *voluit ergo S. Franciscus summè Fratribus imponi exercitium, quod perfectissimè excludit otium, quod summè nutrit devotionis affectum, quod laudabiliori modo NB. corpori necessaria subministrat. Labor autem corporalis etsi excludat otium à corpore, tamen pro tanto ad modicum utilis est, quia à corde sordes & otium non excludit; sicut patet in mechanicis, qui inter labores corporales solent turpissimos sermones eructare. Studium verò sapientiæ ipsum cor occupat. Unde in Prov. c. 23. dicitur: Fili præbe mihi cor tuum; & Sapientiæ c. 8. labores hujus magnas habent virtutes. Ideo dicit*: excluso otio animæ inimico. *In Eccles. dicitur c. 33. multam malitiam*

docuit otiositas. Hieron. ad Eustochium: *teneas firmissimè, quòd omnis concupiscentiæ & immunditiæ & peccati mater est otiositas. Item labor ipse sapientiæ excitat summæ devotionis affectum. Unde Sapient. c. 8. immortalitatis mater est in cogitatione sapientia, & amicitia illius delectatio bona, & in operibus manuum illius honestas sine defectione. Ideo addit ut sanctæ orationis, & devotionis spiritum non extinguant.* h. i. & subdit, quæ ad rem faciunt plurimùm.

II. *Modus autem laudabilissimus corpori necessaria acquirendi est & in prædicationibus, & doctrinæ laboribus exerceri. Labor enim mechanicus condignè circa pretia compensatur: non est autem digna compensatio receptio corporalium spiritalia seminanti. Unde S. Paulus* 1. *cor. 9. si vobis spiritalia seminamus, non est magnum, si carnalia vestra metamus. Ideo addit: de mercede verò laboris corporis necessaria recipiant. Dignus est enim operarius mercede sua. Hoc Apostolis existentibus prædicatoribus dictum est; quia Prælati illo tempore nondum erant. Et, ut dicit August. l. de opere Monach. c. 6. quatuor generibus hominum licet de evangelio vivere, scil. ministris Altaris, qui sacrificium offerunt pro populo, eidem divina cantica decantando, item dispensatoribus sacramentorum, ac Evangelistis, ac illis, qui ante conversionem suam habuerant sufficienter unde vivere poterant: quod pauperibus erogaverunt.* h. i.

II,

III. Quòd autem labor literarius longè præferendus sit labori corporali, idem Seraphicus Doctor docet lc. dicens. *Unde ipse Dominus universæ perfectionis exemplar numquam legitur aliquo laboris genere laborasse, sciens, quòd licèt Paulus, qui habuit spiritum in plenitudine, & sapientiam sine studii labore, stipendiariè laboraverit: non potest tamen hoc communiter fieri ab his, qui circa procurandam salutem hominum sunt solliciti vitâ & verbo, sine hujus solicitudinis detrimento. Præterea labor sapientiæ simpliciter est melior corporeo labore, quamvis in casu possit labor stipendiarius esse necessarius prædicanti. Dominus igitur, quod simpliciter est prædicanti melius, eligens, non laboravit stipendiariè, ne Doctores non laborantes arguerentur, vel labore tali impedirentur. Unde nec Paulus ubique sed alicubi laboravit. Quia igitur quidam Fratrum gratiam habent laborandi spiritualiter, quidam verò corporaliter tantùm, omnibus dans regulam generalem, ut unusquisque gratia sibi data utatur, dicit: Fratres illi, quibus dedit Dominus gratiam &c.* h. i.

IV. De causa excusante receptionem loculorum, ita scribit idem Seraph. Doctor in expositione Regulæ c. 4. *Qui igitur tantùm pro aliis habent loculos, ad hoc auctoritate Ecclesiæ compulsi, & si quantum in se est, optent pro se carere loculis, ad se autem servantes districtionem paupertatis, ut patitur infirmitas, dum sint in alios affluentes; sic non habentur loculi in doctrinæ præjudicium, vel impedimentum; sed eos habent sine omni imperfe-*

ctione: quia conveniunt cum Christo in habendo, & in habendi ratione. h. i.

V. Merces autem laboris literarii, & cujuscumque alterius (quæ licitè recipitur, juxta verbum S. P. N. *Francisci*) in commune commodi conferatur, prout & *S. Augustinus* in sua jubet Regula, *nemo sibi aliquid operetur.* Et *S. Bern.* Epist. 42. *bona oblivio, si teipsum nescias, ut proximo prosis.* Et l 3. imit. c. 54. §. 2. *Natura pro suo commodo laborat, & quid lucri sibi ex alio proveniat, attendit. Gratia autem non quod sibi utile & commodum sit, sed quod multis proficiat, magis considerat.-- Et §. 4. natura cupida est, & libentiùs accipit, quàm donat: amat propria & privata. Gratia autẽ pia est & communis, vitat singularia, contentatur paucis, beatius judicat dare quàm accipere--Et §. 5. Natura totum agit propter lucrum & commodum proprium, nihil gratis facere potest, sed aut æquale, aut melius, aut laudem vel favorem pro benefactis consequi sperat.* h. i. Talem se opere exhibuit *S. Bern.* de quo in vita ejus prope finem: *Ita sese omnium fecerat servum, ac si toti genitus orbi: ita tamen liber ex omnibus conscientiæ suæ curam gerens, tamquam soli deditus curæ & custodiæ cordis sui.* h. i. Et ipse *S. Bernardus* in vita S. Malachiæ serm. *ita totus suus, & totus omnium erat, ut nec caritas à custodia sui, nec proprietas ab utilitate communi eum impedire, aut retardare in aliquo videretur.* h. i.

VI. Cùm sciam subinde nonnullos Religiosos angi, & stimulari (nesciunt, à quô spiritu) inquietante solicitudine, & desiderio transeundi ad alia Reli-

Religionem, eò quod ſuam minùs perfectam, aut deformatam, aut vitæ communis regulas, non exactè ſervantẽ opinentur, aut ſciant: hos ſi Spiritûs S. trahat (prout ſæpe evênit) ego nolo retrahere; attamen, ſi id perſpectum non habeant, credant *S. Bonaventuræ*, quòd inter imperfectos poſſit quis ſanctiùs vivere, ſicut & Noë, & Lot inter peccatores, à quibus non inficiebantur; ſed accumulabant merita ſua, opponendo ſe impiis, & non communicando operibus eorum malis, patienter ſufferendo exempla mala; & inde evenientem vilipenſionem ſuæ Religionis. Qui flante vento, imbre irrigãte, conſervat ardentem lucem, felicior eſt. Quod alii non faciunt communiter, poteſt quis nihilominus in privato facere: difficultas operis, & raritas ejus erit cauſa mercedis amplioris. Audiat deſuper conſilium *L. Peyrinis* lc. §. 2. ubi ad quæſt. *an laudabile ſit de una Religione tranſire ad aliam*, inquit: *Dicendum eſt, tranſire de una Religione ad aliam, niſi propter evidentem neceſſitatem, non eſſe laudabile. Ita D. Thom. 2. 2. q. 189. a. 8.* Primò, *quia dicit Apoſt. 1. Cor. 7. ut unuſquiſque permaneat in vocatione, qua vocatus eſt.* Secundò, *ob ſcandalum illorum, quos relinquit.* 3tiò, *quia faciliùs quis proficit in Religione, quam conſuevit, quàm in illa, quam non conſuevit. Ait enim Caſſianus collat. 14. c. 5. unicuique utile eſt ſecundùm propoſitum, quod elegit, ut ſummo ſtudio & diligentia ad operis arrepti perfectionem pervenire feſtinet, & nequaquam à ſua, quam elegit ſemel, profeſſione diſcedat.* h. i. Quartò, *quia ait S. Bern. de præc. & diſp. prope finem: fortè vult aliquis*

quis de Cluniacensibus institutis ad Cistercienstū sese stringere paupertatem eligens præ illis nim. consuetudinibus magis Regulæ puritatē: si me consulit, non consulo, si non sanè id Abbatis sui usurparit assensū. 1. propter scandalum ipsorum, quos deserit. 2. quia certa pro dubiis relinquere tutum non est. 3. suspectam habeo levitatem, qua id sæpe quod facilè volumus, antequam probemus, experti jam nolumus, uno propè momento idipsum & cupientes & respuentes tam leviter quàm & irrationabiliter. Quales utique non paucos frequenter experimur, qui unâ vix horâ in una voluntate durantes, aurâ levitatis impulsi, vagi, & instabiles hac & illac velut ebrii nutant, mutantque pro experimento judicium! Immo sine judicio fluctuantes & tumultuantes, tot de se consilia sumunt, quot loca revisunt, semper quod non habent, cupientes, & quod habent, fastidientes. h. i. Et verè maximum est levitatis & instabilitatis, ne dicam, ingratitudinis indicium, priorem Matrem, cujus ubera sucta sunt, deserere; cùm præsertim nulla sit tam relaxata Religio NB. quæ viros multos exemplari vita, religiosis moribus, & sanctitate refertos non nutriat, ut experientia constat. Non nego tamen, quòd una plures, quàm alia, alat. Sed hoc nihil facit; nam decet Religiosum exempla perfectionis non à multis, sed ab uno vel paucis expetere, ut optimè Cassian. l. 4. de instit. renunt. c. 40. Ad quod, ait, ut valeas pervenire, exempla tibi sint imitationis ac vita perfecta in congregatione commoranti, à paucis, immo ab uno vel duobus, non à pluribus expetenda. Nam præterid, quòd examinata vita & ad purum excoctaperitiæ

peritur in paucis, etiam istud ex hoc utilitatis accedit, quòd ad perfectionem propositi hujus, id est, cœnobialis vitæ, diligentiùs quis unius imbuitur ac formatur exemplo. h. i. *Cùm ergo nullus sit Conventus, qui unum saltem Religiosum non nutriat vitæ exemplaris; plùs proficiet, si voluerit, quis hujus exemplo in sua Religione, quàm si transierit ad aliam, in qua multi tales reperiantur.* Hucusque cit. L. de Peyrinis.

VII. Ut autem ad laborem literarium redeamus, à quo digressi sumus; hic subjiciam, quæ de eo in nostris *Constit. Urban. in c. 5. Regulæ tit. 1.* decernuntur: ut omnis otii occasio à Religione tollatur, decernitur, ut, cùm non omnes apti, vel etiam necessarii sint ad studia litterarum; Prælati omnes & singuli, ad quos spectaverit, quos ad studia pronos, idoneosque noverint, consilio, gratia, industria, ac omni opera foveant, quò aptiùs, utiliùsque iis incumbere possint. Alios verò ad rem literariam minùs accommodatos otio torpere nullô pactô permittant; sed ut præsertim conscientiæ casibus operam navent, aut si manualibus exercitiis apti fuerint, aliquam addiscant, seu quam didicerint, exerceant artem, sedulò curent. *Ibidem tit. 7.* Præcipimus, firmiterque mandamus, ut Fratres nostri, quantum fieri potest, studiis insudantes, opera ad majorem Dei gloriam, S. Matris Ecclesiæ exaltationem, Religionisque decorem in lucem edere studeant, & quàm maximè nitantur. *h. i.* Ad hunc laborem literarium conatur desidem quemque excitare Reverendiss. P. N. Generalis *Jacobus Bagnacaballensis*

lensis in epist. Pastorali de reformat. studiorum, hìc Coloniæ 1619. per typum publicata 6. Januarii, in qua sic inquit : *Majores tui non tot, tantisque affluebant, sicut tu, rerum commoditatibus, ipsi tamen quot, quantosque pro communis vitæ observantia in vinea Domini perpessi sunt labores; sustinuêre incommoda?* -- *Tu autem eos prætergressus es annos, quibus tot Superiores & Majores tui præclaros, & saluberrimos aborum suorũ fructus publico cunctis gentibus declararunt testimonio, neque ullum quidem cœpisti adhuc moliri illustre opus viro religioso & sapiente dignum: sed jucundè vivis, & lætos agis, nullâ te afficiente curâ, dies & annos. In utramque dormis aurem, & somno consputus, quinimmo consepultus jaces, otio, torpore, & negligentiis tabefactus, filius à paterna tot illustrium Majorum tuorum virtute nimium degenerans, germen infrugiferum fecundissimæ plantæ. Primæva ætate laborasti paululum, quoniam aut ab aliquo urgebaris, qui curam tui gerebat, aut quia deceptus quodã ambitiunculæ fumo, qui te adimmoderatam alicujus mundani honoris libidinem trahebat.* h. i. Et infra: *Si ad pompam & fastum concupieris Doctoratum, ut nempe ceteris tuis Confratribus præferaris, ut à laboribus cessando, otium sectaris; ut hoc nomine dignatus, tuo jugiter famulo obsequium animo, ut ad tui nativi, vel alterius Conventus commodis & bonis utendum te recipias, rem perniciosam & damnabilem moliris, & non leviter peccas.* --*immo Superiores cùm te inutilem, & nullius frugis factum animadvertant, indignum te & ab eo amotum declarare debent.* h. i. NB. Idem

Idem supponit ibidem, juramentum de vitæ communis observantia suo tempore præstari debuisse à FF. Minor. Conventual. dum à Reverendiss. P. Generali Ordinis laurea Doctoratûs donãtur. *h,i.*

VIII. *Quæres incidenter*, ratione laboris manualis & literarii; in quibus bona Religio cognoscatur, & una melior altera judicetur. *Respondet* Doctor Seraph. in determin. qq. circa Regulam S. P. N. *Francisci* q. 18. his formalibus. *Sæpe in uno & in aliquibus præcellit unus Ordo alterum*, ut iste in labore, *alter in silentio, alius in abstinentia, & in similibus. Sed generaliter in istis agnoscitur, quis sit melior.* 1. *Si in studio omnis virtutis communiter personæ illius Ordinis fervent iùs & frequentiùs exercentur, maximè charitatis & humilitatis, & internæ devotionis; est signum bonum præcellentiæ, & perfectionis.* 2 *Si omnia vitia & scandala odio habent, & solicitè cavent, & occasiones peccatorum amputant, & extirpant, & munditiam diligunt, & conservant.* 3. *Si boni apud illos diliguntur, & foventur, & despectis aliis, in regimine animarum soli assumuntur, & per eos maximè gubernatur Ordo. Qui negligit modica, paulatim decidet, Eccl: 19.* 4. *Si à sæculari frequentia se subtrahunt, & honores fugiunt, divitias non ambiunt, & conformari huic sæculo tam in moribus quàm factis, seu qualibet apparentia erubescunt.* 5. *Si damnum & injurias illatas, ac despectiones tacitè sufferunt; nec per querimonias vindicare se cupiunt, sed Deum omnium inspectorem attendunt, qui suos cùm vult, potest defendere. Cùm verò expedire eis noverit, permittit eos pro altiori præmio*

tribu-

tribulari, & patienter ferunt, donec placuerit Deo aliter ordinare. Quæ ista signa plenius habent, Religiones meliores sunt; & quæ minùs, sunt minùs bonæ; & quæ nihil, nihil sunt. Qui etiam singulariter in se habet, bonus est, etiamsi alii communiter non habent. Hucusque Doctoris Seraphici litera.

IX. Præ labore literario, adhuc immediatior est (quamvis ad illum aliqualiter reduci possit, ac debeat, ne ille sterilis, & infructuosus sit) labor spiritalis, pro Dei providentia, Benefactorùmque mortalium benevolentia sibi conciliandа. Non quidem quasi hic ob temporale lucrum sit primariò peragendus (is enim Ordo planè perversus est) sed, quia, dum Religiosi illô solicitè occupantur, pro Dei gloria, & animarum salute, Deus vicissim solicitudine paterna (ut ita loquar) providet, ut corporibus simul & animabus eorum necessariæ suppetant provisiones: *Dignus est enim*, ait ipse, *operarius mercede sua.* Talis labor consistit in missis celebrandis cum debita devotione, intentione, corporisque compositione: in concionando, catechizando, sacramenta administrando: Templa, Altaria, Oratoria, & loca orationi deputata ornando, mundando, & decenter conservando: opera misericordiæ & corporalia & spiritualia libenter, ex animo, & cum gaudio, proximis quantumvis personis alioqui contemptibilibus præstando: specialem devotionem ad sacratiss. Christi Domini passionem, agoniam, Vulnera quinque sacra, aut mortem; item ad Beatissimam V. Mariam, alioque SS. Patronos, & in propriis Ecclesiis, & extra apud rurico-

las

las & simplices promovendo : & animarum tam propriarum, quàm alienarum lucro nihil præponendo, juventutem in scholis erudiendo &c. De hoc fusius agere non est mei propositi pro nunc, ne liber hic extra materiam propositã vagetur. Apud hos autem cùm major charitas inveniatur, majorque perfectio (cùm illa sit vinculum perfectionis) etiam major inter ipsosmet Religiosos erit *unitas, & in unitate communitas.* Si enim tales exerceant opera charitatis & misericordiæ ex purissima intentione erga proximos externos, quantò magis erga inquilinos, scil. suos Confratres? Experientia quotidiana in Religiosis talibus probat hujus meæ assertionis veritatem. Illi autem Religiosi, qui continuò pro laboribus spiritalibus exigunt, urgent, intendunt, anxièque exspectant, aut per modũ contractus præexcipiunt retributionem corporalem solicitâ avaritiâ, sterili ac frigida charitate, hi quia viles habentur coram Deo & hominibus, ut suprà cit. *S. Bonav.* dicit, hinc non inveniunt, quod quærebant, sed

sæpe in corpore & spiritu manent miserè pauperes, sordidè inopes, involuntariè egentes.

CAPUT XVI.

Otium ab omnibus fugiendum, ut vita communis à Regularibus possit commodiùs & firmiùs conservari.

I. QUantum obsit *otium* S. Communitati introducendæ aut conservandæ, satis dixit Rdms P. N. Generalis *Jacobus Bagnacaball*, lc. dum inquit: *Quoniam quæ in nostra Religione negligentia & otium inolevit, omnem pariter induxit solutioris vitæ luxum; & causa est potissima, quare multi aliquando Conventus ea commoditate carent. NB. Per quam vitæ communis observantia sustentatur: quoniam multi in hac Religione (quod bonorum veniâ dictum sit) negligentes & otiosi frigescunt, qui de communi vivere præsumunt, & laborare pro communi recusant. Quamobrem ut unumquemque eorum ab hoc otiositatis & negligentiæ lethargo excitem, quò ad subeundum pro communi utilitate laborem magis se comparet, exemplum de formica unà cum Sapiente proponam, & minutuli hujus animalis in coacervandis ad communem commodum granis diligentiam admirando, erubescat, & confundatur. Unde ad formicam, Oper &c. Prov. 6. Istud quidem satis bellè adaptari videtur cuique laborem cum vitæ communis observantia subterfugienti.---- Cogitetis quæso, quid unicuique vestrum agendum sit, cùm præceptorem & ducem (licèt immerentem, & peccatorem) habeatis, qui divina fretus ope, obnixè conatur, ut vita communis, & disci-*

disciplina regularis ad congruentem, & quam decet, exactam revocentur obedientiam; quique paterno nititur affectu, unumquemque ad hanc vivendi Apostolicam rationem & formam excitare. Usquequò piger dormis? quando consurges è somno tuo. Nonnulli reperiuntur, qui operam literis, & Prædicationibus perquã studiosè navant: Cùm autem de vitæ communis observantia inducenda, & de congregando pro communi Fratrum necessitate sermo fiat; temerè & imprudenter os aperiunt, in dictam observantiam invehendo, & jactitantes dicendo: quis est, qui hujus vitæ communis institutum complecti velit? absit, quòd ego laborem, alter verò meis laboribus & industriis edaciter saturetur. Manifestissimè constat hujus generis Religiosos esse utique scientia inflatos, & quid sit sapientia, ignorare. In quibus scientia reperitur, quæ inflat; cùm se excellentes S. Theologiæ Magistros existiment, & peritissimos Regentes, Lectores aut Concionatores haberi inaniter glorientur. Ab eis, sine dubio, quàm longissimè veræ scientiæ consors charitas abest. h. i.

II. Religiosos *otiosos, S.P.N. Francisc.* non immeritò appellavit muscas, utpote sibi inutiles, Deo odibiles, religioni nocivos, confratribus suis onerosos, cõmunitatis turbatores, proximisq; ingratos. De his quoniam dicit *S. August. Utinam qui otiantur manibus, otiarentur & linguis!* certum est, quod nulli Religiosi ita S. Communit. impediant, inquietent, turbent, ad irregularitatẽ & disordinem ducant sicut illi. Proinde quidam ex antiquis Monachis dicebat non ineptè: *Utilior est*

in Monasterio porcus, quàm Monachus otiosus; nam is manducando, & otiando proficit & sibi & Monasterio; hic autem manducando & otiando Monasterio suo officit, & in nullo proficit nisi in vitiis quotidie, fitque ex terræ pondere inutilis quotidie inutilius. Quantum autem officiat S. communitati tum quoad charitatis unitatem, tum quoad victualium facultatem, ostendetur hic & ex S. Scriptura, ex dictis, & sententiis SS. Patrum, Ordinumque Fundatorum; ex hac intentione, quam tangit Apost. 2. Thessal. 3. 12. *Audivimus enim inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. Iis autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, panem suum manducent.* h. i. *Qui amat otium, numquàm proficiet.* S. Ephrem.

III. *Otium* malam parit filiam, scil. miseram egestatem, quæ nullos invenit compatientes, multos potius justos irrisores. De qua Prov. 28. 11. *Qui operatur terram, satiabitur panibus: qui sectatur otium, replebitur egestate*, & quidem quadruplici, scil. in bonis temporalibus, in bonis famæ, in bonis gratiæ, in bonis gloriæ. Item Prov. 10. 4. *Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat.* Hinc, *qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem furtit in æstate, filius confusionis.* ibid. v. 5. S. Paulus de seipso ad Thessalon. 2, 3. 7. *Scitis, quoniam non inquieti fuimus inter vos; neque gratis panem manducavimus ab aliquo; sed in labore ac fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrum gravaremus.*

mus. In quæ verba S. Chryſoſt. *Deus poſuit hominem ad laborandum, artuſque ejus ad hoc effinxit; ideoque otioſus ab Ordine ſuo, & creatione deficit.* Et ſicut primum hominem poſuit in paradiſo, quantumvis adhuc in ſtatu innocentiæ exiſtentem, ut operaretur, & cuſtodiret illum (neutiquam permittendo otium, niſi vellet incautiùs & citiùs à ſerpente decipi.) ita poſuit Religioſum in clauſtro ùt in paradiſo, ut operaretur ibi congruenter vocationi ſuæ, & cuſtodiret gradum Ordinis ſui, non dehoneſtando per otium, nec fruſtrando Dei intentionem, quantum in ſe eſt.

IV. Deteſtabile, & Conventui exitiale eſt, *ſi Monachi velint otiari.* Ad quod avertendum, Monachi antiqui in Ægypto, teſte *S. Hieron.* nullum abſque operis labore ſuſcipiebant, non tam propter victûs neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem, ne mens perniciosis cogitationibus vagetur. Hinc graviter arguendi hi otioſi, Monaſterioque nocivi Monachi: nam, ſi (teſte *S. Bern.* ſerm. de Purif. B. V. M.) *arguantur otioſitatis ipſi etiam, quos nemo conduxit; qui jam conducti ſunt* (quales ſunt omnes Religioſi) *ſi otioſi inventi fuerint, quid merentur?* Idem merentur, quod ſervus pigritans domi; de quo *S. Chryſoſt.* in epiſt. ad Epheſ. *Si ſervum habes non rapacem, non ebriosum, non contumacem, ſed ſobrium, moderatum, vitii omnis expertem; idem tamen ſi totos dies domi ſedeat otioſus, omittatque ea, quæ ad munus ſuũ attinent, nonne graviter vapulabit? atqui nihil malefecit; ſed ſatis maleficii eſt, munus ſuum officiumq; neglexiſſe.* h. i. Tales itaque pigros ſervos, otioſos

Monachos seriò exhortatur, ac exstimulat S. *Hieron.* epist. 4. *Facito aliquid operis, ut diabolus te semper inveniat occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de evangelio vivendi, laborabant manibus suis, ne quem gravarent; & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia; cur tu in usus tuos cessura non præparas?* h. i. Insuper quia *otiosus* nullum commune bonum quærit, hinc nulli officio idoneus est. Proinde in Constit. Piis in c. 10. Regulæ mandabatur, ut *Ministri in promovendis Fratribus ad aliquem gradum vel officium, in omnibus publicæ utilitati, & ornamento consulant. Præferantur verò, qui publico commodo Conventuum & locorũ, non suæ utilitati incumbunt.* h. i. Quæ lex erat rationabilissima; & proinde adhuc ligat in conscientia, quia est innovata, immo est juris naturæ.

V. *Monachus otiosus* scatet vitiis, quæ inquinant & defœdant S. communitatem. De quo S. August. serm. 16. *Per hanc otiositatem accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicatè pasti, per hanc suffocamur pretiosè vestiti, per hanc ad superfluam dormitionem trahimur, per hanc ad verba sæcularia ducimur. Numquam quis civis cælorum erit, si otiositatem amaverit.* h. i. Et quidam apud Engelgrav. plura in otiositate vitia de- & reprehendens: *Otium est naturæ pudor, sentina familiæ, hostis artium, Magister ignorantiæ, pater inopiæ, curarum prodromus, memoriæ situs, non ingenii, pestis voluntatis, morborum fomes, leno pudicitiæ,* vir-

virtutis exilium, vitiorum hospitium, Angelorum labor, dæmonum præsidium, animæ proditor, terræ probrum, cœli dolor, numinis odium, hominis vivi sepulchrum, mortui barathrum. h. i. Et S. *Bern.* ad Fratres de monte Dei: *Omnium tentationum, & cogitationum malarum colluvies est otium, summa mentis malitia, malorum omnium sentina, mors animæ.* h. i. NB. Inter 12. principales abusus in statu religioso ponit Hugo cit. à Dionys. Cartus. l. de scholaribus etiam *otium,* dum inquit: *Præfectus negligens, juvenis otiosus, Monachus curialis, habitus Monachi pretiosus, rumor in claustro, dissolutio in choro, discipulus inobediens, senex obstinatus, Monachus causidicus, cibus exquisitus, lis in Capitulo, irreverentia circa altare,* defœdant, disordinant, & evertunt Monasteria.

VI. *Otiosus Monachus* dum consumit, quod alius acquirit, instar tineæ, muris, & araneæ nocet S. communitati; cui numquã proficiet. De quo Cassian. l. 10. de instit. renunt. c. 6. *Mens otiosi nihil aliud cogitare novit, quàm de escis & ventre, donec inventa quandoque sodalitate cujusdam viri aut feminæ æquali tepore torpentis, rebus eorum ac necessitatibus involvatur; & ita paulatim reddatur noxiis occupationibus irretitus, ut tamquam serpentinis spiris obstrictus, numquam deinceps ad perfectionem professionis suæ se valeat enodare.* h. i. Hac de causa *S. Bernardus* Abbas, ne inter nocivos mures computaretur, & ne Fratres suos contristaret, sed potius bona exempla daret, dum Fratres suos labore corporali exerceri videret, ne se quidem excipi voluit: & si quidem membris te-

nerior communem cum aliis laborem sustinere non valeret, alio sibi commensurando labore compensabat. *S. Chrysost.* otiosum comparat terræ non subactæ aratro; quæ in seipsa silvescit, tribulos, spinasque producit, Domino suo inutilis est. Ita &c. At *qui operatur terram suam, satiabitur panibus*, Prov. 12. 11. *Qui autem sectatur otium, stultissimus est.* Quam stultitiam sic explicat Card. Turrecremata: *Stultus est otiosus, quia non declinat vitanda, stultior quia non desiderat appetenda, nec colligit merita; stultissimus, quia cumulat, & thesaurizat sibi æterna supplicia.* h. i.

VII. *Otiosus Monachus* committit ingratitudinem scandalosam, & injustitiam contra S. Communitatem. In primis S. Th. 2. 2. q. 187. a. 4. ait. *si verò aliqui sunt religiosi, qui absque necessitate & utilitate, quam afferant, velint otiosi de eleemosynis vivere, hoc est eis illicitum.* Quòd sit pessima ingratitudo, patet; quia à S. communitate habet pastum, vestitum, honorem, & media Deo serviendi &c. cui tamen nil rependit nisi onus. Hunc & hujus similes durè increpat Hugo Card. in Matth. *vobis nihil proficientes, proximis non subvenientes, Deo non servientes, hostibus non resistentes, pœnitentiam non agentes, in posterum non providentes.* Thomas à JESU in explicat. *Regulæ B. Alberti* ait injustitiam à tali committi; quod cum aliis sic ostendit: quia in professione fit quidam contractus inter Religionem, & Religiosum; ut scil. illa hunc vestiat, alat; hic vicissim Deo serviat, & laboret in functione sua. Immo & talis injustitia videtur

videtur committi contra ipsum dotatorem Monasterii; cujus intentionem defraudat monachus otiosus, si omittat opera, ob quæ dotator legavit possessiones & prædia. Hoc quidem hìc Theologicè non definio, at, sive ingratus tantùm, sive insuper injustus, improbitatis & malitiæ reus est. Certè (ut inquit *Nigronius* Tr. 11. c. 2. incit. 2.) defraudat eleëmosynarum datorem spe ac beneficio bonorum operum, quorum sperabat, & exspectabat se participem futurum: cùm probi religiosi eas accipiant animo gratificandi largitoribus earum, per hanc bonarum actionum participationem. Hujusmodi religiosi aptissimè fucis comparantur, qui sunt apes degeneres, & otiosæ, furtimque mella devorant, quæ non collegerunt: atque ab examinibus ob ignaviam ex apiario per vim expelluntur, juxta illud: *Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.* In hos quoque invehitur *Cyrillus Alexandr.* in serm. ad Monachos: *Consultissimum est*, inquit, *operari, ne aliis sis oneri, alienos sudores in privatam tuam utilitatem convertens; cùm possis tuis laboribus subvenire iis, qui ex Fratribus sunt infirmiores.*

VIII. *Otiosus Monachus* inquietat S. communitatis membra. De quo Cassian. l. 10. c. 8. expendens ea verba Apostoli. 2. Thessal. 3. 7. *Quoniam non inquieti fuimus inter vos*, quibus otium significari putat, sic ait: *Cùm se vult inquietum inter eos non fuisse, per operis exercitiũ comprobare, eos qui operari nolunt, abundè notet otiositatis vitio inquietos semper existere.* Et subdit: *Quâ fiduciâ otiosis manibus gratis panem comedere audebimus,*

bimus, quem vas Electionis evangelica solicitudine & prædicatione constrictus, sine opere manuum comedere non præsumit? h. i. Hac de causa *B. Ægidius* tertius *S. Francisci* Socius otiosos ferre non potuit; quos suô exemplô confundebat, humeros suos, & manus semper occupans vilibus oneribus & operibus vel ad Fratrũ servitium, vel ad aliorũ pauperum obsequium: hinc panem numquã gratis manducare volebat, nec foris, nec intra Claustrum, nisi aliquali labore lucratus fuisset. Et quid mirum est, si otiositas odiosa sit hominibus, quæ tam *inimica est animæ* ut ait *S. Benenedict.* in Regul. Et *Blosius* in can. vit. spirit. *Otium omnium malorum parentem, certissimumque animarum exitium perhorresce.* Hanc *spiritalis paupertatis initium vocat Jacobus Alvarus* de Paz. *Homo otiosus & præsenti, & futura vita se privat, nec sibi, nec aliis utilis*: B. Ægidius cit. Regula PP. Carmelit. c. 13. *Faciendum est vobis aliquid operis, ut semper vos diabolus inveniat occupatos; ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat invenire. Habetis ad hoc B. Pauli Apostoli magisterium, pariter & exemplum, in cujus ore Christus loquebatur &c.* h. i.

IX. *Otium* diabolo pandit viam, ut S. Communitatem disuniat, dispergat. *S. Bern.* serm. ad Sor. *Numquam sis otiosa; quia otium inimicum est animæ. Diabolus citò decipit eum, quem otiosum inveniet. Diabolus quotidie in claustra intrat; & si aliquem inveniat otiosum, statim accusat.* Per otium diabolus seminat omne malum inter membra S. Communitatis. De quo Auctor

serm.

serm. ad FF. in Eremo serm. 17. ita inquit disertè: *Per otiositatem, Fratres, rigorem sanctæ solitariæ religionis fastidimus: per hanc eremum sæpe exire tentamur: per hanc accendimur frequenter ad luxuriam: per hanc animamur ad superbiam: per hanc ducimur ad mundi gloriam: per hanc tentamur delicatè pasci: per hanc suffocamur pretiosè vestiri: per hanc ad superfluam dormitionem trahimur: per hanc ad sæcularia verba ducimur libenter audire. Hæc est illa otiositas pessima, quæ frequenter Sanctorum Conventus destruit, pariens in eis luxuriam, nutriens in eis gulam, seminans inter eos zizania, generans inter eos homicidia, & omnia quæ sunt opera carnis. Fuge ergo otiositatem; quia in servis Dei nihil pejus reperitur.* h. i. Quocirca Trithemius reformati Monasterii Abbas homil. 16. tales otiosos Monachos seriò & vehementer adhortatur: *O Monachi, non solùm quotidie, sed omni hora atque momento contra hanc bestiam vigilandum est: quoniam admissa in cor numquam sola ingreditur, sed eam tota congeries & scaturigo omnium vitiorum comitatur,* h. i.

X. *Otiosus Monachus* perdit in se omne bonum, per quod communitas sacra promoveri possit. Quod ostendit Cardinalis Joannes à Turrecremata in Regul *S. Bened. Excæcat intellectum: virtutes animæ & potentias debilitat: ingenium hebetat: affectum animæ corrumpit: est inimica virtutum, bonorum omnium acquisitorum consumptiva: hominem pauperem facit & egenum: parit animæ ignominiosa peccata: animam reddit di-*

gnam

gnam maledictione: spoliat animam futura gloria. h. i. Et Alfonsus Salmeron explicans parabolam de operariis otiosis missis in vineam: *Inde desideria mala, egestas, latrocinia, rapinæ, spectacula, detractiones, ludus, scortationes, omnia denique peccata ortum habent.* h. i. S. Gregorius Papa explicans illud Thren. 1.7. *Viderunt eam hostes, & derisérunt Sabbata ejus*, inquit, *Hostes ergo sabbata videntes irrident, cùm maligni spiritus ipsa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt, ut unaquæque reproba anima, quò remotior ab externis actionibus servire Deo creditur, eò magis eorum tyrannidi, illicita cogitando famuletur.* h. i. Gerson, post S. Anselmum comparat cor otiosi Molendino, dicens: *Non est aliqua cogitatio tam turpis, tam abominabilis, mala & execranda, quam non inveniat detestanda otiositas. Nam cor vacantis otio est ad instar molendini, quod cùm non habeat ad molendum bonum frumentum, quia in continuo motu est, molit & consumit seipsum etiam usque ad totalem sui consumptionem, aut destructionem, nisi prohibeatur alicujus diligentia. Et æquè citò molit advolantes fœdas muscas, sicut granorum electorum adipes.* h. i. Cùm ergo otiosus seipsum consumat, & inutilem reddat, eo ipso communitati plurimum nocet. Unde & otium numeratur inter peccata Sodomorum: Ezech. 16. 49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ Sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus.* Plura de otii malis effectibus, ejusque remediis vide fusè apud *Nigronium.*

XI. Cùm

XI. Cùm ergo tam multa, tam gravia, tam nociva in S. Communitate cauſet mala *otium*; Omnes Religionum Fundatores illud ſummè oderunt, ſuiſque Religioſis inhibuerunt: & etiamnum omnes Religiones bene inſtitutæ illud deteſtantur: aqua enim ſtagnans ſeu otioſa, quæ non currit, non labitur, non movetur, hæc facilè putreſcit; ita & Monachus otioſus, fœtenſque malum de ſe odorem emittit, quo nocet & ſuæ communitati, & fidelium univerſitati, & impedit fructum aliorũ Confratrum ſuorum in animis externorum, qui plùs interdum ſcandalizantur ex uno malo, quàm ædificentur ex aliis bonis; Hinc Superiores noſtri ſolicitam curam gerere tenentur, ne ullatenus quemquam ex ſuis patiantur otiari: quæ cura in tantum ab ipſis cordi eſt ſumenda, quantum ſalus communitatis, & animarum omnium ſibi concreditarum. Meminerint, quod dictum fuit in noſtris Conſtit. Piis editis Bononiæ 1565. in cap. 10. Regulæ: *Superiores vocat B. P. N. Franciſcus miniſtros & ſervos aliorum Fratrum, ut ſciant ſe non eſſe Dominos, neque habere dominium ſuper ſubditos, ùt Domini temporales; ſed ideo conſtitutos eſſe ſuper alios, ut eorum utilitati & ſaluti inſervire debeant: præfecturæ enim noſtræ ſunt potiùs officia, quàm dignitates.* h. i. Itaque *officium* illorum eſt, ut contineant alios in *officiis* ſuis, & impoſitis occupationibus, & nullatenus otiari ſinant.

XII. *Otioſitate Monachi* inhabilitantur, vel potius deſtruuntur potentiæ ejus, ne quidquam fructuosè operari poſſit pro bono ſuæ communi-

tatis

tatis. Hic *mnam suam repositam tenet in sudario*, Luc. 19. 20. per quod sudarium Euthymius moraliter intelligit *otium*, *segnitiem*, *inutilitatem*. Quæ qui sectatur, meritò de se verificari patitur dictum illud Prov. 21. 25. *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus ejus operari; tota die concupiscit & desiderat.* Hinc suos Monachos ab hoc vitio sibi cavendum admonet Trythemius hom. 6. *Consistens in cella tua semper otium cavete; quoniam nihil ita vires mentis enervat omnes, sicut otium, postquam ex se produxit acediam.* Turrecrem. ait: *Emollit otium vires, sicut rubigo ferrum.* Et Seneca: *Non vidu, ut immota fax torpeat, at exagitata reddat ignes? mollit vires otium: ferrum situ carpitur, & rubiginem ducit.* Et S. Hieron. *Otium quasi quadam ingenii rubigo est.* Et Cassiodorus: *Natura humana sicut laboribus instruitur, ita per otia torpentia infatuatur.* Et S. Chrysost. id per conglobatas similitudines amplius ostendit dicens: *Uter equus utilis; is qui in deliciis, an qui exercetur? utra navis; ea quæ navigat, an quæ in littore manet? utra aqua; eane quæ fluit, an quæ stat? utrum ferrum; quod movetur, an quo nemo utitur? nonne illud quidem splendet, atque argento simile est; hoc autem rubigine consumitur, & ubique inutile est, ac etiam aliquid suæ naturæ amittens. Tale quiddam fit etiam in anima otiosa: rubigo enim quædam apprehendit illam, & consumit splendorem, atque alia omnia.* Idipsum versu hoc breviter confirmat Ovidius: *Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus?* Etenim, ait D. Chrysost. cit.

cit. *Et oculus, & os, & venter, & unumquodque membrorum, nisi quod suum est, operetur, in extremum incidit morbum.-- Corpus quod otiosum quidem & immobile, magis morbis obnoxium & fœdum: quod autem movetur & laborat, & aruumis exercetur, formosius est ac sanius.* h.i. Infero ex his: ergo otiosus Monachus est communitati inutilis & nocivus.

XIII. *Otiosi Monachi* justa pœna est repentina & inevitabilis egestatis miseria; de qua jam dictum ab initio Cap. De hoc Prov. 6. 11. *Veniet tibi quasi viator, egestas: & pauperies quasi vir armatus.* Prov. 24. 34. Quem locum S. Hieron. explanans, paupertatem & ab otio pigritiaque nutriri, & pœnam esse docet his verbis: egestas & pauperies pœna est ultima, in qua damnati nihil divitiarum merentur: quæ quasi viator veniet, quia improvisa & subitanea: quasi vir armatus, quia devinci perpetuò non potest. Patet juxta literam, quia pigritia est nutrix egestatis. *h. i.*

XIV. Itaque sicut *otium Monachi* displicet Deo & Sanctis, mereturq; meritò derelictionem ab ipsis; ita è contra labor salutaris placet illis, mereturque duplicem ab illis benedictionem. Quod agnovit *S. Arsenius*, qui, postquam diu in Monasterio vixisset, rogatus, in quo maximè confideret; in eo, respondit, *Quod homines fugi, quod tacui, quod flevi; at in eo potissimùm, quod manibus laboravi.* Hoc verum esse, colligitur ex eo, quod Christus l. 6. c. 65. S. Birgit. dixit: *In spirituali vita qui perfectus esse desiderat, debet priùs esse Martha laborando in honore meo corporaliter--*

Si

Si autem laborare non scit, aut non potest; tunc non verecundetur, nec sit ei onerosum mendicare, immo magis gaudiosum, quia tunc imitatur me filiũ Dei, qui, ut homo ditaretur, me ipsum pauperem feci. Christus ipse olim alicui Eremitæ non scienti legere suasit ad honorem sanguinei sudoris sui laborare. Insuper B. V. M. legitur Fratres Cistercientes devotè in agro laborantes visitasse, sudoremque eorum & absterssisse, & in vase vitreo tamquam rem pretiosam collegisse; pro quo mercedem iisdem esset suo tempore redditura.

CAPUT XVII.

Gratitudo ad Deum & ad homines benefactores requiritur, ut Regulares mendicantes possint in communitate stabiliter persistere. Item mensæ communitas: at nocet familiaritas &c.

I. INter alia adhortamenta, quæ Fratribus suis in universum mundum missis inculcavit S. P. N. *Franciscus* c. 3. vitæ, unum hoc erat: *in beneficiis grati estote.* Ad quod movebatur; quia secundum vetus adagium, *Gratia gratiam parit.* Sey danckbar umb die alte Gaben/ wan du begehrest newe zu haben. Nam, juxta Senecam, si benefactor gratitudinem pro beneficio recipiat, quasi pensionem primam de eo accipit; unde illud se non amisisse, sed bene elocasse arbitratur: fitque proinde promptior ad ulteriora exhibenda. Hujus veritatem in exemplo animadvertit S. Chry-

S. Chryſoſt. in Geneſ. Nam Eva, inquit, quia pro nato filio grata fuit, & beneficium agnovit, aſſecuta eſt & aliud. Talis enim eſt Dominus noſter, quando in primis gratitudinem declaramus, & benefactorem agnoſcimus, largiùs ſua dona nobis erogat. E contra

II. *Ingratitudo* concitat juſtam Dei & benefactorum averſionem contra ingratos tales Religioſos; ut proinde, ceſſante benignitatis venâ, non valeant in communitate ſubſiſtere, coganturque miſerè & ſordidè, ad ſibi quiſque privatim providendum, huc illucque irreligiosè dilabi, angi, & diſtrahi. Hunc malum ingratitudinis affectum agnovit *S. Auguſt.* c. 18. Solil. dicens: *Recolam ad mentem meam omnia bona, Domine, quæ feciſti mihi à juventute mea, in omni vita mea. Scio namque, quòd ingratitudo tibi multùm diſpliceat, quæ eſt radix totius mali ſpiritualis, & ventus quidam deſiccans & urens omne bonum, obſtruens fontem miſericordiæ tuæ ſuper hominem; quia & mala jam mortua eriuntur, & viva jam opera moriuntur.* h. i. Et *S. Bern.* ingratitudinem ſic deſcribit, *quod ſit inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio, ventus urens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ.* Et Sanctus Ambroſius: *Si accipientes divina munera, taciti & immemores fuerimus, tanquam ingrati & indigni eorum ſubminiſtratione fraudabimur.* Iterum Sanctus Bernardus in cap. jejunii: *Gratiarum ceſſat diſcurſus, ubi recurſus non fuerit. Nec modò nil augetur ingrato, ſed & quod*

accipit , in perniciem ei vertitur. Hinc talis ingratus frustra sperat ulteriora beneficia à priore benefactore: prout exprimitur Sap. 6. 19. *Ingrati spes tamquam hybernalis glacies tabescet , & diffluet tamquam aqua supervacua.* h. i. *Minima dona pro magna reputa ; & eris dignus majora accipere.* S. Bonav. in Alphab.

III. Meritò ingratitudo vacua repellitur à Deo & ab hominibus. Nostræ quidem naturæ hoc ita congenitum experimur , ut beneficium nos optimè locasse arbitremur , si regratianti conferamus ; at amisisse doleamus , si ingrato conferamus. Terra si aliquot annis fructus in copia Domino reddiderit , nisi ab eo in quasi gratiarum actionem, vel ferias , vel stercorationem recipiat , pòst manet infecunda , nil amplius profert. Sic & &c. Beneficium hoc autem à Religiosis dum agnoscitur, prima ejus pensio redditur , ait *Seneca.* Et ipsi pro beneficiis & eleemosynis multipliciter regratiari possunt & debent. scil. 1. humiliter regratiando tamquam pro munere è manu divina accepta. II. oculis, capite , manibus, verbis gratiam præstitam significando , & benefactori reverentiam faciendo. III. beneficium æstimando , prædicando , etiam coram aliis , dum ratio dictat (non tamen umquam adulando) IV. non malè impendendo , aut inutiliter absumendo. V. Modica etiam grato animo acceptando. VI. non dantibus non indignando. VII. objurgantibus benignè respondendo. VIII. pro benefactoribus diligenter orando, missas

missas offerendo, communicando, opera pietatis exercendo. IX. Obsequia oris, manus, pedis, affectus, pro tempore rependendo. Quòd si ingrati fuerint, experientur veritatem horum germanicorum proverb. 1. Für Wolthat wenig Danck / macht Unwillen und böse Gestanck. 2. Wer gespärig säet die Danckbarkeit / wird gespärig schneyden Freygebigkeit. 3. Die Gutthat schilt / der's nit vergilt. 4. Undanckbar Gemuht das Gut übel hüt. *Porro hæc* gratitudo se etiam extendere debet ad animas benefactorum defunctorum; Item ad cognatos aut amicos eorum, si quomodolibet iis vel obsequi, vel gratificari possimus. Item ad eorum monimenta, picturas, memorias, acta, scripta &c.

IV. Ne nimium præter mentem, excrescat hic liber; paucis addendum, quòd, ut possit melius servari in Monasterio *vitæ communitas*, *mensæ communitas* debeat ab omibus, quantum fieri potest, servari. Nam mensæ privatæ non tantùm exhauriunt sensim communitatem, sed etiam enervant charitatem, nutriunt partialitatem, noxiam familiaritatem, ad illicita laxant linguam, irritant gulam, fovent intemperantiam, inducunt prodigalitatem, opprimunt sobrietatem, minuunt religiosam parcitatem, & nimiùm subinde offendunt sanctam paupertatem. Item excitant in aliis invidiam, indignationem, murmurationē, susurrationem, detractionē, animorumq; disunionē, & contra invicē aversionem. Item furantur tempus, nimis occupant fra-

tres, exhauriunt crumenas, fovent partiales burſas, illicitas ſæcularium familiaritates, confabulationes; faciunt negligi divina officia, frangi ſilentium, meditationem conſuetamque orationem omitti &c. Summatim ut perſtringam, quod experientia docuit; ad omne malum tales privatæ menſæ, & privata conventicula ſenſim parant viam. Proinde Superiores locales ſolicitam curam gerant (ut deinde minùs curæ habeant; & ut omnia ordinatiùs, abſque murmure, & abſque confuſione ſuccedant) ut menſa communis frequentetur ab omnibus: & hæc menſæ communitas eſt occultum quaſi negativum lucrum; quod dictum qui obſervabit, probabit. *Deinde* epulationes conabitur Superior evitare: nimiæ enim inordinationes inde oriuntur in Conventibus pauperum. Prov. 21. 17. *Qui diligit epulas, in egeſtate erit: qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.* h. i.

V. Ad *communitatem* vitæ ſtabiliùs ſectandum, & conſervandum, *vita privata* omnino inſtar peſtilentiæ eſt fugienda. De quo *S. Leander* in Regula c. 17. ſic ait ad Sororem ſuam *S. Florentinam*: *Fuge, quæſo, privatam vitam--- privatam enim vitã de uſu gentiliũ traxit Eccleſia; quos dum non quiverunt Apoſtoli ad normam ſuæ vitæ traducere, Eccleſiæ venienti ex gentibus permiſerunt privatè vivere, propriiſque rebus uti. Ceterum qui ſub Apoſtolis crediderunt ex Hebræis, eandem normam, quam nunc tenent Monaſteria, ſervaverunt. Quare, quod legitur in Act. Apoſtol. & verum eſſe, quod dico, probabis: Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una: nec quiſ-*

quam

quam eorum, quæ possidebat, sunm esse dicebat--sed erant ipsis omnia communia &c. ibidem c. 18. *Peculiare, quod in Cœnobiis pro magno habetur crimine, tu pro grandi vitæ contagione. Judæ crimẽ est: qui cùm haberet cũ Apost. quidquid erat illis commune, non fuit contentus communionis sufficientia. Quidquid manꝰ tua attigerit, in commune repone.* h. 1. Et in Regula S. Claræ c. 22. Abbatissæ dicitur: *Communitatẽ servet in omnibus, præcipuè autem in Ecclesia, dormitorio, refectorio, infirmaria, & vestimentis.* Et c. 24. *Si communẽ vitã ducere non potuerit, aut noluerit, per visitatorem à suo regimine absolvatur.* h. 1.

VI. Ad conservandum *regularem communitatem*, eique benefactorum animos stabiliter conciliandos, valde noxia & impeditiva est nimia ad sæculares familiaritas sive in sive extra claustrum. Nam, dum vident humanas Religiosorum imperfectiones & fragilitates, eos in animo vilipendunt, sibi similes ùt alios homines arbitrantur (quos alioquin supra homines tamquam terrenos Angelos reverebantur.) & ita reverentiam & devotionem ad ipsos amittunt; & ad elargiendum eleemosynas minùs bene affecti redduntur. Consultum quoque est, ut, quam offerunt sæculares eleemosynam, semper communitatis bono cedat, quamvis singuli parum inde participent, ut ita major charitas, & stabilior unitas inter fratres firmetur (nisi tamen aliud faciendum pro re nata Superiori videbitur). Si quis autẽ charitatem Christi non habet, non agitur spiritu ejus, nec regitur voce ejus; sed spectat ad illos, de quibus dicit S. Judas in sua Epist. *Hi sunt in epulis suis maculæ: con-*

vivantes sine tempore , semetipsos pascentes ; nubes sine aqua , quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales infructuosæ , bis mortuæ, eradicatæ , fructus feri maris , despumantes suas confusiones , sidera errantia. &c.

VII. Tandem, ut ad finem properem, notum sit vobis (ut loquar cum Reverendissimo P.N. Generali *Antonio à Sapientibus* Augustano in præfat. ad Constit. Pias) *quod semper magnis votis Deum precatus sum, dilectissimi Patres , nedum in eo magistratu* (dicam , Provinciæ ministerio) *Positus , in quem vestra omnium benevolentia me constituit ; sed etiam cùm expers essem potestatis, ut Religio hæc , & sodalitium nostrum ad Majorum vivendi formam aliquando restitueretur ; id hodie ita futurum confido , ut me summo gaudio , & spirituali quadam voluptate profusum sentiam , non ea tantùm de causa , quòd Beatiss. Patrem nostrum* D. Papam *id cupere , quòd Amplissimum D. Cardinalem ac bonos omnes id desiderare ; quòd S. Tridentinam Synodum id jubere videam ; sed potissimum , quòd in præclaris animis vestris primævam Religionis pietatem sponte reviviscere , & succrescere inspiciam.--- Revocatè vobis ad memoriam, quales in Dei Ecclesia fuerint Majores nostri---habent res mundanæ suas vicissitudines : si vos ad corda vestrorum Patrum conversi fueritis , eorum aurea sæcula vobis redibunt-- tantùm abusus , qui vel hominum malitiâ , vel temporum vitiô subintroducti inveniuntur , tollendi à vobis sunt.--- sic vestras partes apud Deum implebitis : sic mundo , qui per sanctitatis exempla doceri cupit , satisfacietis : & Seraphicus Pater vester vos suos filios agnoscet ; ac*

ei,

ei, à quo sibi sunt redemptionis nostræ signa carne impressa, continuis precibus commendabit. Ego verò pro vestra salute & dignitate omnibus viribus enitar, ne quid studii, aut fidei in me desiderandum relinquam. h. i.

De cetero, qui plura media ad communitatem conservandam scire desiderat, consulat bonos Oeconomos, & Ascetas, *S. Bernardum* in l. de consider at. item ejus Epistolam Silvestrem, *S Bonav.* de sex alis Seraphim, de profectu Religios. Diætam salutis, alioque DD. vitæ communis zelatores. NB. Semper autem caveat interrogare aut consulere eos, qui communitatis sunt aut osores, aut neglectores, aut impugnatores. Sufficiat tibi lector mi Confrater pro nunc partus hic quamquam aliquantulum immaturus, attamen in tuæ memoriæ sinu, & bonæ voluntatis affectu, ac operis effectu ampliùs maturandus. In quem finem te commendo verbo gratiæ Domini Jesu, ut apud te non inane sit, nec vacuum redeat. Ille autem, si servaveris Regulam tuam, & S. Constitutiones Ordinis tui, erit tibi *Sponsus, Frater, amicus, hereditas, pretium, Deus, & Dominus* (ut ait *S. Leander* in proœmio Regulæ) *Sponsus, quem diligas; Frater, quem teneas; amicus, de quo non dubites; hereditas, quam ambias; pretium, quod agnoscas; Deus, à quo regaris; Dominus, quem metuas & honores.* h. i. Tu autem

O Domine Jesu,

Inclina tibi Deus modicum id, quod me dignatus es esse: atque de mea misera vita suscipe, obsecro, residuum annorum meorum. Pro his verò, quos

vivendo perdidi, quia perditè vixi, cor contritum & humiliatum Deus non despicias. S. Bern. serm. 20. in Cant.

Votum ad Fratres,

Quos æmulor Dei æmulatione in Christo Jesu.

DEus, qui est cum Patre, & Spiritu Sancto, Creator omnium quæ facta sunt, qui dignatus est descendere in viscera virginea, & unire Divinitatem suam humanitati, non tamen separans se à Divinitate; qui fixit sic charitatem suam ad hominem, ut magis voluerit mori, & omnia horribilia mortis instrumenta sufferre, quàm charitatem ad hominem fixam relinquere; ipse vos propter suam passionem conjungat in unum Cor, qui hactenus fueratis dissociati. ✝ *Benedictio hæc revelata S. Birgittæ à B. V. M. l. 6. revelat. c. 34.*

Si quis igitur in hujus Libelli lectione profecerit, hanc labori meo vel studio vicem impendat; ut apud Salvatorem meum, quem diligo; apud remuneratorem meum, quem expecto; apud judicem meum, quem timeo, pro peccatis meis intercedat. *B. Ælredus Abbas Rievallensis in fine Regulæ inclusarum.* h. i. Magnam mihi Dominus gratiam fecerit, si vel unus inde profecerit, qui Deum collaudet. *S. Teresia in prologuio Castelli animæ.*

Ad

Ad Fratres Tyrones

Ordin. Minor. S. Franciſci Conventual.

QUoniam pro veſtra potiſſimum inſtitutione, & profectu, priores V. Libros ex probatis Authoribus collegi, & compilavi; ut tamquam aviculæ needum cantui ſilveſtri aſſuetæ aſſueſceretis ab initio vitæ communis intemeratæ regularitati; hinc quoque ut rudimenta perfectionis in una compactura congregata habeatis, aliqua vobis Alphabeta, & religioſæ vitæ documenta (quæ legere nec provectiores tædebit) hic ſubnectam. De vobis ait Reverendiſſimus P. N. Generalis *Philippus Geſualdus* in Decretis editis 1601. Bonon. de recept Novit. in Præfat. quòd *omnis noſtri Seraphici Ordinis ſpes in eo poſita eſſe videatur, ſi ii in poſterum Novitii recipiantur, qui ad communis vitæ obſervantiam, ceteraque regularia inſtituta educati, ad præſcriptum Decretorum S. Concil. Trid. & Clem. VIII. de communis vitæ obſervantia editarum inſtructi, collapſam Ordinis noſtri diſciplinam reſtituere, & novella velut plantaria exſuſcitare poſſint.* h. i.

Alphabetum Majus

Religioſorum à D. Bonaventura compilatum.

AMa neſciri, & pro nihilo reputari: hoc tibi ſalubrius eſt, & utilius, quàm laudari ab hominibus.

Benevolus sis omnibus bonis & malis, & nulli oneroſus.

Cuſtodi cor tuum ab evagatione, os tuum ab otioſa locutione, & ceteros ſenſus ſub rigore diſciplinæ.

Dilige ſolitudinem & ſilentium; & invenies quietem magnam, & conſcientiam bonam. Ubi enim multitudo, ibi frequens ſtrepitus, & magna diſtractio cordis.

Elige paupertatem, & ſimplicitatem: paucis ſis contentus, & non facilè murmurabis.

Fuge homines, & ſæculi rumores: quia non potes eſſe ſatis Deo & hominibus, æternis, & tranſitoriis.

Gratias age Deo ſemper corde & ore, qualitercumque tibi ſuccedit in gravamine & dolore. Nam Deus omnia providè diſpenſat in mundo, vero & recto judicio ab æterno.

Humilia te in omnibus, & ſub omnibus, & invenies gratiam ab hominibus: eris quoque Deo acceptus, & hominibus dilectus, & diabolus fugiet citiùs, propter humilitatis virtutem ſibi valde contrariam

In omni opere bono habeas intentionem primam ad placendum Deo, qui inſpector eſt cordis, & diligit juſtos & puros.

Kariſſimos reputa amicos & patronos, qui te premunt & vituperant: ſi enim rectè ſapis & conſideras, lucrum inde acquires; nam proſunt tibi in bono, qui obſunt in malo.

Labore & dolore, cum gemitu & fletu acquiritur regnum

regnum Dei : deliciis & honoribus perditur paradisus.

Magnum donum Dei est , pauperem esse in hoc mundo propter Christum , & infimum tenere locum. Magna superbia , altum petere gradum. Ad alta semper diabolus suadet , honores ambire , fugere despectum , ut cadat ascensor ejus retrorsum , cùm ad breve dominatus fuerit pauperum. Minima dona pro magna reputa , & eris dignus majora accipere.

Neminem spernas , nulli noceas , afflicto & egeno condoleas , & numquam te extollas.

Omne tempus cum Deo utiliter expendas : nihil enim pretiosius tempore , in quo promereri potes regnum Dei in perpetuum. Omnibus quoque te amabilem , benignum , & affabilem sine dissolutione exhibeas. Omnia bona ad laudem Dei referas ; & sine consilio ac deliberatione nihil facias.

Primò semper quære in opere tuo , an Deo placeat vel displiceat : nec timore nec amore age contra conscientiã tuã. In dubiis ad scripturã , & obedientiam Prælati tui recurre ; nec tibi ipsi nimis confide. Priùs disce tacere quàm loqui ; potiùsque velis instrui quàm docere. Tutius est enim velle latere quàm apparere.

Quæcumque ad te non pertinent , de his non judices , nec te intromittas , ut semper pacem habeas. Qui communia sectatur , & singularia vitat , magis diligetur , & citiùs ad bonum finẽ perveniet. Qui tempestivè facit quod debet , lætior postea erit.

Rever-

Revertere ad interiora cordis tui, ne vagari incipias per varia desideria mundi consilio diaboli. Nocent mala audita, tentant pulchra visa, turbant illata vituperia. Recede ergo ab omni iracundo, indocto, dissoluto; & mane in silentio cum Deo.

Sobrius esto in victu, modestus in vestitu, providus in verbis, honestus in moribus, maturus in cõsilio, fortis in adversis, mitis in opprobriis, & humilis in prosperis, gratus in beneficiis, hilaris in despectibus, patiens in doloribus; discretus in omnibus agendis.

Time Deum offendere in minimis negligentiis, & defectibus tuis. Noli præsumere in bonis, nec desperare in adversis. Timor Dei facit recedere à peccato, & solicitat in bono opere, ut bonum bene fiat. Totum te Deo committe, & quod est tibi grave, fiet citò portabile. Pax tua in patientia multa. Levis est omnis tribulatio pro vita æterna.

Vende Deo omnia commoda tua, & dabit tibi solatia meliora, gratiâ adveniente in una hora.

Nemo ditior, nemo liberior eo, qui se ad omnia Deo dat, & Christum amando emit, qui mundum cruce redemit.

Xhstus sit vita tua, lectio tua, meditatio tua, locutio tua. Ipse sit desiderium tuum, lucrum tuum, tota spes tua, & merces tua. Si aliud quæris quàm purè Deum, damnũ patieris; labora bis, & requiem non invenies.

Hymnos & psalmos canere Monachorum est, & clericorum, quibus congaudent & Angelorum Chori

Chori laudantes Deum jugiter in regno cælorum. Servire carni mors, cibus vermium, nidus dæmonum, vita peccatorum, fomes morborum, coruptio corporum, inquinatio morum, perditio bonorum, acquisitio multotum malorum & dolorum. Servire Deo beatitudo animæ, sanitas corporis, prudentia spiritûs, vita cælestis. Dulces Hymnos Deo cantat, qui in tribulatione sua Deum semper laudat. Initium & finis omnis boni Religiosi, Deum corde amare, ore laudare, & fratrem suum exemplo ædificare.

Zachæe Frater descende de altitudine sæcularis scientiæ: veni & disce in schola Dei viam humilitatis, & mansuetudinis, & patientiæ; & per quam possis, Christo docente, ad æternæ beatitudinis gloriam securè pervenire, Amen.

Conclusio S. Bonaventuræ.

Scribe Monache Alphabetum istud in corde tuo, quasi in libro vitæ: & per singulos dies chartulam tuam inspice, & bonos mores assuesce. Pauca sunt verba, sed magna sunt mysteria, & perfectorum opera. Ornant exteriùs, & quietant interiùs. A contemptu, & sui ipsius abnegatione incipit vita boni religiosi Monachi; & proficit usque ad contemplationem Dei. *h. i.*

NB. Ut Alphabetum hoc, & documenta omnia, quæ ex SS. Patrum monumentis in hoc libro digesta

digesta sunt, firmiùs hæreant cordi tuo; memento frequenter Frater mi cum S. P. N. *Francisco*, quòd sit *multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio.* Non mirum, quòd *paucorum* sit *electio*, quia & *paucorum dilectio.* De quo P. *Barry* in Anno sancto 17. Octob. *Raymundo Lullo pientissimo Dei amatori revelatum legitur, quòd inter mille non centum esset reperire, qui aliquantulum Dei timorem, vel mediocrem erga Christum haberent amorem*: insuper, *quòd inter hos centum, nonaginta illum timeant ob periculum pœnæ infernalis*: præterea, *quòd inter hos nonaginta non duo illum ament ex spe cælestis gaudii*: tandem; *quòd inter mille vix unus sit, qui ipsum amet propter ipsius bonitatem, & divinas perfectiones. Hac revelatione accepta, incepit tam amarè flere, ut consolationem non admitteret.* Et quis non fleret, si tam angusta porta, tam arcta via ad cælum, tanta paucitas amatorum Dei, & electorum? Fleas èt tu: hæcque verba frequenter rumines, ut te in continuo Dei timore & amore contineas, atque exactâ observantia Regulæ, & Constitutionum tui Ordinis; ad quam ex voto solenni obligaris. ✝.



Par-

Parvum Alphabetum

Ejusdem S. Bonav. pro incipientibus.

AMa paupertatem, sis vilibus contentus,
Bonis semper actibus jugiter intentus.
Cave multiloquium, studeas silere,
Deum omni tempore præ oculis habere.
Esuriem amplectere, gulam refrenando,
Fratrumque convivia segniter sectando.
Gaudere cum gaudentibus, cum flentibus plorare,
Humilibus consentiens, majores honorare,
In omnibus obediens, Prælatoque parebis,
Karitatem insuper cum omnibus tenebis.
Lumbos stringe lubricos Domini timore,
Mundans cordis oculum casto cum pudore.
Nihil servans proprium, nudum sequens Christum,
Onus leve sufferens, mundum vincens istum,
Passum Christum recole corde gemebundo.
Quærens Dei gloriam, nil aliud in mundo.
Resistendo vitiis, orando ferventer,
Sacramentum sumere debes reverenter.
Tu motum mentis comprime, iram mitigando,
Vanaque colloquia solicitè vitando.
Xristo frui cupiens, cellam frequentabis:
Yesum super omnia sic dulciter amabis.
Zelo Dei fervidus charitatis igne,
Et in te peccantibus ignosce benignè.

NB. *Non nomen, sed factum, sed adjectum faciet te beatum.*

Alpha-

Alphabetum aureum,

Illuminato Doctori ex Ordine Prædicatorum,

JOANNI TAULERO *primitus præscriptum.*

AGgredienda tibi inprimis est vita bona, pura, spiritualis, non quidem leviter & pueriliter, sed strenuè, & animo virili.

Bonum facito, & malum declinato, idque sedulò & diligenter.

Congruum ac temperatum in omnibus medium servato.

Disce & intùs & exteriùs modestiam & humilitatem præ te ferre.

Extirpa funditus, & abnega propter Deum propriam voluntatem tuam, ut possis unitus in Deo manere, & Deus in te.

Fortiter ac seriò continuè in Deo persevera.

Gaudens simpliciter ac studiosè obedito, & ad omnia quæ Dei sunt, sine murmure voluntarium te præbeto.

Haud quaquam retrò vel ad sæculum, vel ad naturam, vel creaturas, & actus earum respicias.

Intus in corde divina ac spiritalia meditari ac ruminare, tuamque veterem vitam lacrymis abluere, & deplangere consuesce.

K Constanter & audacter Diaboli, mundi, & carnis

nis tentationibus resiste.

Læto ac forti animo per temporalia ad æterna contende, ac penetrato.

Maneat semper in te dilectio Dei & proximi.

Nullius omnino bona, qualiacumque ea sint, concupiscas.

Ordinariè omnia in meliorem, non pejorem partem trahas.

Pœnitentiam sive pœnam peccati, undecumque ea tibi obveniat, sive à Deo, sive à creaturis, pro peccatis tuis libenti animo suscipias.

Qualescumque te umquam offenderunt, seu læserunt cogitando, loquendo, operando, eis omnem injuriam ex animo remittas.

Retine tibi omni cum diligentia corporis & animæ castitatem.

Serva in omnibus mansuetudinem, & ex omnibus stude melior fieri.

Tene fidem, custodi veritatem erga quosvis, absque dolo, simulatione, & fraude: & exerce te in operibus misericordiæ cùm corporalibus, tum spiritalibus, prout potueris.

Vide diligenter, ne vel in edendo & bibendo, vel qualibet alia re modum & mensuram excedas.

Xhristi vitam atque doctrinam semper animo revolve, eamque pro viribus imitâre, & juxta eam vitam tuam institue.

Y Intemeratam Virginem Matrem devotis pulsato precibus, ut auxilio tibi sit in perdiscenda hac institutione mea.

Zelosus consuesce voluntatem & sensualitatem

tuam sub disciplina continere, ac cohibere, ut pacificè consentiant in omnia, quæ Deus evenire tibi permiserit, aut egerit tecum. *Amen.*

Aurea Monita
S. TERESIÆ à JESU,

Monialibus suis tradita, omnibusque Regularibus pernutilia.

1. TErra quantumvis ferax, nisi colatur, tribulos & lappas proferet. Sic & in ingenio nostro se res habet.
2. De omnibus rebus spiritalibus, uti & de Religiosis, Sacerdotibus, & Eremitis nonnisi quàm optimè loquaris.
3. Ubi multi congregati sunt, ibi semper quàm minimum loquere.
4. In omnibus, quæ ages & tractabis, modestiam proferto.
5. Numquam multum verbis contendito, maximè in rebus quæ parvi momenti sunt.
6. Unumquemque moderata quadam cum hilaritate alloquere.
7. Numquam rem aliquam derideto.
8. Indiscretè numquam aliquem reprehendes, sed cum humilitate, & apud temetipsam erubescendo.

9. Illius

9. Illius, quocum agis, indoli, genio, complexionique te attempera: cum læto lætêris, cum trifti contriſtêris: talem demum ſingulis te præbe, ut ſingulos lucrari poſſis.

10. Nihil umquam loquaris, quod non antè apud teipſam (*teipſum*) ſedulò perpenderis, Dominoque ſtudiosè commendaveris; ut nihil dicas, quod ei diſpliceat.

11. Numquam te excuſato, niſi in rebus evidentiſſimis.

12. Nihil umquam de te ipſa (*ipſo*) loquere, quod in laudem tendat, utì de ſcientia, virtutibus, parentela tua, niſi aliquod hinc bonum ſecuturum ſperes; atque etiam tum id non niſi cum humilitate fiat, ac cum quadam conſideratione, dona illa à Dei manu venire.

13. Ea, de quibus loqueris, numquam plùs nimio extollito, ſed ſententiam tuam magna cum moderatione proponito.

14. In omnibus colloquiis & ſermocinationibus ſemper aliquod de rebus ſpiritualibus verbum intermiſce; & ita inania verba, & detractionem impedies.

15. Numquam aliquid certò affirmabis, niſi id antè probè ſciveris.

16. De omni re temerè ſententiam tuam dicere non præſumes, niſi aut interrogêris, aut charitas id exigat.

17. Alium de rebus ſpiritalibus loquentem, cum humilitate & tamquam diſcipulus audies; & quod ille bonum dicit, tibi dictum putato.

18. Superiori & Confeſſario tuo omnes tentatio-

nes, imperfectiones, & repugnantias tuas patefacias, quò ad illas superandas tibi ille consilium & remedium suggerat.

19. Sine causa cellâ non aberis, nec egredièris: eâ autem egrediens, à Domino gratiam pete, ad eum non offendendum.

20. Nonnisi horis solitis & statutis edito & bibito; actum quoque Domino singulares gratias agas.

21. Sic omnia tua agito, tamquam si Majestatem ipsius coràm intuereris; hac namque ratione anima permultum lucratur.

22. De alio malum aliquod non audies nec dices, nisi de te ipsa (*ipso*) & dum in eo gaudebis, signum est te benè proficere.

23. Quidquid ages, ad Deum diriges, hoc ei offerendo; eumque rogabis, ut ad honorem & gloriam illius id cedat.

24. Cùm lætaberis, in immoderatum risum effundi noli; sed humilem, modestam, & affabilem, & ædificativam lætitiam præferes.

25. Omnium te ancillam (*servum*) semper esse cogitabis; & in omnibus Christum Dominum intueberis: & ita fiet, ut omnibus & venerationem, & honorem delatura sis.

26. Quæcumque tibi injungentur, quàm promptissimè & exactissimè exequi satage, tamquam si Redemptor noster Christus id tibi in Superioris seu Prælati tui persona injungeret.

27. In omni opere, quacumque hora conscientiam tuam examinabis; & visis imperfectionibus tuis, operam da, ut eas cum Dei gratia emendes.

mendes: hacq; via ad perfectionem pervenies.

28. Alienas imperfectiones numquam tecum recogitabis, sed virtutes ; uti & defectus proprios.

29. Intensum semper desiderium habebis, in omni re & occasione aliquid pro Christi nomine patiendi.

30. Quotidie te sæpius per diem Deo offerto; idque magno cum fervore, & ardenti ad Deum desiderio.

31. Quod manè meditata (*meditatus*) fueris, hoc tota die cogitatione versabis quàm diligentissimè ; magnum quippe inde fructum consequêris.

32. Affectus & pios motus, quos tibi Dominus immittet, cautè apud te servabis: & pia, quæ in oratione tibi dabit desideria, opere exequi studebis.

33. Singularitatem, quantum fieri potest, maximè devita ; hæc namque communitati permultum nocet.

34. Religionis tuæ Regulã & statuta sæpe legito; eaque diligenter ac seriò observare satagito.

35. In omnibus rebus creatis Dei providentiam & sapientiam considerabis; eumque in omnibus & singulis laudabis.

36. Ab omnibus rebus cor tuum abstrahe, ac Deũ quære; eumque sic invenies.

37. Exteriùs numquam aliquam devotionem præferes, quæ interiùs non sit: sed devotionem, quam habueris, abscondere adnitêris.

38. Interiorem devotionem, nisi ratio valde neces-

saria sit, non ostendas: nam, *secretum meum mihi*, ajebant SS. Franciscus,& Bernardus.

39. Numquam conquêreris de cibo, sive is bene, sive non bene accommodatus sit; Jesu Christi Salvatoris fel & acetum interim in mentem revoca.

40. In mensa neminem alloquaris; neque oculos ad aliquam aliam (*alium*) aspiciendum attollas.

41. Sed considerabis mensam cælestem, ejusque cibum, qui est Deus Opt. Max. nec non invitatos, qui sunt Angeli. Ad illam mensam oculos sustolle, ad ei accumbendum anhelans.

42. Coram Superiore tuo (in quo Christum Dominum intueri debes) nihil umquam nisi quod necessarium est, idque magna cum veneratione loquere.

43. Nihil umquam facies clam, quod coram omnibus & unoquoque facere non auderes.

44. Numquam facies comparationem inter hunc & illum; hoc namque odiosum est.

45. Si quando in aliquo reprehenderis; cum interiore & exteriore humilitate reprehensionem accepta, & ora pro eo, qui te reprehendit.

46. Si quando Superior unus aliquid præcipit, noli dicere, alium illi contrarium præcipere; sed cogita, ambos bonam intentionem & sanctum finem habere, & ei in eo quod jubet, obsequere.

47. De iis quæ ad te non spectant, curiosè non loquaris, nec inquiras.

48. Vitam præteritam præ oculis habe, ut ipsam deplo-

deplores; nec non præsentem teporem: item quantum tibi desit, ut hinc ad cælum tendas; ut sic perpetuò in timore agas: & erit hæc tibi multorum bonorum occasio.

49. Quod domestici tibi dicunt, hoc semper facere stude, dummodo obedientia non adversetur; eisque cum humilitate, & verborum suavitate respondè.

50. In cibo aut vestitu nihil tibi singulare petas, nisi summa necessitas requirat.

51. Numquam te capiat oblivio te humiliandi, & usque ad mortem in omnibus mortificandi.

52. Identidem cor tuum ad Dominum per amoris actus sustolle: hi namque animam incendunt, & ad teneritudinem provocant.

53. Sic & omnium reliquarum virtutum actus exercere contende.

54. Patri æterno omnia tua, cum Filii ejus Unigeniti Jesu Christi meritis conjuncta & unita offerre studebis.

55. Erga omnes mitis esto, & clemens, in te ipsam aspera & dura, (*in te ipsum asper & durus.*)

56. In Sanctorum Festivitatibus, virtutes ipsorum recole; Deumque roga, ut illas etiam tibi largiri dignetur.

57. Quotidie vesperi ante somnum conscientiam tuam studiosè examinabis.

58. Eo die, quo ad sacram communionem accedes, in oratione tua matutina recogitabis, te quamvis miserabilem & nequam Deum tuum

recepturam (*recepturum*) vesperi verò, te eum recepisse.

59. Cùm Superior aliis fueris, neminem ex subditis, in iracundia reprehendes, sed cùm hæc præterierit; actum demum reprehensio tua proderit ei, cui fit.

60. Perfectioni ac devotioni unicè te applica, & omnia quæ agis, cum ea agito.

61. In timore Domini quàm maximè te exerce; hic namque animam ad humilitatem & compunctionem concitat.

62. Vide, quàm facili negotio homines mutentur, & quàm parum ipsis fidendum sit: quapropter Deo, qui immutabilis est, arctissimè te unire studebis.

63. Animæ tuæ negotia pertracta cum Confessario tuo, qui spiritalis vir & doctus sit: huic uni illa aperies, ejusque opinionem in omnibus sequêris.

64. Quoties accedis ad sacram communionem, aliquod à Domino donum posces, idque per summam illam misericordiam, qua ad miseram animam tuam venire dignatus est.

65. Esto, multos Sanctorum habeas Patronos & Advocatos; attamen *S. Josephum* nominatim in Patronum tibi seligere non omittes, eò quòd is multa à Deo impetrare valeat.

66. Tristitiæ & turbationis tempore, consueta bona opera tam orationis quàm pœnitentiarū nequaquam omittas: etenim non ob aliam causam te inquietare satagit inimicus, quàm ut hæc ipsa omittas: immo è contra plura & in-

tensiùs

tensiùs facito quàm solebas; & videbis, quàm citò te Dominus misericorditer visitaturus sit.

67. Tentationes & imperfectiones tuas noli pandere imperfectioribus & minùs in virtute provectis (ne ipsis & tibi noceas) sed, si tibi consultum velis, cum perfectissimis de iisdem loquere.

68. Recordare te non nisi unicam habere animam, & non nisi semel mori posse: insuper, non nisi unam te vitam habere, eamque brevem, ac tuam propriam: denique non nisi unicam esse gloriam, & hanc æternam. Hæc si perpenderis, multa facere desines, quæ alioqui factura esses.

69. Votum omne ac desiderium tuum sit, ut Deum tandem videas: timor, ne eum fortasse amittas: tristitia, quòd eo non potiaris: lætitia verò solùm in eo, quòd ad illum te potest perducere. Hæc si impleveris, in pace vives. *Deo gratias. Amen.* ✠.

ORATIO & OBLATIO

Dicenda à Fratribus Minoribus S. Franciſci Conventualibus Provinciæ Colonienſis, in Choro manè ante Meditationem.

GRatias tibi Deus, gratias tibi Vera & Una Trinitas, Una & Summa Deitas, Sancta & Una Unitas. O Sanctiſſima Trinitas, ſummum æternumque bonum, ſine quo nihil boni eſſe poteſt, per omnipotentiam tuam confirma mihi memoriam, per ſapientiam tuam illumina mihi intellectum, pet ineffabilem bonitatem tuam reforma & perfice in me voluntatem; ut magnitudinem tuam ritè agnoſcere, dignè laudare, ac purè amare perpetuò poſſim. Tuæ ſanctiſſimæ voluntati me offero & conſecro ùt verum & perpetuum tuæ divinæ Majeſtatis mancipium, illius nutui obediendo; & ſi per fragilitatem humanam, aut per inſtigationem inimici conttarium contingeret, nunc revocando, caſſando, annihilando. In manus tuas Domine commendo quàm poſſum maximè conſilia, cogitationes, verba, ac opera mea, ſpiritum, animam, & corpus meum, ſenſus, ſermones, & actus meos, membra, vitam, ac mortem meam. Præterea fidiſſimæ providentiæ tuæ, quæ cuncta ubique moderatur atque diſponit, commendo Seraphicum Ordinem noſtrum, ſpecialiter Provinciam hanc Colonienſem cum Conventu hoc N. Superiores Majores, Minores, ac Confratres ejus, ut nos augmentare, & ja

in Spiritu S. regere, omnibusque necessaria vitæ ad fideliter tibi serviendum concedere dignetur. Similiter commendo Parentes, Consanguineos, Benefactores, ac alios, ex quorum eleëmosynis vivimus, qui aut vivunt aut mortui sunt; ut illis & nobis gratia tua opituletur, & ita à nobis ac aliis perfectè glorificeris Deus Trinus & unus. Amen.

ORATIO

Dicenda ab iisdem pro communibus necessitatibus Conventûs, post Completorium, vel post Missæ Sacrificium &c.

OMnipotens sempiterne Deus, ædificator & Custos Hierusalem civitatis supernæ, sub cujus nutu vitæ nostræ momenta decurrunt: qui nos famulos tuos in hoc sacro loco ad tibi fideliter serviendum, die ac nocte in lege tua meditandum, ad tui divini honoris augmentum, nostrum profectum, proximorum exemplum misericorditer coadunasti. Qui etiam licèt sis magnus in magnis, mirabilia tamen glorioſiùs operaris in minimis. Ædifica, bene † dic, defende, & muro custodiæ tuæ circumda locum istum cum omnibus tibi famulantibus in eo, ut sit in eo semper domicilium stabilitatis, sanctitatis, & pacis. Hostes visibiles & invisibiles ab eo remove, carnalia desideria repelle, regularis disciplinæ augmentum concede, necessariarum rerum sufficientiam indulge. A domo tua, Domine, spiritales nequitiæ

tiæ repellantur, & aërearum discedat malignitas tempestatum. Careat omni discordia, liberetur à noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: Discedant omnes insidiæ latentis inimici. Nec permittas Domine Domũ tuã, aut famulos tuos scandalis vel criminibus confundi, aut incẽdio gravari, quos è mundi periculoso pelago extractos ad braviũ supernæ vocationis accendis: sed si quid est, quod aut saluti inhabitantium in ea invidet aut quieti, per invocationem tui sancti Nominis effugiat atque discedat, ut tuâ divinâ providentiâ in omnibus providè sit directa, & ab omni impugnatione defensa per Christum Dominum nostrum, Amen ✠.

ORATIO

F. Minoris Conventualis pro Ordinis sui provectu.

I. JESU pie respice hanc Religionem,
Per tuamque protege bene † dictionem.
Francisci me Regulæ fac esse sequacem,
Et in bono strenuè semper efficacem.

II. *Sancta Virgo Virginum*, mihi miserere,
Et à Patre luminum lumen obtinere
Digneris, & gratiam ipsi serviendi,
Æternamque gloriam ritè promerendi.

III. *Francisce* me dirige in viam salutis,
Et heredem effice tuæ me virtutis:
Tua per vestigia deduc me clientem,
Et divinâ gratiâ perfice plùs mentem.

IV. O *Antoni* inclyte compar Patavine,
Tantillum tu gratiæ obtine divinæ,
In incepto Ordine ut perseverare
Possim, atque gloriæ coronam sperare.

V. Sancti Dei inclyti, qui perseveraſtis,
Franciſci Seraphici Regulam ſervaſtis,
Vestro patrocinio velitis juvare
Me, ut in vestigio vestro possim stare.

VI. Sancte Cardinalium Lux, qui & Protector
Es Conventualium Ordinis corrector:
Te, *ô Sancte Carole*, colo, *Borromæe*,
Gubernator animæ, rogo, tu sis meæ.

VII. Voluptatum sæculi tu es aspernator,
Crucifixi speculi pius contemplator:
Populum docueras Tridentinos mores,
Mariam posueras ante templi fores.

VIII. Sub *Mariæ pallio* me confugientem,
Sub hoc patrocinio fac esse ferventem;
Ut hunc nostrum Ordinem velit gubernare,
Ora, & imaginem ejus reformare. Amen. ✠.

Renovatio votorum seu Professionis,

Facienda à Fr. Min. Conv. post SS. Communionem, vel Missæ Sacrificium. &c.

GRatias tibi ago benigniſſime Jesu pro communione Corporis tui sacri & pretiosi sanguinis, ac insuper pro gratia illa singulari, quâ me viliſſimum peccatorem de sæculo nequam eduxisti, & in hoc sacro Ordine S. P. mei Franciſci ad solen-

nem

nem professionem admisisti. Doleo ex toto corde, quòd huic gratiæ non satis respondérim, sed tanto beneficio ingratus fuerim, tepidè & negligenter hucusque vivendo. Detestor omnes transgressiones & negligentias contra votorum meorum reverentiam in hoc statu commissas. Ignoscere dignâre Domine Deus meus suppliciter veniam petenti, & emendationem cum tua gratia spondenti; & auxiliare mihi, ut tandem ex nunc cum hac tua gratia incipiam; quod equidem ex toto corde desidero, & firmiter propono.

Et ad contestationẽ hujus seriæ voluntatis meæ, voveo nunc iterũ, prout in S. Professione vovi; & quamvis nec tunc, nec umquam me tuo servitio mancipassem, nunc me libenter mancipo, & ut mansuetũ animal tuo jugo humiliter subjicio; ac quanta possum devotione vota mea renovo, promittoque tibi Domine Deus meus, B. Mariæ semper Virgini, B. Francisco, & omnibus Sanctis obedientiam, paupertatem, & castitatem secundùm Regulam, & Constitutiones Ordinis nostri, usque ad mortem.

Verumtamen quia ad hæc implenda me nimis tepidum & infirmum agnosco; rogo te misericordissime Jesu, ut, qui mihi dedisti vovendi voluntatem, tribuas etiam exequendi facilitatem, meque ita dirigas, ut deinceps non amplius mihi sed tibi vivam; Regulam, Constitutiones, omnesque Ordinis observantias, & quidquid animæ perfectionem promovere potest, summo studio amplectar, ad laudem & gloriam sanctissimi Nominis tui, qui es super omnia Deus benedictus

in

in sæcula, Amen. ✠ *Benedicat mihi Dominus, & custodiat me : ostendat Dominus faciem suam mihi, & misereatur mei: Convertat vultum suum ad me, & det mihi pacem. Dominus ✠ benedicat me.*

Adm. Rdo Exim. P. ANTONIO WISSINGH
Ord. Min. S. Francisci Conventual. S.T.D.
Ministro Provinciali.

ANTONIUS WISSINGH.

Anagramma

Ah! sinu ungis unitos.

EXIMIe eCCe Pater, tIbI paVCVLa Vota saCrantVr;
InspICe, sInt genIo hæC Vota benIgna tVo.
AntonI VVIssIngh fLos es saCrI orDInIs eXstans:
perpetVos annos VIVere DIgnVs aDes.
sIegbVrgense soLVM genVIt te sIDere faVstô:
Æthera te eX Voto ContrIbVêre sVo.
EX LIbrIs, sCrIptIsqVe tVIs tV, Vt Cerno, CorVsCas
VItâ, DoCtrInâ, ReLLIgIone Deo
VIrtVte est gaVDens Patre tê proVInCIa tota:
AppLaVDens stVDIo tVrba sVperna tVo.
VngIs aMore tVos *VnItos* CorDe, *sInVqVe*
protegIs, eX sVperIs LætItIa orta tIbI est.
InD neo-LIbro tIbI fertVr spIrItVs VnVs,
CorqVe VnVM, fratres qVI pIetate præIs·
LVCe tVa ECCLesIæ reserans es CoMpIta VItæ.
Vota VetVsta sonans sæCVLa VIVe Pater.
Hos CoMpensabIt FranCIsCVs ab aXe Labores,
qVos sVsCepIstI; LVX tVa CLara patet.
EtqVIa IVnXIstI VestrI bona gerMIna saCrI
orDInIs, InsIgnIs LaVrIger esto VIrens.
GratVLor eX VotIs hæC prospera CVnCta, preCorqVe.
PeCtore CVM VnItIs FratrIbVs astra petes.
sCILICet In terrIs VbI Longos LVXerIs annos,
sanCtVs FranCIsCVs præMIa In aXe feret.

qVeI

VeIs preCor antonI VIVas VVIssInge perennIs
De sVperIs Meritò sIt tVa penna fLVens.
sIntqVe MInVta DVo Venæ tIbI grata poetæ;
qVI tVVs æternVs sIt sIne fIne CLIens.
qVI DILeXIstI ferVenter stIgMata ChrIstI,
VItæ annI, antonI, sInt tIbI ab aXe bonI:
porrô VbI LongæVô terrIs eLVXerIs æVô,
aVgVror, astra petes, gaVDIa Læta Metes.



Ita accinuit A. C. Redelius
Clericus Mechlin. S. C. M.
Poeta laureatus.

FINIS.



INDEX

Librorum, & Capitum.

LIBER I.

De sacra Religiosorum communitate, seu de Apostolica methodo Regularium, vivendi in communi. pag. 1.

Cap. I. *De varia analogica acceptione harum vocum, communis, communitas* pag. 1.

Cap. II. *De natura, & origine vitæ communis.* p. 3.

Cap. III. *De constituentibus vitam communem regularem.* p. 6.

Cap. IV. *De vitæ communitate, amata à singulis Ordinum primariorum fundatoribus.* 10.

Cap. V. *De vitæ communitate præcepta in aliorum Fundatorum Regulis.* 14.

Cap. VI. *De decreto S. Concilii Trident. & Summorum Pontificum circa vitam communem.* 17.

Cap. VII. *De variis decretis & declarationibus S. Congregationis Cardinalium circa vitæ communis observantiam.* 22.

Cap. VIII. *De multiplici utilitate vitæ regulariter communis.* 25

Cap. IX. *De damnis spiritalibus ex defectu communis vitæ sequi natis.* 29

Cap. X. *De damnis temporalibus, seu quasi corporalibus, ex defectu communitatis sequi natis.* 34

Cap. XI. *De variis aliis motivis, ad vitæ communitatem religiosos excitantibus.* 37

Cap. XII. *De communitate Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci.* 42

Cap. XIII. *De particularibus Fratrum provisionibus, obstantibus vitæ communis regularitati.* 46

Cap. XIV. *De statu Monasteriorum carentium vitæ communis regularitate.* 53

Cap. XV. *De Religiosis particularibus opponentibus se vitæ communi, ordinatè & regulariter introducendæ.* 58

Cap. XVI. *De obstaculo vitæ communis apud quosdam Religiosos.* 64

Cap. XVII. *De diversitate observatorum Regulæ B. Francisci.* 69

Cap. XVIII. *Solvuntur objectiones cavillantium: FF. Minores Conventuales non esse Regulæ*

gula S. Francisci observatores, ejusdemque Filios. 73
Cap. XIX. *De aliis controversiis circa vitæ communis introductionem &c.* 27
Cap. XX. *De peccato Religiosorum opponentium se vitæ communi.* 83
Cap. XXI. *De mala radice, maloque fructu neglectûs vitæ communis.* 88
Cap. XXII. *De tepore Religiosorum aliquorum, orto ex defectu vitæ communis; & de necessario fervore, & patientia Prælatorum, reformare volentium.* 92
Cap. XXIII. *De ulteriore felicitate communitatis religiosæ.* 96
Cap. XXIV. *De communitate, prout opponitur singularitati.* 100

LIBER II.

De paupertate religiosa inviolata servanda.

Cap. I. DE *virtute paupertate.* 108
Cap. II. *De paupertate spiritus, ejusque natura.* 111
Cap. III. *De dignitate paupertatis evangelicæ, seu religiosæ.* 115
Cap. IV. *De aliis prærogativis evangelicæ paupertatis.* 120
Cap. V. *De voto paupertatis evangelicæ,* 123
Cap. VI. *De religiosorum egestate, seu inopia virtuosa, id est, voluntaria.* 126

Cap. VII. *De voluntaria inopia Christi Domini, B. V. M. & SS. Fundatorum Regularium Ordinum.* 131

Cap. VIII. *De statu paupertatis.* 136

Cap. IX. *De aliis requisitis ad vitam more pauperum virtuosè ducendam in Religione.* 143

Cap. X. *De discretione servanda in paupertatis rigore, seu inopia.* 145

Cap. XI. *De Religiosorum quorumdam laudabili mendicitate.* 150

Cap. XII. *De multiplici spiritali fructu paupertatis religiosæ.* 154

Cap. XIII. *De aliis spiritalibus fructibus paupertatis religiosæ.* 158

Cap. XIV. *De multiplici fructu temporali, seu quasi corporali paupertatis religiosæ.* 161

Cap. XV. *De aliquibus nocumentis obstantibus religiosæ paupertati.* 166

Cap. XVI. *De excessu cultus vestimentorum contra paupertatis religiosæ decentiam.* 171

Cap. XVII. *De Religiosæ paupertatis alphabeto.* 176

LIBER III.

De cupiditate inimica religiosæ paupertati; item de proprietate, peculio, & deposito.

Cap. I. *DE cupiditate pecuniarum, noxia Religioso in particulari.* pag 189

Cap. II. *Quomodo phylargyria, id est, amor pecuniæ, in Monacho malo subinde generetur, & incrementum sumat gradatim.* 195

Cap. III. *De cupiditate Religiosorum tepidorum ad habendum superflua.* 201

Cap. IV. *De proprio eliminando, quod dicitur meum, tuum. &c.* 205

Cap. V. *De veris divitiis Religiosorum.* 209

Cap. VI. *De quorumdam pietatis prætextu in reservatione peculiorum.* 213

Cap. VII. *De pœnis proprietariorum, divino judicio illis immissis.* 218

Cap. VIII. *De peculiorum reservatione, usu, & abusu.* 230

Cap. IX. *Continet responsionem ad quæstionem prioris capitis, an liceat reservare peculium particulari Religioso.* 237

Cap. X. *Ostenditur ulteriùs, quòd peculium primitus per se non fuerit licitum Religiosis.* 242

Cap. XI. *De reservatione applicativa & usuali alicujus Peculii ante professionem Religiosorum possidentium in communi.* 249

Cap. XII. *De concessione peculii usualis; an licita Religioso post ejus professionem.* 254
Cap. XIII. *De Decretis S. Concilii Trid. ac S. Congregat. DD. Emin. Cardinal. circa usum, vel abusũ peculiorũ usualium apud Religiosos.* 259
Cap. XIV. *De aliis declarationibus Eminentiss. DD. Cardinal. circa usum vel abusum peculiorum, licitum vel illicitum Religiosis.* 265
Cap. XV. *De causa seu occasione introductionis peculiorum apud Religiosos.* 268
Cap. XVI. *De triplici vitioso genere peculiaristarum.* 274
Cap. XVII. *De peculiorum seu depositorum incorporatione, & confusione, tam apud Moniales, quàm Monachos, seu Religiosos.* 278
Cap. XVIII. *De vetita peculiaritate & proprietate aliquarum Monialium.* 284
Cap. XIX. *De peculiari depositio Religiosorum.* 290
Cap. XX. *De particularibus casibus, in quibus fit abusus peculii seu depositi apud Religiosos.* 296
Cap. XXI. *De potioribus actibus proprietatis.* 301
Cap XXII. *De donationibus, licitis in particulari privatis Religiosis respectu sæcularium, aut aliorum Regularium.* 396

LIBER IV.

De Cura Superiorum circa S. Regularem communitatem introducendam, & conservandam &c. pag. 314.

Cap. I. *De potestate, & triplici cura Prælatorum Regularium erga subditos Regulares.* pag. 317

Cap.

Cap. II. *De ulteriori cura Superioris Regularis circa subditos Regulares:* 324
Cap. III. *De onere, virtute, obligatione, & negligentia Superiorum Regularium.* 330
Cap. IV. *De Superioris Regularis humilitate, charitate, patientia, ac fortitudine.* 334
Caput V. *De justitiæ zelo contra abusus, corruptelas, & delinquentes.* 340
Cap. VI. *De circumspectione, discretione, & rigore Superioris Regularis erga delinquentes.* 346
Cap. VII. *De consilio adhibendo à Superioribus Regularibus.* 353
Cap. VIII. *De aliis virtutibus requisitis in Superiore, pro bono communi sibi commissæ Communitatis.* 363
Cap. IX. *De studio orationis, amando à Superiore Regulari, pro spiritali profectu suorum subditorum.* 369
Cap. X. *De eadem orationis frequentatione pro salute subditorum.* 374
Cap. X. *De solicitè evitandis & curandis omnibus, quæ religiosæ paupertati quomodolibet obesse, & contrariari possunt.* 379
Cap. XII. *De communitate frequentanda, & amanda à Superiore Regulari.* 388
Cap. XIII. *De nimia Prælatorum solicitudine circa temporalia, evitanda.* 394
Cap. XIV. *De Superiorum Regularium solicita sed ordinata cura circa necessitates corporales suorum subditorum sublevandas.* 399
Cap. XV. *De modo & medio, quibus utetur Prælatus*

latus Regularis ad reformandos Religiosos sui Monasterii vel Provinciæ. 408

Cap. XVI. *De obligatione speciali Prælatorum Regularium ad vitæ communis introductionem, peculiorumque privatorum abrogationem.* 414

Cap. XVII. *De obligatione subditorum ad acceptandum reformationem ad vitæ communitatem.* 422

NB. Tenor Epistol. *Eminentiss. D. Cardinalis Protectoris Leandri Colloredi*, directæ ad Ministrum Provincialem Colonienſis Provinciæ, pro necessaria reformatione. 430

LIEER V.

De modis, ac mediis conservandi stabiliter regularis vitæ communitatem. pag. 436.

Cap. I. DE *primo medio communitatis servandæ, scil. debito cultu Supremi Numinis.* 440

Cap. II. *De singulari confidentia habenda in Dei providentia, pro vitæ subsidiis impetrandis.* 445

Cap. III. *De cavenda nimia diffidentia, nimiaque solicitudine, pro cura temporalium vitæ subsidiorum.* 457

Cap. IV. *De speciali confidentia, reponenda in præsidio B. V. M. pro impetrandis necessariis vitæ subsidiis.* 461

Cap. V. *De mutua inser Religiosos concordia.* 476

Cap. VI. *Concordia Religiosorum plurima parit bona inter illos.* 484

Cap. VII. *De charitate ad externum proximum habenda.* 488

Cap.

Cap. VIII. *De amanda religiosa paupertate à Superiore & subditis regularibus.* 495

Cap. IX. *Despicientia rerum temporalium probat virtutis heroicæ radicationem, conciliatque &c.* 502

Cap. X. *De horrendis pœnis violatorum S. paupertatis &c.* 512

Cap. XI. *Proprietariorum, laxorum, & irregularium religiosorum pœnæ post mortem.* 522

Cap. XII. *Superiores exactè satisfaciant officio, pro observantia vitæ communis.* 528

Cap. XIII. *Superiorum paterna, at contemperata condescensio ad subditos.* 536

Cap. XIV. *Labor corporalis, mendicatio, & ad alios mendicantes miseratio.* 541

Cap. XV. *Labor literarius est congruum medium ad conservandum communitatem seu vitam communem.* 551

Cap. XVI. *Otium ab omnibus fugiendum, ut vita communis introducenda.* 562

Cap. XVII. *Gratitudo ad Deum & homines benefactores, Mensæ communitas, Nociva familiaritas &c.* 576

Alphabetum majus S. Bonaventuræ. 585

Alphabetum minus ejusdem. 591

Alphabetum aureum J. Tauleri. 592

Aurea monita S. Teresiæ. 594

Orationes pro communi bono, & provectu Ordinis. 602. & seqq.

Renovatio votorum, seu professionis. 605

FINIS INDICIS.

Men-

Menda sic emenda.

Pag. 47. lin. 5. lege *peculiariter*. pag. 48. lin. 27. l. *sanitatis*. pag. 62. lin. 4. post *amplius*, adde *habere*. pag. 88. lin. ult. pro *dicit* l. *didicit*. pag. 91. lin. 19. pro *nimium* l. *nimirum*. pag. 93. lin. 6. pro *vultu* l. *cultu*. pag. 94. lin. 26. l. *acquiescere*. pag. 117. lin. 20. & alibi pro *perfect. vitæ* l. *via perfectionis*. ibidem lin. 25. pro *revelatione* l. *relatione*. pag. 179. lin. 2. l. *multiplicitas*. pag. 177. lin. 18. l. *tranquillus*. pag. 190. lin. 20. l. *condemneris*. pag. 203. lin. 2. l. *proselyti*. pag. 204. lin. 13. pro *potuit* l. *poterit*. p. 210. lin. 3. pro *studeat* l. *studeant*. pag. 218. lin. 20. l. *Saphira*. pag. 219. lin. 25. l. *tempus in quo*. p. 224. lin. 5. l. *antequam*. pag. 232. lin. 26. l. *administrationis*. p. 242. lin. 1. l. *necessitas*. p. 247. lin. 14. pro *plumacit* l. *placitum*. pag. 289. lin. 4. l. *portæ per quas*. p. 314. lin. 10. l. *reverenter*. pag. 343. lin. 2. l. *eliminentur*. Cetera minora corriget benevolus lector: qui & auctoritati Sanctorum deferet, dum subinde minùs aptam ab iis arbitratur servatam Syntaxin, v. g. pag. 202. lin. 21. ubi ex Regula S. Fructuosi ponitur *neque obediens esse*: Syntaxista legeret aptiùs, *obedientem esse*. idem alibi observa, etiam quoad Grammaticam.

Sancta Co[m]
munitas.

Th
2876

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN